UANL
SIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO
CCIÓN GENERAL DE BIBLIOTEC

MAYR

Philosophia

B341
.M39
1745
v.1
c.1

009869

1080026346

EX LIBRIS
HEMETHERIO VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO
CAPILLA ALFONSINA BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
Reg. 37MICROFILMADO 11/2003

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN.
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Propiedad de
R. de la Bobolla.
P. Cmc. 27/35

REVER. PATRIS

ANTONII MAYR

SOCIETATIS JESU

PHILOSOPHIA

In Quatuor Tomos
distributa.

Se la compre a un Compañero
mio de Lógica llamado Lucido Agui
lo envió en 12 reales.
R. B. S

VENETIIS, MDCCXLV.
Apud Nicolaum Pezzana.
Superiorum Permissu, ac Privilegio.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

B341
.M39
1745

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
BMU Rafit Rangel Frias
UANL
FONDO
EMETERIO VALVERDE T.Z.

Emeterio Valverde
PRESBITERO

PHILOSOPHIA PERIPATETICA ANTIQUORUM PRINCIPIIS ET RECENTIORUM EXPERIMENTIS Conformata,

AUCTORE

R. P. ANTONIO MAYR
Societatis JESU,
Sacræ Theologiæ Doctore, & antehac in Universitate Ingolstadiensi Philosophiæ, ac Theologiæ Professore Ordinario.

TOMUS PRIMUS, SEU LOGICA.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Universitaria "Emeterio Valverde y Tellez"

VENETIIS, MDCCXLV.
Apud Nicolaum Pezzana.
Superiorum Permissu, ac Privilegio.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Lector Benevole.

PHiloſophiam Peripateticam dum tibi offero, ne quæſo, adducto mox ſupercilio eam tanquam jam dudum obſoletam rejicias; quippe ipſi injuriam facis, dum inauditam condemnas. Aliter ſane ſentiunt viri maximi, quibus necdum ita antiquata ſunt viſa Ariſtotelis placita, ut non merito adhuc, vel recentioribus Carteſii inventis, vel veteribus Epicuri, aut Empedoclis opinionibus, in novam formam redactis, ſint præferenda. Equidem nolim negare, quoſdam Stagiritæ interpretes nimium inhæſiſſe verboſis quibuſdam axiomatibus, quoſdam nimium ſpeculationi, minus experimentis dediſſe, alios in aſſignandis rerum naturalium cauſis præpropere ad qualitates, vel principia univerſalia, aut etiam ad Deum ipſum recurriſſe; ſed hi ſcriptorum ſingularium nævi non maculant ipſam Philoſophiam Peripateticam, quæ ſuorum ſequacium neminem ad ſimiles vias carpendas impellit: & quamvis qualitates, ſeu, ut vocant, accidentia abſoluta, omnibus ſuis armis defendat, tamen corporum quoque effluviis plurimum tribuit, atque in his multorum effectuum cauſas ſapienter conſtituit, ut adeo opus non ſit, vel ad Deum, vel ad principia univerſalia, aut accidentalia, importune recurrere. Eadem Philoſophia metaphyſicas quidem ſpeculationes, utpote Theologiæ non ſolum utiles, ſed neceſſarias, non obiter tractat: attamen id agit abſ-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
000369

que præjudicio experimentorum, quibus suas sententias, non tantum conformat, sed etiam valide firmat. Ego certe conatus sum in Physica, tam universali, quam particulari, monstrare, conclusiones a me statutas, non tantum experientiæ minime refragari, sed ea potius firmiter stabiliri: quin etiam magnam naturalium experimentorum copiam eo fine congessi, ut pro meo modulo gratificarer eruditionis physicæ amatoribus, iisque non offerrem lucubrationem, siccis tantum phrasibus oppletam. Cæterum, cum certi non admodum multum in Philosophia possit sperari, opiniones illas amplexus sum, quæ mihi præ aliis sunt visæ probabiles: & quidem veritatem non parvo studio investigavi: at eam semper, vel etiam sæpissime, a me fuisse repertam, dicere minime ausim; unde neque meas assertiones aliorum sententiis præferendas esse præsumo. Gratulabor mihi, si quis dignabitur, hæc scripta lustrare, & si quid in iis forte boni occurrerit, eo ad Dei gloriam uti, aut frui.

FACULTAS
R.P. PROVINCIALIS.

EGo Franciscus Mossu Societatis Jesu, per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, facta mihi potestate ab Admodum Reverendo Patre Nostro Francisco Retz Societatis Universæ Præposito Generali, librum, cui titulus PHILOSOPHIA PERIPATETICA &c. a P. Antonio Mayr Societatis nostræ Sacerdote, SS. Theologiæ Doctore, & Professore emerito, conscriptum, atque a Deputatis ejusdem Societatis Patribus lectum, probatumque, typis in lucem edi permitto.

Ingolstadii 19. Januarii 1738.

L. S.

FRANCISCUS MOSSU
Soc. Jesu.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. Fra Paulo Tommaso Manuelli Inquisitore di Venezia nel Libro intitolato *Philosophia Peripatetica antiquorum principiis, & recentiorum experimentis conformata. Auctore P. Antonio Mayr Soc. Jesu*, non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo Licenza a Nicolò Pezzana, che possa esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 10. Novembre 1744.

Z. Piero Pasqualigo Rifor.

Gio: Emo Proc. Rifor.

Girolamo Alberti Secret.

Registrato in Libro a Carte 48.

16. Novembre 1744.

Registrato nel Magistrato Eccellent. degli Esecutori contro la Bestemmia.

Alvise Legrenzi Secret.

IN-

INDEX

Disputationum, Quæstionum, & Articulorum.

In Logica.

DISPUTATIO UNICA SUMMULISTICA.

De Tribus Mentis Operationibus. Pag. 1

QUÆSTIO I.

De Prima Mentis Operatione.

Art. I. *Quid sit terminus.* 3
Art. II. *Quotuplex sit terminus.* 10
Art. III. *Quid, & quotuplex sit suppositio terminorum.* 16
Art. IV. *Statuuntur regulæ suppositionum.* 20
Art. V. *Solvuntur objectiones.* 27
Art. VI. *Explicantur reliquæ terminorum proprietates.* 33
Art. VII. *Quid sit definitio, & quænam ejus regulæ.* 35
Art. VIII. *Quid sit divisio, & quæ ejus regulæ.* 40

QUÆSTIO II.

De Secunda Mentis Operatione.

Art. I. *Quid, & quotuplex sit propositio.* 41
Art. II. *Quid requiratur ad veritatem propositionum.* 46
Art. III. *Quid, & quotuplex sit oppositio propositionum.* 49
Art. IV. *Solvuntur objectiones.* 52
Art. V. *Quid tenendum circa oppositionem propositionum modalium, & compositarum.* 58
Art. VI. *Quid sit æquipollentia, & quæ ejus regulæ.* 64
Art. VII. *Quid sit conversio propositionum, & quæ ejus regulæ.* 65

QUÆSTIO III.

De Tertia Mentis Operatione.

Art. I. *Quid, & quotuplex sit discursus, seu argumentatio.* 70
Art. II. *Quænam sint principia extrinseca syllogismi.* 74
Art. III. *Quænam sint principia intrinseca syllogismi.* 77
Art. IV. *Statuuntur regulæ generales syllogismi categorici.* 82
Art. V. *Solvuntur objectiones.* 88
Art. VI. *Statuuntur leges, seu regulæ bonæ consequentiæ.* 90
Art. VII. *Solvuntur objectiones.* 95
Art. VIII. *Quomodo debeat fieri reductio syllogismorum imperfectorum.* 98
Art. IX. *Quid notandum circa syllogismos non categoricos.* 101
Art. X. *An, & quando argumentatio ab hypothesi impossibili sit bona.* 104

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DISPUTATIO I. LOGICA.

De Prolegomenis Logicæ. 113

QUÆSTIO I.

De Essentia, & Proprietatibus Logicæ.

Art. I. *Quid, & quotuplex sit Logica.* 114
Art. II. *Quid sit potentia habitus, & actus.* 117
Art. III. *Quid, & quotuplex sit virtus.* 119
Art. IV. *An Logicæ sit virtus intellectualis.* 123
Art. V. *An Logica sit scientia, & ars.* 130
Art. VI. *Quid sit cognitio practica,* 135
Art. VII. *Solvuntur objectiones.* 140
Art. VIII. *An Logica sit practica.* 142
Art. IX. *An, & quomodo Logica sit necessaria ad alias scientias.* 146
Art. X. *Solvuntur objectiones.* 151

QUÆSTIO II.

De Obiecto Logicæ.

Art. I. *Quid, & quotuplex sit objectum.* 163
Art. II. *Quodnam sit objectum Logicæ.* 167
Art. III. *Solvuntur objectiones.* 173

DISPUTATIO II.

De Identitate, & Distinctione. 188

QUÆSTIO I.

De Unitate, & Identitate.

Art. I. *Quid, & quotuplex sit unitas.* 189
Art. II. *Quid, & quotuplex sit identitas.* 192

QUÆSTIO II.

De Distinctione.

Art. I. *Quid, & quotuplex sit distinctio realis, & quæ ejus signa.* 194
Art. II. *Solvuntur objectiones.* 198
Art. III. *Quid sit præcisio, & distinctio formalis, & quotuplex ista.* 201
Art. IV. *Solvuntur objectiones.* 207
Art. V. *Quid sit distinctio Scotistica, & an detur.* 212
Art. VI. *Solvuntur objectiones.* 220
Art. VII. *Quid sit, & an detur in creatis distinctio virtualis intrinseca.* 231
Art. VIII. *Solvuntur objectiones.* 235
Art. IX. *Quid sit, & an detur in creatis distinctio virtualis extrinseca.* 241
Art. X. *Solvuntur objectiones.* 248

Art.

Art. X. *Quomodo inter se distinguantur gradus metaphysici.* 259

DISPUTATIO III.

De Universalibus. 263

QUÆSTIO I.

De Universali in Genere.

Art. I. *Quid sit universale, & an detur a parte rei.* 264
Art. II. *Solvuntur objectiones.* 270
Art. III. *An, & quomodo universale fiat per intellectum.* 275
Art. IV. *Solvuntur Objectiones.* 280
Art. V. *An universale maneat in actuali prædicatione.* 288
Art. VI. *Solvuntur Objectiones.* 292
Art. VII. *A quibus, & per quos actus possit fieri universale.* 300
Art. VIII. *Solvuntur Objectiones.* 305

QUÆSTIO II.

De Universalibus in Specie.

Art. I. *Quid sit genus, & quomodo definiatur.* 307
Art. II. *Solvuntur Objectiones.* 310
Art. III. *Quid sit species, differentia, proprium, accidens.* 316
Art. IV. *Solvuntur Objectiones.* 321
Art. V. *Quid sit individuum, & an univoce possit prædicari de pluribus.* 325
Art. VI. *In quo consistat differentia Specifica.* 329
Art. VII. *Solvuntur Objectiones.* 334
Art. VIII. *An sit possibilis species creata immultiplicabilis.* 345

DISPUTATIO IV.

De Prædicamentis. 350

QUÆSTIO I.

De Denominationibus, & Concretis.

Art. I. *Quid sit, & quotuplex denominatio, & concretum.* 351
Art. II. *Quid concreta importent in recto, & quomodo multiplicentur.* 354
Art. III. *Quid sit pars, aut quæ regula partis.* 363
Art. IV. *Quomodo denominatio quævis se habere debeat ad suas partes.* 367
Art. V. *Solvuntur Objectiones.* 370

QUÆSTIO II.

De Prædicamentis in Specie.

Art. I. *Quid, & quotuplex sit prædicamentum.* 377
Art. II. *Quid, & quotuplex sit relatio.* 381
Art. III. *In quo consistat relatio prædicamentalis.* 386
Art. IV. *Solvuntur Objectiones.* 393

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX.
Art. V. Solvuntur reliquæ objectiones. 404

DISPUTATIO V.

De Signis. 411

QUÆSTIO I.

De Vi Significativa Signorum, maxime Vocum.
Art. I. Quid, & quotuplex sit signum. 412
Art. II. In quo consistat vis significativa signorum. 417
Art. III. Quid, & quomodo significent voces humanæ. 423
Art. IV. Solvuntur Objectiones. 430

QUÆSTIO II.

De Veritate.
Art. I. Quid sit veritas transcendentalis, & prædicamentalis. 436
Art. II. In quo consistat veritas prædicamentalis. 439
Art. III. Quid sit verificativum propositionis, quid futuritio, contingentia, & necessitas. 447
Art. IV. Solvuntur Objectiones. 453
Art. V. An propositiones de futuris contingentibus sint determinate veræ, vel falsæ. 459
467
Art. VII. Solvuntur Objectiones. 472

DISPUTATIO VI.

De Syllogismo. 480

QUÆSTIO I.

De Syllogismo in Genere.
Art. I. An ad conclusionem necessarium sit judicium de bonitate consequentiæ. 480
Art. II. An conclusio necessaria se reflectat in præmissas. 490
Art. III. Solvuntur objectiones. 493

QUÆSTIO II.

De Syllogismo in Specie.
Art. I. Quid, & quotuplex sit, & an detur scientia. 502
Art. II. An scientia, & opinio possint simul stare in eodem intellectu, vel actu. 510
Art. III. An concessis præmissis evidentibus intellectus necessitetur ad conclusionem. 519
Art. IV. Solvuntur Objectiones. 523
Art. V. An concessis præmissis probabilibus intellectus necessitetur ad conclusionem. 528
Art. VI. Solvuntur objectiones adversariorum. 532

PHI-

PHILOSOPHIÆ PERIPATETICÆ

TOMUS PRIMUS,

SEU

LOGICA.

INTRODUCTIO IN LOGICAM

SIVE

SUMMULÆ.

1. LOgicæ (ut a quibusdam vocatur) majori, seu diffusiori quæstionum Dialecticarum expositioni, ex usu jam longissimo præmitti solet Logica (ut appellatur) minor, seu sic dictæ *Summulæ*: quæ tamen non sunt summa, seu compendium eorum, quæ in reliqua Logica explanantur; sed ut sunt pars nobilior Dialecticæ, qua præcipue inventa Aristoteles magnum sibi nomen promeruit, & quæ vel maxime ad scientias alias addiscendas utilis est, imo necessaria. Quare male illi decipiuntur, qui Summulas hasce aspernantur, ceu inutile stramen; namque istarum defectu impediuntur, quominus faciant optatum in aliis disciplinis profectum, ut experientia frequentissima docet. Quia tamen hoc studium incipientibus perdifficile accidit,

hos,

INDEX.
Art. V. Solvuntur reliquæ objectiones. 404

DISPUTATIO V.

De Signis. 411

QUÆSTIO I.

De Vi Significativa Signorum, maxime Vocum.
Art. I. Quid, & quotuplex sit signum. 412
Art. II. In quo consistat vis significativa signorum. 417
Art. III. Quid, & quomodo significent voces humanæ. 423
Art. IV. Solvuntur Objectiones. 430

QUÆSTIO II.

De Veritate.
Art. I. Quid sit veritas transcendentalis, & prædicamentalis. 436
Art. II. In quo consistat veritas prædicamentalis. 439
Art. III. Quid sit verificativum propositionis, quid futuritio, contingentia, & necessitas. 447
Art. IV. Solvuntur Objectiones. 453
Art. V. An propositiones de futuris contingentibus sint determinate veræ, vel falsæ. 459
467
Art. VII. Solvuntur Objectiones. 472

DISPUTATIO VI.

De Syllogismo. 480

QUÆSTIO I.

De Syllogismo in Genere.
Art. I. An ad conclusionem necessarium sit judicium de bonitate consequentiæ. 480
Art. II. An conclusio necessaria se reflectat in præmissas. 490
Art. III. Solvuntur objectiones. 493

QUÆSTIO II.

De Syllogismo in Specie.
Art. I. Quid, & quotuplex sit, & an detur scientia. 502
Art. II. An scientia, & opinio possint simul stare in eodem intellectu, vel actu. 510
Art. III. An concessis præmissis evidentibus intellectus necessitetur ad conclusionem. 519
Art. IV. Solvuntur Objectiones. 523
Art. V. An concessis præmissis probabilibus intellectus necessitetur ad conclusionem. 528
Art. VI. Solvuntur objectiones adversariorum. 532

PHI-

PHILOSOPHIÆ PERIPATETICÆ

TOMUS PRIMUS,

SEU

LOGICA.

INTRODUCTIO IN LOGICAM

SIVE

SUMMULÆ.

1. LOgicæ (ut a quibusdam vocatur) majori, seu diffusiori quæstionum Dialecticarum expositioni, ex usu jam longissimo præmitti solet Logica (ut appellatur) minor, seu sic dictæ *Summulæ*: quæ tamen non sunt summa, seu compendium eorum, quæ in reliqua Logica explanantur; sed ut sunt pars nobilior Dialecticæ, qua præcipue inventa Aristoteles magnum sibi nomen promeruit, & quæ vel maxime ad scientias alias addiscendas utilis est, imo necessaria. Quare male illi decipiuntur, qui Summulas hasce aspernantur, ceu inutile stramen; namque istarum defectu impediuntur, quominus faciant optatum in aliis disciplinis profectum, ut experientia frequentissima docet. Quia tamen hoc studium incipientibus perdifficile accidit,

hos,

hos, ne in principio Philosophiæ statim desperent, juvandos censeo, clara rerum alias obscurarum propositione, & subtilitatum non omnino necessariarum rescissione. Utrique, quantum in me erit, studebo, tum, ut dilucide ad captum etiam incipientium scribam, tum, ut ea, quibus ad scientias alias acquirendas minus opus est, rescindam: quæ tamen, si cui volupe est, profundius rimari, in Casilio, & aliis, facile inveniet.

DISPUTATIO UNICA.

De Tribus Mentis Operationibus.

2. SUmmulæ ex more communi in tres partes, seu quæstiones, dividi solent; quia nempe operationes mentis, de quibus agendum est, tres sunt, scilicet *simplex apprehensio*, *judicium*, *& discursus*. Prima mentis operatio, seu *Simplex Apprehensio*, est *intentionalis pura objecti repræsentatio*, ita, ut de hoc nihil affirmet, nihil neget: e. g. dum apprehendo solem, aut diem, Petrum, vel Paulum, quin ullum de iis judicium feram. Hæc cognitio est per se satis imperfecta, & in suo genere etiam brutis communis, quæ plura per sensus cognoscunt, & intentionaliter sibi repræsentant, quin tamen de ulla re judicium stricte dictum ferre possint.

Altera mentis operatio, seu *Judicium*, est *cognitio negans, vel affirmans unum de altero*: ut si dicam: *Sol lucet: Dies est: Petrus est doctus: Paulus non est doctus*. Tertia mentis operatio, seu *Discursus*, aut *Argumentatio* est *Oratio, vel cognitio, in qua unum ex altero infertur*: e. g. dum dico: *Sol lucet: ergo dies est: Petrus loquitur: ergo vivit*. Cum autem istæ tres mentis operationes ita inter se ordinentur, ut prima secundam, & hæc tertiam, ordinarie saltem, præcedat, eodem ordine de iis agit Aristoteles: & de prima quidem agit in libris *Prædicamentorum*: de secunda in libris *Perihermenias*, seu *Interpretationis*: de tertia in libris *Analiticorum*, *Topicorum*, *& Elenchorum*: quem ordinem summulæ etiam istæ servabunt.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

De Primæ Mentis Operatione.

ARTICULUS I.

Quid sit Terminus.

3. TErminum definit, aut describit Aristoteles primum *libro* 1. *priorum c.* 1. & quia istum explicat in ordine ad propositionem, præmittit definitionem propositionis dicens: *Propositio igitur est oratio affirmativa, vel negativa, alicujus de aliquo*: deinpaulo post *eod. cap.* de termino ait: *Terminum autem voco, in quem resolvitur* (vel ut alii legunt: *dissolvitur*) *propositio, ut prædicatum, & de quo prædicatur*. Brevius, & clarius ponitur hæc definitio termini: *Terminus est id, in quod resolvitur propositio*: seu, *quod manet, ablata copula*: hoc enim intelligitur hic per resolvi; nam non intelligitur qualiscumque resolutio, e. g. in materiam, vel formam &c. sed tantum resolutio in subjectum, & prædicatum, ut sumitur ex verbis Aristotelis, modo citatis. Hæc definitio convenit soli subjecto, & prædicato, seu extremis propositionis, quæ sola juxta communissimam omnium sunt termini; nam copula non manet ipsa ablata, ut est clarum, nec in ipsam resolvitur propositio; cum enim copula sit forma, & nexus propositionis, non potest in ipsam resolvi propositio; sicut enim nullum aliud artefactum resolvitur in suam formam, aut nexum, (neque enim statua, aut domus resolvitur in suam unionem, aut figuram, sed his destructis resolvitur in frusta lignea, aut lapidea) ita neque propositio, quæ est artefactum Logicum, resolvitur in suum nexum, aut formam.

Quare ista definitio convenit omni, & soli, simulque est clarior definito, ut patebit *ex n.* 6. ergo, licet non observet omnes alias minutias, tamen est satis bona, & propter auctoritatem Philosophi (a quo non statim in limine Philosophiæ recedendum) est retinenda, sicut retinentur plurimæ aliæ similes. Accedit, quod definitiones termini, ab aliis allatæ, præter-

terquam, quod destituantur auctoritate Aristotelis, videantur laborare defectibus neutiquam minoribus, præsertim non esse clariores ipso termino definito: e. g. illa: *Terminus est pars ut quod propositionis:* supponit notitiam regulæ partis, item partis ut quo, & ut quod: quarum explicatio incipientibus Logicis captu valde difficilis est. Item altera: *Terminus est materia propositionis:* supponit notitiam materiæ, & formæ Philosophicæ, quæ non parva indiget explicatione, ut eam Logici capiant. Pariter illa: *Terminus est extremum propositionis:* multa indiget declaratione, ne etiam copula, dum ultimo loco ponitur, videatur esse terminus: & sic de aliis.

4. Pro majori dictorum intelligentia addo, quod propositio tres partes involvat. Prima est *Subjectum*, seu *id, de quo aliquid affirmatur, vel negatur*. Altera *Prædicatum*, seu *id, quod de altero affirmatur, vel negatur*. Tertia *Copula*, quæ est *unio, vel nexus prædicati cum subjecto*: hæc communiter exprimitur per verbum *Est*. Sic in his propositionibus: *Petrus est homo: Petrus non est Lapis*: vox *Petrus* est subjectum: vox *Homo*, vel *Lapis* est prædicatum: verbum *Est* est copula. Hæc copula aliquando explicite ponitur, ut in adductis propositionibus: aliquando ponitur implicite, ut, si dicam: *Petrus studet*: nam implicite idem significat, ac: *Petrus est studens*.

5. Pari ratione prædicatum aliquando explicite ponitur, ut in modo allata propositione: *Petrus est studens*: aliquando autem implicite ponitur, ut si dicam; *Deus est*; nam est idem, ac si dicerem: *Deus est existens*. Aliquando copula omnino tantum subintelligitur, e. g. si dicam: *Deus magnus Dominus*: qui modus enunciandi frequens est apud Rhetores, minus usitatus apud Dialecticos. Addendum, parum referre, sive subjectum, sive prædicatum, sive copula, primo, secundo, vel tertio loco ponatur; nam parum refert, sive dicas: *Petrus est albus*: sive: *Albus est Petrus*: seu: *Est Petrus albus*: idem enim sonant hæ propositiones, & apud Dialecticos non attenditur ad ordinem collocationis verborum: sed, an istud de alio affirmetur, an vero aliud de isto: & de quo aliquid affirmatur, illud est subjectum: & quod de altero affirmatur, est prædicatum.

6. Ob.

6. Ob. 1. Definitio debet esse clarior definito: sed definitio Aristotelis, seu nostra, non est clarior definito: ergo non est bona. ma. est certa, ut infra *n.* 59. dicetur: mi. prob. definitio hæc explicat terminum in ordine ad propositionem: sed est æque obscurum, quid sit propositio, quam, quid sit terminus: ergo definitio hæc explicat obscurum per obscurum: ergo non est clarior definito. Resp. conc. ma. neg. mi. ad prob. dist. ma. definitio hæc explicat terminum in ordine ad propositionem perfecte cognitam. neg. ma. in ordine ad propositionem tantum imperfecte, & confuse cognitam. conc. ma. & dist. mi. est æque obscurum, quid sit propositio, quam quid sit terminus, si quis velit habere cognitionem propositionis perfectam. conc. mi. si tantum velit habere cognitionem imperfectam, vel confusam. neg. mi. & utramque conseq.

7. Etsi forte æque difficile sit, perfecte cognoscere propositionem, quam perfecte cognoscere terminum, tamen imperfecta, seu rudis notitia propositionis, est omnibus magis obvia; nemo enim ignorat, propositionem esse aliquam affirmationem, aut negationem. Dein sæpe confuse cognoscitur totum, quin cognoscantur discrete partes: patet hoc in navi a longe adnavigante, quæ videtur advenire, quin ejus partes discernantur. Quin imo potest aliquid, quod explicatur in ordine ad alterum, clare cognosci, quin æque clare cognoscatur illud alterum. Sic Angelus comprehendit alicujus saltem creaturæ relationem ad Deum, quæ sine Deo aliquo modo cognito, nequit comprehendi, quin tamen Angelus Deum comprehensive cognoscat. Tandem responderi potest, Aristotelem eodem capite, quo ponit definitionem termini, jam prius posuisse definitionem propositionis (quam etiam nos supra posuimus) & post istam primum ponere definitionem termini; ut scilicet illa prius cognosceretur, & tum in ordine ad illam etiam terminus intelligeretur.

8. Ob. 2. Definitio hæc convenit etiam copulæ; sed hæc communiter negatur esse terminus: ergo hæc definitio non convenit soli. prob. ma. quando dico: *Est est copula*: verbum *est* (quod est copula) est subjectum: sed hæc definitio convenit omni subje-

subjecto: ergo etiam convenit copulæ. Resp. dist. maj. definitio hæc convenit copulæ formaliter sumptæ, seu copulanti. neg. maj. convenit copulæ materialiter sumptæ. conc. maj. & dist. sic. min. neg. conseq. ad prob. dist. maj. illud *est* est subjectum, quod est copula hujus propositionis. neg. maj. quod non est copula, sed sumitur tantum materialiter. conc. maj. & conc. min. sub priori distinctione conc. vel neg. conseq. Quid sit verbum *est* materialiter sumi, dicetur infra *num.* 26. ubi suppositionem materialem explicabimus.

9. Dices 1. Quando dico: *Petrus est albus: est vera propositio:* tunc tota prior propositio est subjectum: ergo etiam ejus copula, & quidem formaliter copulans, est subjectum: ergo etiam copula formaliter sumpta, seu ut copulans, est subjectum, adeoque terminus: ergo. Resp. conc. ant. dist. conseq. copula formaliter sumpta est terminus respectu *illius* propositionis, cujus est copula. neg. conseq. respectu alterius propositionis, cujus non est copula. conc. conseq. In dicta propositione complexa primum *est* non est terminus respectu primæ partis, seu propositionis: *Petrus est albus:* cujus est copula: sed tantum est terminus totius propositionis complexæ, cujus copula non est illud primum *est*, sed secundum. Ubi nota, non esse absurdum, quod una propositio simplex sit pars, & etiam terminus alterius compositæ, vel complexæ, ut patet in suprapositis propositione, & similibus, quæ innumeræ possent adduci. Multo minus est absurdum, quod plures voces, seu in obliquo, seu in recto, seu nominaliter, seu adverbialiter positæ, possint constituere unum terminum propositionis, ut si dico: *Petrus Pauli filius nuper vehementer ægrotans nunc est sanus:* ubi primæ sex voces tantum conficiunt subjectum.

10. Dices 2. Quando dico: *Petrus est albus:* verbum *est* formaliter, sive pro sua significatione sumptum, est terminus: ergo copula formaliter sumpta est terminus. prob. ant. In hac propositione contingenti verbum *est* significat idem, ac *existit:* ergo est terminus. Resp. neg. conseq. Admitto, in ea propositione verbum *est* esse terminum: sed non admitto, copulam esse terminum; nam in dicta propositione verbum *est* non tantum est copula, sed etiam est præ-

prædicatum: sicut in hac propositione, qua dico: *Aliquis Deus est:* alias daretur propositio sine prædicato, quod esse non potest: verbo, quando verbum *est* non sumitur tantum *in vi copulæ*, sive, ut significet tantum nexum, vel convenientiam prædicati cum subjecto: sed *in vi verbi*, hoc est, ut significet idem, ac *existit:* tunc sicut hæc vox *existit* non est tantum copula, sed etiam prædicatum, ita etiam vox *est:* quare nunquam copula formaliter accepta est terminus, sed tantum prædicatum in verbo *est* subintellectum: sicut etiam contingit in his propositionibus: *Petrus existit: Petrus studet &c.*

11. Objic. 3. Definitio nostra non convenit termino, nisi quando non est terminus: ergo non est bona. prob. ant. terminus tantum, quando est extra propositionem, est id, in quod resolvitur propositio: sed extra propositionem non est terminus: ergo. min. prob. illud non est terminus, quod non est pars propositionis: sed terminus extra propositionem non est pars propositionis: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. dist. maj. terminus tantum, quando est extra propositionem, est id, in quod resolvitur propositio actu. conc. maj. in quod resolvitur potentia. neg. maj. dein etiam neg. min. ad cujus probat. dist. maj. illud non est terminus, quod non est pars propositionis actu. neg. maj. quod neque est pars potentia. conc. maj. & dist. sic min. neg. conseq.

Verba in definitionibus posita (quod bene notandum) ordinarie non significant actum, sed tantum potentiam; non enim requiritur ad definitionem, ut res definita jam actu talis existat, qualis definitur, vel jam actu id faciat, quod per definitionem significatur: sed tantum, ut talis possit existere, vel possit illud facere. Sic homo est animal rationale etiam in somno, quando actu non ratiocinatur: & equus est animal hinnibile, etsi prorsus sileat: imo etiamsi in rerum natura necdum actualiter existat. Neque dicas, sic nostrum terminum esse tantum potentia terminum, non vero actu; nam negatur illatum; cum etiam homo actu existens, e. g. infans, sit actu animal rationale, licet actu non ratiocinetur.

12. Dices 1. Lignum, etsi possit elaborari in statuam, si nondum est sculptum, seu elaboratum, non

potest dici statua: ergo etiam conceptus, vel verbum, licet possit in ipsum resolvi propositio, nondum tamen potest dici terminus, si nondum in eum resoluta est propositio: ergo. Resp. neg. conseq. Lignum non habet ex definitione sua, ut sit statua: neque ordinatur ad hoc, ut sit statua, sed est prorsus indifferens: terminus autem habet ex definitione sua, ut in eum resolvatur propositio. Unde non quidem quodlibet, quod potest esse aliquid, jam hoc esse dicitur, sed tamen illud, quod vi suæ definitionis potest tale esse. Sic anima, licet non actu informet corpus, dicitur tamen actu forma corporis: sic etiam in artificialibus index horologii, etiam sejunctus ab horologio, & nullo modo indicans horas, tamen dicitur actu index.

13. Dices 2. Terminus mentalis, qui aliquando existit extra propositionem mentalem, nunquam potest fieri hujus pars: ergo terminus mentalis neque potest esse id, in quod resolvitur propositio mentalis. ant. prob. propositio mentalis est indivisibilis: ergo non potest habere partes, & præsertim novas. Resp. dist. ant. terminus mentalis non potest fieri pars propositionis formaliter talis. conc. ant. non potest fieri æquivalenter talis. neg. antec. & conseq. ad prob. conc. ant. & sub eadem dist conc. vel neg. conseq. Talis terminus mentalis potest fieri, vel est pars propositionis æquivalenter talis, quatenus propositio mentalis indivisibilis æquivalet duobus terminis, objectum extra propositionem repræsentantibus. Similiter etiam propositio mentalis æquivalenter resolvitur in terminos; quia ea destructa possunt dari, vel manere duæ apprehensiones, quæ eodem modo repræsentant objectum, quo modo repræsentabatur a propositione. Et hoc sufficere debet ad terminum; quia omnes terminum definiunt tanquam partem, vel extremum propositionis: nec in quæstionibus de voce est pluribus contra communem litigandum.

14. Dices 3. Propositio mentalis non habet partes: ergo nec terminos. Resp dist. ant non habet partes physicas, aut reales. om ant. non habet partes metaphysicas, & formales. neg. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. conseq. Sic etiam anima rationalis, licet realiter indivisibilis, & carens partibus physicis, habet tamen partes metaphysicas, scilicet intellectum, voluntatem, & memoriam: sic etiam Deus realiter minime divisibilis in

lis in partes, sed simplicissimus, tamen metaphysice, sive per conceptum, dividitur in plurimas perfectiones, sapientiam, omnipotentiam, justitiam &c.

15. Ob. 4. Definitio bona debet fieri per prædicatum primarium: atqui nostra definitio termini non fit per prædicatum primarium: ergo non est bona. prob. min. prius est constituere propositionem, quam in eam resolvi: ergo resolvi non est prædicatum primarium. Resp. 1. dist. ma. definitio bona, idest exactissima, debet fieri per prædicatum primarium. om. ma. definitio bona, id est, licet minus exacta, tamen utilis ad acquirendam scientiam. neg. maj. & om. min. sub eadem dist conc. vel neg. conseq. Diximus jam, nostram definitionem non esse omnino exactissimam, attamen ob auctoritatem Aristotelis esse retinendam. Resp. 2. dist. maj. definitio bona debet fieri per prædicatum primarium, relate ad scientiam, a qua definitur. conc. maj. semper per prædicatum absolute primarium. neg. maj. & dist. min. definitio nostra termini non fit per prædicatum absolute primarium. conc. min. non fit per prædicatum primarium relate ad scientiam, a qua definitur. neg. min. & conseq.

Sicut aliqua prædicata inferunt differentiam specificam respectu unius scientiæ, & non respectu alterius, e. g. prædicatum *aureum* infert differentiam specificam inter furtum auri, & furtum argenti respectu Physicæ, non vero respectu Theologiæ: ita etiam aliqua prædicata sunt primaria respectu unius scientiæ, & non respectu alterius. Unde, ut scientia objectum suum definiat per prædicatum primarium, sufficit, si id definiat per prædicatum primarium respectu sui: quod etiam accidit in nostra definitione termini; nam Aristoteles definivit terminum in libro 1. Analyticorum, seu resolutoriorum, respectu quorum prædicatum primarium est *resolvi*.

16. Objic. 5. Si terminus est subjectum, aut prædicatum, tunc est id, de quo aliquid affirmatur, aut negatur, vel quod de aliquo affirmatur, aut negatur: atqui terminus neutrum est: ergo non est subjectum, aut prædicatum. prob. min. subjectum, e. g. hujus propositionis: *Petrus est doctus*: est vox, seu conceptus *Petrus*: sed de voce, aut conceptu *Petrus*, non prædicatur, quod sit doctus, ut patet: ergo,

Resp.

Resp. dist. maj. si terminus est subjectum, vel prædicatum objectivum, tunc est id, de quo aliquid affirmatur &c. conc. maj. si tantum est subjectum, vel prædicatum formale. neg. maj. & conc. min. dist. conseq. terminus non est subjectum, vel prædicatum objectivum. conc. conseq. formale. neg. conseq. ad prob. min. om. totum.

Subjectum, vel prædicatum objectivum est illud objectum, quod per terminum formalem, id est, per vocem, vel conceptum significatur: ex. gr. per terminum *homo* significatur res aliqua potens ratiocinari, & ista res, prout realiter existit, est subjectum, vel prædicatum objectivum. Subjectum vero, vel prædicatum formale, est conceptus, aut vox significans illud objectum, vel rem, atque pro ipso supponens. Jam vero ad veritatem propositionis tantum requiritur, ut de subjecto objectivo affirmetur prædicatum objectivum, & hæc inter se identificentur: non vero requiritur, ut de se affirmentur, vel inter se identificentur subjectum, & prædicatum formale. Quia tamen termini formales sunt signa, & repræsentationes objectorum, & pro istis supponunt, hinc solemus istis tribuere, quod reipsa tantum illis convenit: sicut scilicet de imagine, aut statua, e. g. Æsopi, dicimus: *Hic est Æsopus:* & si forte imago eum deformem, (qualis nempe fuit) referat, dicimus: *Hic Æsopus est deformis:* ita etiam dicimus: *Homo est animal rationale.*

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Terminus.

17. Multiplex est divisio termini: & 1. adstruitur ab auctoribus terminus *mentalis*, *vocalis*, & *scriptus*: sicut enim datur talis triplex propositio, ita & terminus. *Mentalis* est, in quem resolvitur propositio mentalis: *vocalis*, in quem resolvitur propositio vocalis: & *scriptus*, in quem resolvitur propositio scripta. Si quæras, an etiam detur *terminus objectivus*, Resp. hoc dependere ex eo, an propositio objectiva sit proprie dicta propositio, & non tantum analogice talis: videntur autem

tem Philosophi communius velle, quod propositio objectiva non sit propositio proprie, sed tantum analogice dicta: & quando aliquid vocant terminum objectivum, tantum intelligunt objectum termini mentalis, aut vocalis, vel scripti. Quæstio non est magni momenti.

Adstruitur 2. terminus *significativus*, & *non significativus*. Prior, seu *significativus*, est, qui ex hominum placito, & institutione significat aliquid, sive positivum, sive negativum, e. g. *cœlum*, *terra*, *tenebræ*. Alter, seu *non significativus*, est, qui nullam ex institutione hominum habet significationem, e. g. *Pliciri*, *scindapsis*. Nota tamen 1. Hæc conveniunt soli termino vocali; nam mentalis, seu conceptus, non significat ex institutione hominum, sed ex natura sua: item nullus datur terminus mentalis non significativus; quia omnis cognitio est essentialiter repræsentatio alicujus objecti. Nota 2. Terminus non significativus non dividitur ulterius; quia divisio ejus ulterior non videtur afferre utilitatem: at vero plures adhuc divisiones fiunt termini significativi, & plures ejus species ab auctoribus assignantur.

18. Primo enim datur terminus significativus *transcendentalis*, *supertranscendentalis*, & *non transcendentalis*. Primus, seu *transcendentalis*, est, qui convenit omni enti, quales sunt hi sex *res*, *ens*, *verum*, *bonum*, *aliquid*, *unum*. Alter, seu *supertranscendentalis*, est, qui convenit omni enti, & etiam non enti, e. g. *cognoscibile*: si tamen Chimæra in seipsa cognosci possit. *Non transcendentalis* est, qui non convenit omni enti, e. g. *homo lapis*.

Secundo datur terminus *categorematicus*, & *syncategorematicus*. Primus est, qui aliquid ita complete, & determinate significat, ut possit se solo esse saltem prædicatum, ut *homo*, *animal*. Secundus est, qui non ita complete, aut determinate aliquid significat, ut possit se solo esse prædicatum, ut *omnis*, *aliquis*, *nullus*; nam hæ voces se solis prædicari non possunt, sed tantum cum aliquo addito.

Tertio datur terminus *rectus*, & *obliquus*. Prior est, qui exprimitur in casu nominativo, vel formaliter, vel saltem æquivalenter; alter, qui exprimitur

tur in alio casu, e. g. in hac propositione: *Petrus est filius Pauli*: termini *Petrus*, & *filius* sunt recti: at terminus *Pauli* est obliquus. In hac autem propositione: *Materia, & forma cum unione constituunt compositum*: etiam terminus *cum unione* potest dici esse rectus; quia saltem æquivalet recto; nam facile potuisset dici; *Materia, forma, & unio, constituunt compositum*. Ex paulo autem ante dictis videtur sequi, etiam casus obliquos, & adverbia, esse terminos syncategorematicos: quidquid autem de hoc sit, parum refert; nam raro occurrit in tota Philosophia hæc acceptio termini categorematici.

19. Quarto datur terminus *communis*, seu *universalis, collectivus, & singularis*. Primus, seu *communis*, est, qui convenit univoce, & divisim, omnibus contentis sub eodem genere, aut specie: sive dein plura actu existant, ut *animal*: sive possint existere, ut *sol, luna*. Alter, seu *collectivus* est, qui convenit pluribus non divisim, sed simul acceptis, ut *plebs, turba*. Tertius, seu *singularis*, est, qui uni tantum determinato univoce competit, ut *Petrus, Paulus*: item *Deus*; quia hæc vox, vel conceptus, non competit pluribus in eadem significatione, sive in ratione significata per nomen; non enim sunt plures Dii, licet sint plures personæ divinæ.

Quinto alius est terminus *finitans*, alius *infinitans*. Prior est, qui determinate dicit, quid res sit, ut *homo, leo*: alter est, qui, præposita particula *non*, in incertum vagatur, nec explicat, quid res sit, sed tantum, quid non sit, ut *non lapis, non homo*. Ubi notandum, particulam negativam immediate præponendam esse termino, & non copulæ; alias non fieret terminus, vel propositio infinitans, sed omnino propositio negativa; sic: *Petrus est non lapis*: est propositio infinitans: at vero: *Petrus non est lapis*: est propositio negativa.

20. Sexto alius est terminus *concretus*, alius *abstractus*. Prior, seu *concretus*, est, qui significat totum compositum ex subjecto, & forma, ut *albus, niger*: alter, seu *abstractus*, significat solam formam, ut *albedo, nigredo*. *Subjectum* dicitur id, quod denominatur, e. g. *paries*, qui denominatur albus: *forma* dicitur id, quod denominat, e. g. *albedo*; unde *albus* idem

idem significat, ac *res habens albedinem*. Est autem *concretum* triplex, *Metaphysicum, Physicum, & Logicum*. Primum seu *metaphysicum* est, cujus forma est realiter identificata subjecto, e. g. *rationale, Deus*; nam rationalitas, & Deitas, sunt identificatæ subjecto, nempe rationali, & Deo. Alterum, seu *physicum* est, cujus forma est subjecto intrinseca, & physice unita, e. g. *albus, niger*; nam albedo, & nigredo, sunt physice unitæ subjecto albo, vel nigro, e. g. homini. Tertium, seu *logicum* est, cujus forma est extra subjectum, vel saltem secundum se non petit subjecto inesse, e. g. *visus, cognitus*; quia visio, vel cognitio, non est necessario e. g. in Petro, qui visus est, sed potest esse in Paulo videnti, & tamen Petrum denominare visum: & per accidens est, quod aliquando visio sit in ipso Petro, dum scilicet iste videt seipsum.

21. Septimo datur terminus *primo intentionalis*, & *secundo intentionalis*. Prior est, qui rem significat, ut est in se independenter a nostra cognitione, e. g. *homo, animal*. item etiam ipse hic terminus *cognitio*; nam, licet hic terminus significet cognitionem, non tamen significat eam dependenter ab alia cognitione; significat enim suum objectum, scilicet conceptum mentis, prout est in se, independenter ab omni cognitione eum cognoscente, vel denominante. Alter, seu terminus *secundo intentionalis* est, qui significat rem ut affectam aliqua cognitione, e. g. *genus, species, subjectum, cognitus*, item hic ipse conceptus, vel vox *primo intentionalis, secundo intentionalis*.

Octavo alius dicitur terminus *pertinens*, & alius *impertinens*. Terminus *impertinens* est, qui alium nec excludit, nec infert, ut *album*, respectu *dulcis*; potest enim res esse alba, simulque dulcis, aut amara. Terminus *pertinens* est duplex: alius *pertinens repugnantia*, qui scilicet alterum excludit, ut *amarum* respectu *dulcis*: alius *pertinens sequela*, qui scilicet alterum infert, ut *homo* respectu *animalis*: & quidem aliquando unus alterum infert convertibiliter, seu ut ipse vicissim ab altero inferatur: sic se habet *homo* respectu *animalis rationalis*: aliquando vero non infert convertibiliter: & sic se habet *homo* respectu *animalis*. Ex his autem terminis ille,

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

qui magis est universalis, dicitur *superior*, qualis in allato exemplo est *animal*: at vero minus universalis dicitur *inferior*, qualis in dato exemplo est *homo*.

22. Nono dicitur alius terminus *univocus*, alius *æquivocus*, alius *analogus*. Sed hæc divisio tantum convenit termino vocali; non enim datur terminus æquivocus in mente; nam cognitio cognoscens hominem Gallum est essentialiter longe alia, quam cognitio cognoscens gallum gallinaceum, licet eadem voce exprimatur. Imo, etsi cognitio utrumque scilicet hominem, & volucrem, simul exprimeret, talis tamen esset, ut neutri soli tota applicari posset, quod tamen ad æquivocationem requiritur. Unde hanc divisionem termini posui post alias, termino utrique, tam mentali, quam vocali convenientes. Est autem terminus *univocus*, qui convenit pluribus in eadem significatione, ut *homo*, *animal*: vel qui convenit etiam tantum uni singulari in eadem significatione, ut *Deus*. ita Arriaga *Disp.* 1. *in Summul. n.* 19. Terminus *æquivocus* stricte talis, seu *æquivocus a casu* est, qui convenit pluribus sub diversa significatione, ut *Gallus* respectu galli gallinacei, & hominis in Gallia nati: &, ut Arriaga *cit. Disp. n.* 20. docet, *Petrus* respectu plurium, qui vocantur hoc nomine; cum quemvis significet diversis accidentibus individuantibus affectum. *Analogus*, seu *æquivocus a consilio* est, qui convenit pluribus, in significatione partim eadem, partim diversa, ita, ut uni proprie conveniat, alteri vero propter aliquem ordinem ad illud, vel propter similitudinem cum illo. Sic vox *homo* est terminus analogus respectu hominis veri, & hominis picti: vox *sanus* respectu hominis, & medicinæ: vox *ridens* respectu hominis, & prati.

23. Plures alias adhuc termini divisiones videre est apud auctores, e. g. divisionem termini in *simplicem*, & *complexum*, in *absolutum*, & *connotativum*, in *copulativum*, & *divisivum* &c. Sed non lubet hic ulterius immorari, & memoriam legentium obruere: cum successive commodius, & clarius, plures terminorum acceptiones sint explicandæ; aliquæ etiam explicatione non indigeant, cum ipsa sua appellatione satis se prodant. Id solum addo, eundem terminum posse sub pluribus divisionibus contineri, imo etiam contineri sub pluribus membris ejusdem

dem divisionis, sub diverso scilicet respectu. Sic terminus *homo* est univocus respectu Petri, & Pauli: & est analogus respectu hominis veri, & picti.

24. Ob. 1. contra dicta *num.* 17. Vox *Pliări* est terminus significativus; ergo nullus datur terminus non significativus: nam est eadem ratio de omnibus aliis. prob. ant. *Pliări* significat nihil: ergo est terminus significativus. Confirm. Si audio vocem *Pliări*, statim intelligo, hominem aliquem loqui: ergo hoc mihi significatur: ergo ea vox est terminus significativus. Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. significat nihil, id est, nullam habet significationem. conc. ant. id est, significat negationem omnis rei, quam significat vox *nihil*. neg. ant. & conseq. Aliud est, habere negationem significationis, seu nullam habere significationem: aliud habere significationem negationis, seu significare negationem: primum convenit voci *Pliări*: secundum convenit voci *Nihil*.

Ad confirm. dist. 1. conseq. hoc mihi significatur ex naturali vi illius vocis. conc. 1. conseq. ex vi significandi, quam ea vox habet ex institutione hominum. neg. 1. & etiam 2. conseq. Per terminum significativum non intelligitur signum naturale, quale est e. g. fumus respectu ignis, & vox respectu vitæ hominis: sed intelligitur signum institutum ab hominibus, qui primi linguas invenerunt. At vox *Pliări*, ab aliquo pronunciata, naturaliter quidem significat, eum vivere, aut loqui: sed non fuit ordinata ex institutione hominum, ad significandam vitam, aut locutionem.

25. Ob. 2. contra dicta *n.* 18. Terminus categorematicus est, qui se solo potest esse prædicatum: sed terminus syncategorematicus potest se solo esse prædicatum: e. g. si dico: *Terminus omnis est syncategorematicus*: ergo. Simili ratione potest probari, quod terminus æquivocus sit univocus, & terminus abstractus sit concretus &c. Resp. dist mi. terminus syncategorematicus, id est, hæc vox, vel conceptus *syncategorematicus*, potest esse prædicatum. conc. mi. objectum hujus vocis, vel conceptus, seu significatum hujus termini. neg. min. & sub ead. dist. conc. vel neg. conseq. Objectum, vel significatum hujus vocis, vel conceptus, sunt termini *omnis*, *aliquis* &c. qui se solis non possunt esse prædicatum.

Dices. Legitimæ sunt hæ propositiones: *Nullus est in schola: Aliquis currit: Petrus non est nullus: Perdita sunt omnia:* sed in his termini *nullus*, *aliquis*, *omnia*, sunt prædicatum, vel, quod æquivalet, sunt subjectum: ergo. Resp. dist. min. sunt subjectum, aut prædicatum se solis. neg min. sunt cum terminis subintellectis, qui tamen non jam implicite continentur in ipsis. conc. min. & neg. conseq. Nam in primis tribus propositionibus subintelligitur *homo*: in quarta *entia*. Urgebis. Etiam in adjectivis subintelligitur aliquid, e. g. in propositione: *Petrus est doctus:* intelligitur ens, vel subjectum, quod habet doctrinam: ergo neque adjectiva sunt termini categorematici: hoc est falsum: ergo. Resp. dist ant. in adjectivis subintelligitur aliquid, jam in ipsis implicite contentum. conc. ant. non contentum. neg. ant. & conseq. Adjectiva, utpote concreta, includunt jam subjectum, & formam: sic *doctus* exponitur *ens habens doctrinam*: non autem eodem modo termini syncategorematici includunt subjectum, & formam; non enim, nisi ridicule diceres: *Omnis est ens habens omneitatem: Aliquis est ens habens aliqueitatem.*

ARTICULUS II.

Quid, & quotuplex sit Suppositio Terminorum.

26. SUppositio communiter dicitur esse *usus termini pro aliquo*: estque varia pro vario usu terminorum. Imprimis est *materialis* (quam aliqui, quamvis immerito, negant) estque usus termini pro nuda voce, & non pro suo significato: e. g. si dico; *Homo est dissyllabum*: vel: *Est est copula*. Dein *formalis*, quæ est usus termini pro suo significato: seu pro aliquo, ad quod significandum terminus est institutus: e. g. si dico: *Homo est rationalis*. Utimur autem termino, vel eum supponimus pro suo significato diversimode; nempe aliquando latissime, pro omnibus omnino significatis, ad quæ significatio termini se extendit: e. g. si dico: *Omnis homo est rationalis*; nam hoc de omni prorsus homine dicitur: aliquando utimur termino minus late tantum pro aliquibus ejus significatis; e. g. si dico: *Omni homo*

homo currit: quod tantum dicitur de actu existentibus, & non de tantum possibilibus: & hinc datur multiplex suppositio termini, ut patebit ex dicendis: item dantur plures terminorum varie supponentium proprietates, de quibus *num.* 53. unde etiam recte docet de Benedictis *l. 3. Logic. qu. 3. c. 5.* quod *significatio termini*, & *ejus suppositio* non sint idem, seu differant ut actus primus, & actus secundus: & significatio termini sit aptitudo ejus ad hoc, ut ipsum supponamus, vel eo utamur in oratione: suppositio autem sit actualis usus termini.

Suppositio *formalis* alia est *personalis*, alia *simplex*: in quarum tamen explicatione variant auctores; nam aliqui volunt, suppositionem simplicem tunc dari, quando terminus accipitur pro suo significato secundo intentionali: & personalem tunc, quando terminus accipitur pro significato primo intentionali. Sed non videtur legitima hæc assertio; nam, ut habet communis, cum simplici suppositione non stat descensus ab universali termino ad particulares: & tamen etiam terminus, pro significato secundo intentionali acceptus, patitur descensum: e. g. quando dico: *Omnis species est universale*: legitime descendere possum sic: *Et species humana est universale, & species equina est universale &c.*

27. Alii volunt, suppositionem simplicem tunc dari, quando terminus sumitur præcise pro significato immediato: personalem vero, quando sumitur terminus pro significato mediato; ajunt autem, significatum immediatum esse rationem aliquam communem: sic, ajunt, significatum immediatum hujus termini *homo* est natura humana in communi: significatum autem mediatum esse individua: sic ajunt, ejusdem termini *homo* significatum mediatum est Petrus, Paulus &c.

Alii dicunt, terminum supponere simpliciter tunc, quando accipit significationem secundo intentionalem a prædicato secundo intentionali, ut quando dico: *Homo est species*: supponere autem personaliter, quando terminus non accipit significationem secundo intentionalem a prædicato, sive eam aliunde habeat, ut, quando dico: *Species est universale*: sive eam non habeat, ut, quando dico: *Homo est ani-*

animal. Ratio autem est; quia terminus, talem significationem a prædicato accipiens, non patitur descensum; nam a propositione: *Homo est species*: non possum descendere dicendo: *Et hic homo est species: & ille homo est species &c.* Pluribus non opus est, hac de re litigare; cum hæc suppositio modicum usum habeat in decursu Philosophiæ: sed ordinarie termini accipiantur in suppositione personali.

28. Jam *suppositio personalis* alia est *communis*, alia *singularis*. Ista, seu *singularis* est usus, vel acceptio termini singularis, ut *Petrus*, vel acceptio termini communis, sed affecti signo singulari, ut *hic homo*. Illa, seu *communis* est usus, vel acceptio termini communis, non affecti signo singulari, ut *homo, leo &c.* Hæc suppositio communis est quadruplex, nempe *collectiva, distributiva, disjunctiva*, & *disjuncta*, seu *confusa*. Prima, seu *collectiva* est usus termini pro omnibus suis inferioribus simul acceptis, ut, si dico: *Omnia elementa sunt quatuor*. Altera, seu *distributiva* est usus, vel acceptio termini pro omnibus inferioribus, ita, ut de quolibet seorsim verificetur prædicatum, ut si dico: *Omnis homo est animal*. Tertia, seu *disjunctiva* est usus termini pro omnibus inferioribus, ita ut prædicatum tantum de uno determinate assignabili necessario verificetur, ut si dico: *Aliquis homo currit*. Tandem *disjuncta*, seu *confusa* est usus termini pro inferioribus, ita, ut prædicatum de nullo determinate verificetur, ut in hac propositione: *Aliquis oculus est necessarius ad videndum*; nec enim dexter, nec sinister est determinate necessarius; cum sine alterutro possim videre.

Ubi addendum circa suppositionem distributivam, aliquando distributionem esse completam, scilicet, quando prædicatum convenit omnibus prorsus individuis inferioribus, ut in propositione: *Omne animal est sensitivum*: aliquando autem distributionem esse incompletam, quando prædicatum tantum congruit omnibus inferioribus generibus, vel speciebus, ut in propositione: *Omne animal fuit in arca Noe*; quia non omnia individua, sed tantum omnes species animalium fuere in illa arca. Et quidem prior suppositio complete distributiva dicitur *suppositio pro singulis generum*: altera, seu incomplete

plete distributiva, dicitur *suppositio pro generibus singulorum*. Aliquando etiam hæc distributio est tantum *accommoda*, quando scilicet prædicatum non convenit omnino omnibus inferioribus, sed uno, vel paucis exceptis: e. g. in hac propositione: *Omnes homines peccaverunt in Adam*: ubi debet excipi Beatissima, & Immaculatissima Virgo.

29. Ut autem suppositio est quadruplex, ita etiam est quadruplex *descensus*, & *ascensus*. Est autem *descensus* consequentia deducta a termino communi ad inferiora: *ascensus* autem est consequentia deducta a pluribus terminis particularibus, vel singularibus, ad terminum superiorem, seu communem. Jam *descensus collectivus* fit a termino collectivo per particulam &, nectentem terminos, & non propositiones, ut scilicet resultet tantum una propositio, & non duplex, aut multiplex: e. g. quando dico: *Omnes Apostoli sunt duodecim: ergo Petrus, & Joannes, & Andreas &c. sunt duodecim*, non autem: *ergo Petrus est duodecim: Joannes est duodecim &c.* At *descensus distributivus* fit a termino communi supponente distributive per particulam & nectentem, non tantum terminos, sed etiam propositiones, ita, ut fiant plures propositiones: e. g. si dico: *Omnis homo est rationalis: ergo & Petrus est rationalis, & Paulus est rationalis &c.* Jam *descensus disjunctivus* fit a termino disjunctivo per particulam *vel*, multiplicantem propositiones, ut resultent plures propositiones, in quarum singulis repetatur prædicatum, ita tamen, ut hoc de uno tantum ex inferioribus necessario verificetur: sic ab ista propositione: *Aliquis Angelus salutavit B. Virginem*: bona est consequentia ad has: *Ergo vel Angelus Michael salutavit B. Virginem: vel Angelus Raphael eam salutavit: vel Angelus Gabriel eam salutavit:* in quo ultimo prædicatum verificatur.

Tandem *descensus disjunctus*, seu *confusus*, fit a termino disjunctim, vel confuse accepto, per particulam *vel*, multiplicantem terminos, & non propositiones, ita, ut maneat una tantum propositio, & prædicatum in nullo inferiore determinate accepto, sed tantum in uno indeterminate accepto, verificetur. Sic si dico: *Aliquis equus est necessarius ad equitandum*:

dum: legitime potest inferri: *Ergo, vel hic equus, vel iste equus, vel ille equus, &c. est necessarius ad equitandum:* non autem potest inferri: *Ergo vel hic equus est necessarius ad equitandum, vel iste est necessarius, vel ille est necessarius &c.* nam, licet hæ propositiones in sensu grammaticali videantur æquivalere priori, tamen in sensu Logico non æquivalent: quando enim prædicatum, & copula multiplicatur, signum est apud Summulistas, quod prædicatum in aliquo determinato verificetur: quamvis hoc in calore disputandi non adeo stricte observetur.

ARTICULUS IV.

Statuuntur Regulæ Suppositionum.

30. PRima regula est. Terminus non significativus non supponit, nisi materialiter; nam, cum nihil aliud a se distinctum significet, non potest pro alio supponere, seu substitui. At terminus significativus tunc supponit materialiter, quando non accipitur pro suo significato, sed pro nuda voce: e. g. si dico: *Homo est nomen: Est est copula: Leo est dissyllabum.*

Secunda regula. Terminus formaliter supponens, si potest explicari per aliquem descensum, *num.* 29. explicatum, supponit personaliter, ut ex communi dictum *num.* 26. idque verum est, etsi sit terminus secundo intentionalis, ut ibidem dictum: & sic in hac propositione: *Omnis species est universale*, terminus *species*, licet secundo intentionalis, supponit personaliter; unde terminus communis affectus signo universali, aut particulari *omnis, nullus, aliquis*, semper supponit personaliter; quia semper potest explicari per aliquem descensum.

31. Tertia regula. Terminus ex se primo intentionalis, si ratione adjecti prædicati fit secundo intentionalis, saltem ut plurimum supponit simpliciter; quia tunc saltem ordinarie non patitur descensum: e. g. in hac propositione: *Homo est species:* terminus *homo* supponit simpliciter: quia non potest inferri per descensum: *Ergo & hic homo est species, & ille homo est species &c.* nam sensus illius propositionis est: *Natura humana in communi confuse cognita est species.*

Si

Si autem terminus primo intentionalis non accipit significationem secundo intentionalem a prædicato, licet hoc sit secundo intentionale, manet suppositio personalis: e. g. in his propositionibus: *Nullus homo est species: Species est universale: Homo est cognitus;* nam in prima propositione negativa negatur prædicatum de subjecto, adeoque non accipit ratione illius ullam significationem: in secunda propositione terminus *species* independenter a prædicato jam habet significationem secundo intentionalem: in tertia autem propositione terminus *homo* non accipit a prædicato *cognitus* significationem secundo intentionalem.

32. Nam tunc tantum terminus aliquis, vel subjectum, accipit significationem secundo intentionalem ab adjecto prædicato, quando prædicatum ei non competit, nisi ut jam antecedenter cognito per aliam cognitionem, quæ se jam teneat ex parte subjecti, & non importetur præcise a prædicato; sic propositio: *Homo est species:* habet, ut *num.* 31. est dictum, hunc sensum: *Natura humana confuse cognita est species:* ubi vides, jam ex parte subjecti tenere se aliquam cognitionem confusam: in hac vero propositione: *Homo est cognitus:* nulla cognitio se tenet ex parte subjecti; neque enim sensus est: *Homo cognitus est cognitus;* sic enim propositio esset identica: sed tantum ejus sensus est: *Homo est aliqua cognitione attactus:* ubi tantum ex parte prædicati importatur cognitio. Accedit, quod in omnibus tribus supra positis propositionibus detur descensus, ut facile patet considerranti, adeoque suppositio simplex dari non possit.

33. Quarta regula. Si subjectum propositionis sit terminus communis, affectus signo universali *omnis, nullus, quilibet*, supponit distributive, ut patet inductione. Excipe 1. nisi hæc vox *omnis* significet; idem, ac *totus*, ut in propositione: *Omnis turba quærebat eum tangere. Luc. 6. v. 19.* Excipe 2. nisi hoc signum *omnis* sumatur pluraliter; tunc enim aliquando quidem supponit distributive, ut, quando dico: *Omnes Sancti sunt in cœlo:* aliquando autem supponit collective, ut quando dico: *Omnes Apostoli sunt duodecim: Omnia elementa sunt quatuor.*

Excipe 3. Nisi terminus, signo universali *omnis* affe-

ctus, in ea significatione, in qua hic, & nunc supponit, careat pluribus inferioribus, ad quæ per particulam & possit descendi: e. g. si quis dixisset: *Omnis Deus est omnipotens:* aut si quis Adamo ante Evam conditam ambulante dixisset: *Omnis homo ambulat;* nam in his casibus, cum ex defectu inferiorum non posset fieri descensus per particulam & a terminis *Deus*, & *homo*, isti non supponerent formaliter distributive, sed tantum suo modo æquivalenter, ut *num.* 36. dicemus de termino singulari. Nec dicas 1. juxta omnes a tali termino, vel propositione, eum habente pro subjecto, posse fieri descensum; nam omnes subintelligunt, *si terminus habeat inferiora:* sicut subintelligunt, si vox *omnis* non significet idem, ac vox *totus:* cumque ordinarie talis terminus habeat inferiora, hinc ei tribuunt denominationem patientis descensum, vel supponentis distributive, desumptam, ut sæpe fit, a potiori: at in nostro casu auctores non adstruunt descensum, aut suppositionem distributivam formaliter talem.

Nec dicas 2. juxta communem auctorum etiam in talibus propositionibus debere posse fieri descensum, qui cum in ipsis fieri non possit cum veritate, hinc tales propositiones esse falsas: sicut falsa est ista: *Omnis homo est sine labe conceptus;* nam contra est. Nemo hucusque dixit, quod propositio: *Omnis homo ambulat:* in casu supra posito sit falsa: neque facile ullus dicet, falsam esse alteram propositionem: *Omnis Deus est omnipotens:* & malam esse hanc argumentationem Christiani contra ethnicum: *Omnis Deus est omnipotens: sed Mars non est omnipotens: ergo non est Deus.* Scilicet, ut recte docet Haunoldus *Logic. pract. p* 1. *cap.* 2. *art.* 2. *n.* 10. vox *omnis* sæpe significat idem, ac *quicumque:* quæ vox est indifferens ad unum, & plures, ad suppositionem formaliter distributivam, aut tantum æquivalenter talem. Qua autem in significatione accipiatur vox *omnis*, utique sæpe desumendum est, vel ex natura termini, cui adjungitur, vel ex aliis adjunctis, vel ex communi acceptione auctorum.

Quinta regula. Si propositio est indefinita, sive talis, cujus subjectum nullo signo, nec universali, nec particulari affectum est, debet suppositio subjecti ordi-

ordinarie desumi ex ipsa natura propositionis; si enim hæc est in materia necessaria, sive necessario vera, subjectum supponit distributive: si tamen prædicatum singulis inferioribus seorsim convenit; alias poterit supponere collective. Sic hæc propositio: *Homo est animal:* significat idem, ac ista: *Omnis homo est animal:* & idem dicendum de propositione negativa: e. g. *Homo non est lapis.* Si vero propositio sit in materia contingenti, seu contingenter vera, ordinarie subjectum supponit disjunctive; nam hoc ipso, quod sit tantum contingenter vera, prædicatum ordinarie non omnibus convenit. Sic ista propositio: *Equus currit:* significat: *Aliquis equus currit:* quin etiam hoc verum est in propositionibus, in quibus de genere prædicatur contingenter species: e. g. hæc propositio: *Animal est homo:* significat: *Aliquod animal est homo:* & idem dicendum de similibus.

34. Sexta regula. Prædicatum propositionis affirmativæ, si sit terminus communis, non supponit distributive, sed disjunctive; nam, si supponeret distributive, tunc dicendo e. g. *Petrus est homo:* sensus esset: *Petrus est & iste homo, & ille homo &c.* atque adeo esset identificatus cum pluribus hominibus, quod est aperte falsum. Quod autem tale prædicatum supponat disjunctive, probatur. Tunc est suppositio disjunctiva, quando potest assignari saltem a Deo aliquid determinatum, in quo verificetur prædicatum: atqui in qualibet propositione, sive universali, sive particulari affirmativa, potest assignari aliquid determinatum, in quo verificetur prædicatum: ergo prædicatum supponit disjunctive. ma. est definitio suppositionis disjunctivæ. min. prob. in his e. g. propositionibus: *Omnis homo est animal: Summus Pontifex est homo:* est assignabile aliquid determinatum, in quo prædicatum verificetur, nempe in prima *animal rationale*, in secunda *Clemens XII.* ergo.

Imo quidam volunt, quod etiam in his propositionibus: *Aliquis oculus est necessarius ad videndum: Aliquis equus est necessarius ad equitandum:* licet subjectum supponat confuse, non tamen confuse, sed disjunctive supponat prædicatum; quia non significatur quæcumque vaga necessitas, sed necessitas determinata ad videndum, ad equitandum &c. Alii

tamen distinguunt, dicendo, in tali propositione prædicatum quidem supponere disjunctive secundum abstractum, sive obliquum, aut formam, hoc est, secundum necessitatem, quæ determinata est; supponere autem disjunctim, seu confuse secundum rectum, identificatum subjecto, seu secundum id, cujus necessitas est, quodque non est determinatum.

35. Septima regula. Negatio non infinitans, seu quæ facit propositionem negativam, distribuit omnem terminum, quem afficit; unde in propositione negativa universali, e. g. *Nullus homo currit:* distribuitur subjectum, & prædicatum: at vero in propositione particulari: *Aliquis homo non currit:* distribuitur solum prædicatum; quia hoc solum a negatione afficitur. Si vero propositio sit infinitans, tunc distribuit solum illum terminum, cui addita est negatio, ut si dico: *Aliquis homo est non Angelus:* distribuitur tantum *Angelus*, estque sensus: *Aliquis homo est distinctus ab omni Angelo, Michaele, Gabriele &c.* Ratio istorum est natura particulæ negativæ, distributive omnia, quæ afficit, excludentis: quæ propterea dicitur *malignantis naturæ*.

36. Octava regula. Terminus singularis supponit æquivalenter distributive, tam ex parte subjecti, quam ex parte prædicati; hinc propositio: *Petrus est hic homo:* habet hunc sensum: *Omne, quod est Petrus, est omne, quod est hic homo:* & per descensum distributivum: *Et hoc, quod est Petrus, est hic homo: & illud, quod est Petrus, est hic homo &c.* sive: *Est & hoc quod est hic homo: & est illud quod est hic homo &c.* ut adeo tam subjectum, quam prædicatum singulare, per descensum æquivalenter distributivum exponatur. Dico *æquivalenter;* cum enim reipsa non dentur plura inferiora, non potest fieri formalis distributio. Excipe tamen propositiones aliquas de objecto singulari, includente virtualem distinctionem; nam e. g. hæc propositio singularis: *Hic Pater Divinus est hæc natura Divina:* non potest sic exponi: *Hic Pater Divinus est omnis, qui est hæc natura Divina;* alias enim Pater esset etiam Filius, quod est hæreticum. Quid autem sit distinctio virtualis, dicetur inferius *a n.* 415.

37. Nona regula. Si de subjecto absolute prædicatur

tur aliquod exercitium physicum, vel actio, subjectum illud non supponit indeterminate, aut disjunctim, seu confuse, sed determinate, seu disjunctive, aut distributive, aut etiam aliquando collective, prout dein additum est, vel signum *omnis*, vel *aliquis*, vel in singulari, vel in plurali; unde in his propositionibus: *Omnis homo currit: Aliquis homo loquitur: Omnes Apostoli secuti sunt Christum:* est suppositio determinata, seu talis, ut propositiones in aliquo determinato subjecto verificentur. Ratio autem est; quia exercitium physicum, vel actio, aut effectus, non potest procedere, nisi a determinato principio: neque etiam ipsa actio, seu exercitium, quod absolute, seu actualiter procedit, potest esse indeterminatum; cum nihil indeterminatum possit actu existere.

Dixi, *si absolute prædicatur;* nam si tantum conditionate prædicatur aliqua actio, tunc probabiliter locum habet suppositio confusa: e. g. ad hanc propositionem: *Si Petrus habuerit equum, equitabit:* verificandam nullus equus est determinate necessarius; quia Petrus est paratus in quocumque equo equitare: & hæc præparatio animi in Petro est instar alicujus necessitatis, cui possunt subvenire, vel congruere plures equi. Pariter verbum *equitabit* supponit confuse, ut significet: *Aliquam equitationem indeterminate ponet;* quia alia erit, si habuerit equum A, & alia, si habuerit equum B; unde in statu objectivo, seu conditionato, equitatio necdum est determinata, sed determinabitur, si reducatur ad statum realem, & absolutum. Et ratio ulterior est. Propositio absoluta affirmans aliquod exercitium de suo subjecto, exigit objectum affirmatum, seu exercitium dari in statu reali, in quo nihil potest dari indeterminate: at propositio conditionata non exigit dari objectum suum in statu reali, sed tantum in statu objectivo, in quo utique potest dari aliquid indeterminate: & hinc talis propositionis conditionatæ verificativum potest esse aliquid indeterminatum, licet verificativum propositionis absolutæ debeat esse aliquid determinatum.

38. Decima regula. Si de termino communi, tanquam de subjecto, prædicatur aliqua necessitas, cui satisfacere possunt plures causæ seorsim sumptæ, sive

plura

plura inferiora illius termini communis, tunc ille terminus communis, particulari signo affectus, supponit disjunctim, seu confuse. Sic in his propositionibus: *Aliquis equus est necessarius ad equitandum: Aliquis oculus est necessarius ad videndum:* subjectum supponit confuse; quia de nullo equo, aut oculo, determinate verificatur, quod sit necessarius, ut facile patet consideranti. At, si una tantum causa possit satisfacere necessitati, quæ prædicatur, datur suppositio disjunctiva. Sic in hac propositione: *Aliquis sensus est necessarius ad videndum:* subjectum, seu sensus, supponit disjunctive, & determinate pro sensu visus; nam in hoc determinate verificatur prædicatum *necessarius*; cum hic solus ei necessitati satisfacere possit; eo quod per alium sensum videri non possit.

39. Ex occasione notandum, quod in argumentatione per se non liceat mutare suppositionem terminorum; alias sæpe inferretur ex vero falsum: e. g. in hoc syllogismo: *Omnes partes sunt inadæquate distinctæ a toto: sed omnes partes sunt totum: ergo totum est inadæquate distinctum a toto:* ubi conclusio est falsa; quia scilicet in prima propositione terminus *omnes partes* sumitur distributive, in secunda vero collective. Idem contingit in hoc syllogismo: *Petrus occidit Paulum: sed Petrus est vox: ergo vox occidit Paulum:* ubi terminus Petrus primo sumitur formaliter, secunda vice autem materialiter.

Notandum etiam, aliquando dici, *propositionem esse de subjecto non supponente:* tunc autem dicitur esse subjectum non supponens, quando subjectum non existit pro tempore importato per copulam: si tamen copula propositionis aliquod tempus importat, vel significat; nam in quibusdam propositionibus, quæ fiunt de rebus creatis, & vocantur necessariæ, sive æternæ veritatis, copula nullum tempus importat: e. g. in hac propositione: *Omnis homo est animal.* At in propositionibus contingentibus affirmativis, & categoricis, seu absolutis, quando prædicatum significat actuale exercitium, vel formam accidentalem, non potentem existere, nisi in subjecto actu existente, copula importat aliquod tempus: e. g. in his propositionibus: *Petrus fuit currens: Murus est albus:*

albus: importatur in prima tempus præteritum, in altera præsens; hinc, ut sint de subjecto supponente, debet Petrus extitisse, & murus existere.

40. Ratio est; quia, cum rectum prædicati, & rectum subjecti, debeant identificari, sicut existit rectum prædicati, ita debet etiam rectum subjecti existere: atqui in prima propositione extitit rectum prædicati; alias non potuisset in eo existere forma accidentalis, seu cursus: ergo. Plura vide apud Casilium *l. 1. tract. 2 cap 1. sect. 3.* Ex quo ulterius infertur, propositionem de subjecto non supponente affirmativam esse falsam; cum affirmet etiam existentiam subjecti, quæ non datur: at vero propositionem negativam esse veram; cum implicite neget disjunctive, vel existentiam subjecti, vel convenientiam prædicati: propositio autem disjunctiva sit vera, modo unum membrum sit verum.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

41. Obj. 1. contra 1. regulam. Vox non significativa, e. g. *Plicari*, non potest esse pars orationis: ergo non datur suppositio materialis. prob. ant. oratio est vox significativa ad placitum: ergo, quod non est significativum, non potest esse ejus pars. Confir. Terminus objectivus non potest esse pars orationis: sed vox non significativa, e. g. *Pliari*, est tantum terminus objectivus: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. Certe, quod detur suppositio materialis, admittitur communissime: quin ipse, qui præcipue ab adversariis citatur Fonseca, *Instit. dial. l. 8. c 21.* non absolute, & firmiter eam suppositionem negat. Dein pars non debet in omnibus prædicatis convenire cum toto: sic e. g. anima est pars hominis mortalis, quin etiam ipsa sit mortalis: adeoque etiam terminus aliquis potest esse pars orationis significativæ, quin ipse sit significativus. Ad confir. dist. maj. non potest esse pars orationis terminus pure objectivus, ita, ut neque sit vox, neque scriptura. om. ma. terminus objectivus, qui est vox, aut scriptura. neg maj. & dist. sic mi. neg. conseq. Iuxta com-

plura inferiora illius termini communis, tunc ille terminus communis, particulari signo affectus, supponit disjunctim, seu confuse. Sic in his propositionibus: *Aliquis equus est necessarius ad equitandum: Aliquis oculus est necessarius ad videndum:* subjectum supponit confuse; quia de nullo equo, aut oculo, determinate verificatur, quod sit necessarius, ut facile patet consideranti. At, si una tantum causa possit satisfacere necessitati, quæ prædicatur, datur suppositio disjunctiva. Sic in hac propositione: *Aliquis sensus est necessarius ad videndum:* subjectum, seu sensus, supponit disjunctive, & determinate pro sensu visus; nam in hoc determinate verificatur prædicatum *necessarius*; cum hic solus ei necessitati satisfacere possit; eo quod per alium sensum videri non possit.

39. Ex occasione notandum, quod in argumentatione per se non liceat mutare suppositionem terminorum; alias sæpe inferretur ex vero falsum: e. g. in hoc syllogismo: *Omnes partes sunt inadæquate distinctæ a toto: sed omnes partes sunt totum: ergo totum est inadæquate distinctum a toto:* ubi conclusio est falsa; quia scilicet in prima propositione terminus *omnes partes* sumitur distributive, in secunda vero collective. Idem contingit in hoc syllogismo: *Petrus occidit Paulum: sed Petrus est vox: ergo vox occidit Paulum:* ubi terminus Petrus primo sumitur formaliter, secunda vice autem materialiter.

Notandum etiam, aliquando dici, *propositionem esse de subjecto non supponente:* tunc autem dicitur esse subjectum non supponens, quando subjectum non existit pro tempore importato per copulam: si tamen copula propositionis aliquod tempus importat, vel significat; nam in quibusdam propositionibus, quæ fiunt de rebus creatis, & vocantur necessariæ, sive æternæ veritatis, copula nullum tempus importat: e. g. in hac propositione: *Omnis homo est animal.* At in propositionibus contingentibus affirmativis, & categoricis, seu absolutis, quando prædicatum significat actuale exercitium, vel formam accidentalem, non potentem existere, nisi in subjecto actu existente, copula importat aliquod tempus: e. g. in his propositionibus: *Petrus fuit currens: Murus est albus:*

albus: importatur in prima tempus præteritum, in altera præsens; hinc, ut sint de subjecto supponente, debet Petrus extitisse, & murus existere.

40. Ratio est; quia, cum rectum prædicati, & rectum subjecti, debeant identificari, sicut existit rectum prædicati, ita debet etiam rectum subjecti existere: atqui in prima propositione extitit rectum prædicati; alias non potuisset in eo existere forma accidentalis, seu cursus: ergo. Plura vide apud Casilium *l. 1. tract. 2 cap 1. sect. 3.* Ex quo ulterius infertur, propositionem de subjecto non supponente affirmativam esse falsam; cum affirmet etiam existentiam subjecti, quæ non datur: at vero propositionem negativam esse veram; cum implicite neget disjunctive, vel existentiam subjecti, vel convenientiam prædicati: propositio autem disjunctiva sit vera, modo unum membrum sit verum.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

41. Obj. 1. contra 1. regulam. Vox non significativa, e. g. *Plicari*, non potest esse pars orationis: ergo non datur suppositio materialis. prob. ant. oratio est vox significativa ad placitum: ergo, quod non est significativum, non potest esse ejus pars. Confir. Terminus objectivus non potest esse pars orationis: sed vox non significativa, e. g. *Pliari*, est tantum terminus objectivus: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. Certe, quod detur suppositio materialis, admittitur communissime: quin ipse, qui præcipue ab adversariis citatur Fonseca, *Instit. dial. l. 8. c 21.* non absolute, & firmiter eam suppositionem negat. Dein pars non debet in omnibus prædicatis convenire cum toto: sic e. g. anima est pars hominis mortalis, quin etiam ipsa sit mortalis: adeoque etiam terminus aliquis potest esse pars orationis significativæ, quin ipse sit significativus. Ad confir. dist. maj. non potest esse pars orationis terminus pure objectivus, ita, ut neque sit vox, neque scriptura. om. ma. terminus objectivus, qui est vox, aut scriptura. neg maj. & dist. sic mi. neg. conseq. Iuxta com-

communem datur oratio vocalis, & scripta: & voces dictæ, aut scriptæ, sive sint significativæ, sive non significativæ, ex eo, quod possint pronunciari, aut scribi, possunt earum esse pars. Si etiam daretur oratio objectiva proprie dicta, e. g. quæ fiat nutibus, vel indigitando certas res, e. g. arbores, homines &c. tunc etiam isti termini objectivi possent esse ejus pars; unde omisi majorem. vide dicta *n.* 17.

42. Ob. 2. Nihil potest substitui sibi ipsi: sed vox non significativa, si supponeret materialiter, deberet substitui sibi ipsi: ergo non potest materialiter supponere. prob. maj. rex non potest esse suus vicerex: ergo. Confir. Nihil potest significare seipsum: sed terminus non significativus, qui non potest supponere pro alio, adeoque debet supponere pro se, deberet significare seipsum: ergo. Resp. dist. maj. nihil potest substitui sibi ipsi, nisi sit vox, aut scriptura. om. maj. si sit vox, aut scriptura. neg. maj. ad min. dico, forte talem terminum non substitui pro se, sed immediate in se statui, seu poni in propositione: at quia sic videretur sequi, quod talis terminus neque supponatur, sed potius tantum ponatur in propositione, ad vitandas has quæstiones de nomine om. min. neg. conseq. ad prob. om. ant. neg. conseq. A quæstionibus de re non valet paritas ad quæstiones de nomine; in his enim plurimum valet authoritas, in illis ratio; unde non statim sequitur, quod, si terminus possit materialiter supponere, aut sibi substitui, etiam rex debeat posse esse vicarius suus. Disparitas ulterior fors esse potest, quod vox non significativa (intellige ex institutione hominum) e. g. *Pliări*, si proferatur, significet naturaliter conceptum, qui repræsentat eandem vocem *Pliări*, adeoque ista mediate significet seipsam: at rex non potest esse vicarius sui vicarii, seu mediate sui ipsius.

43. Ad confir. dist. maj. nihil potest seipsum significare immediate, & adæquate. om. maj. mediate, aut inadæquate. subdist. nisi sit conceptus, vox, aut scriptura. om. maj. si sit conceptus, vox, aut scriptura. neg. maj. & conc. min. sub eadem dist. conc. vel neg. conseq. Quando formo has propositiones: *Omnis cognitio est actus vitalis: Omnis vox est sonus:* earum subjecta habent pro objecto inadæquato, seu partiali

tiali seipsa, & inadæquate reflectunt in seipsa: nam hæc ipsa cognitio est aliquis actus vitalis, & hæc ipsa vox aliquis sonus; quare potest aliquid immediate significare seipsum, saltem inadæquate, seu tanquam objectum inadæquatum, & quidem formaliter: non autem, ut hic supponitur, potest aliquid significare se ipsum formaliter, & immediate, ac adæquate, seu tanquam objectum adæquatum. At vero potest aliquid significare seipsum mediate tanquam objectum adæquatum, seu adæquate, id quod contingere potest, maxime in terminis non significativis, qui eatenus significant mediate seipsos, quatenus immediate significant conceptum, qui repræsentat eas ipsas voces, seu terminos non significativos.

44. Obji. 3. contra 3. regulam. In his propositionibus: *Aliquod animal est species infima: Omne animal est species:* subjectum supponit personaliter; quia patitur descensum distributivum, vel disjunctivum: & tamen recipit significationem secundo intentionalem ratione prædicati secundo intentionalis; quia animal non est species, nisi secundo intentionaliter acceptum: ergo falsa est regula tertia. Resp. neg. 2. p. ant. Propositiones istæ, ut jacent, sunt falsæ; quia intelliguntur de singulis individuis, independenter ab omni cognitione consusa talibus; unde de earum subjectis non potest cum veritate dici, quod sint species: adeoque ista revera non recipiunt significationem secundo intentionalem. Si autem hæ propositiones deberent esse veræ, deberent facere hunc sensum: *Aliqua species animalis est species infima: Omnis species animalis est species:* & sic iterum subjectum non recipit significationem secundo intentionalem a prædicato; quia eam jam independenter ab hoc habet; nam vox *species* est per se terminus secundo intentionalis: & obliquus *animalis*, si debet recipere significationem secundo intentionalem, potest eam recipere a suo recto.

Quod si argumentum transferatur ad hanc propositionem: *Omne animal est species inadæquata:* responderi potest, terminum *species inadæquata*, prout afficit quodlibet individuum animalis, probabiliter non esse terminum secundo intentionalem, saltem secundum rectum, secundum quem prædicatur

tur de individuis; nam significat idem, ac *pars multitudinis confuse cognita &c.* Sed de his satis, de quibus non videtur operæ pretium pluribus disputare; cum rarum usum habeant (ut dictum *num.* 27.) & absque damno possint nesciri: in dubio utere aliqua distinctione.

45. Ob. 4. contra 6. regulam. Si prædicatum propositionis affirmativæ supponit disjunctive, & non confuse, tunc propositio: *Omnis homo est animal:* facit hunc sensum: *Vel omnis homo est hoc animal, vel omnis homo est illud animal &c.* sed hoc est falsum; quia propositiones per descensum illatæ essent falsæ, & consequenter etiam ipsa, ex qua descendunt, esset falsa: ergo. Resp. neg. ma. sed propositio facit hunc sensum: *Omnis homo est vel hoc animal, vel est istud animal, vel est illud animal &c.* qui sensus verus est. Ratio autem responsionis est; quia illi debet præponi particula disjunctiva *vel*, quod supponit disjunctive: atqui non tota propositio, sed tantum prædicatum supponit disjunctive: ergo huic soli debet ea particula præponi.

46. Ob. 5. In hac propositione: *Omnis perfectio divina est omnis perfectio divina*: prædicatum supponit distributive; ergo prædicatum propositionis affirmativæ potest etiam supponere distributive. Resp. dist. conseq. potest prædicatum supponere distributive, si sit terminus communis. neg. conseq. si sit terminus singularis. om. conseq. Perfectio divina absoluta, cum realiter sit tantum una, est terminus singularis: hic autem, *ex n.* 36. supponit, non quidem formaliter, sed tamen æquivalenter distributive. Dixi *perfectio divina absoluta*; nam, an in Deo dentur *perfectiones relativæ*, quæ deberent esse plures, vel an relationes divinæ sint perfectiones, distinctæ a perfectione absoluta, prorsus abstrahimus.

47. Ob. 6. Vera est hæc propositio: *Omnis homo est omnis homo:* sed in hac prædicatum supponit distributive: ergo. ma. prob. propositio hæc est similis huic: *Petrus est Petrus*: sed ista est vera: ergo & illa. Resp. neg ma. ad prob. neg. ma. Propositio: *Petrus est Petrus*: est identica: at non est identica altera: *Omnis homo est omnis homo* (nisi terminus *omnis* tam ex parte subjecti, quam ex parte prædicati,

cati, sumatur collective: quo tamen casu non daretur suppositio distributiva, sed collectiva) si enim subjectum hujus propositionis supponeret distributive, ut ponitur, atque etiam prædicatum, deberet dari identitas inter quemlibet hominem, & totam collectionem hominum, quod est clare falsum.

48. Ob. 7. contra 7. regulam. Istæ propositiones: *Petrus non est omnis homo: Terra non est omne elementum*: sunt negativæ, & tamen prædicatum earum non supponit distributive, sed collective: ergo prædicatum in propositionibus negativis non supponit distributive. Resp. dist. cons. prædicatum in propositionibus negativis non supponit distributive, quando affectum est signo collectivo. conc conseq. si non sit affectum tali signo. neg. conseq. loquitur enim regula de hoc casu, & non de priori, seu quando signum collectivum additum est prædicato.

49. Ob. 8. contra 9. regulam. Si Petrus, debens Paulo unum florenum, det ipsi duos, & expresse addat, se per unum istorum indeterminate sumptum velle extinguere debitum, alterum autem etiam indeterminate sumptum se donare, tunc dabitur actuale exercitium, seu actualis solutio, & tamen dabitur suppositio disjuncta, seu confusa, & non disjunctiva: ergo regula nona fallit. Resp. neg. ant. nam exercitium actuale physicum, quod est datio duorum florenorum, est determinatum, & circa istud datur suppositio disjunctiva. Solutio autem, quatenus dicit extinctionem debiti, est potius exercitium aliquod morale, de quo non loquitur regula; neque enim opus est, omnibus subtilitatibus summulas onerare. Alii brevius respondent, debere in hoc casu Deum determinare, quinam florenus debitum expungat. Sed quid si Petrus daret talerum, qui valeret duos florenos, deberetne etiam tunc Deus determinare, quænam medietas taleri expungeret debitum?

50. Ob. 9 contra 10. regulam. In hac propositione: *Aliquod sacramentum est necessarium ad functiones sacerdotales rite, vel valide obeundas*: prædicatur necessitas, cui satisfacere possunt plures causæ, & tamen non datur suppositio confusa: ergo regula decima non subsistit. Confir. In hac propositione: *Aliquod sacramentum non est necessarium ad salu-*

tem:

tem: prædicatur negatio necessitatis, cui etiam satisfacere possunt plures causæ, seu plura sacramenta (nam plura non sunt necessaria ad salutem) ergo. Resp. dist. ant. in ea propositione prædicatur necessitas, cui plures causæ possunt satisfacere, si istæ causæ simul sumantur. conc. ant. si seorsim sumantur. subdist. possunt satisfacere adæquate. neg. ant. possunt tantum inadæquate satisfacere. conc. ant. & neg. conseq. Regula loquitur de causis, quæ seorsim sumptæ possunt adæquate satisfacere necessitati, non vero de causis, quæ non seorsim, sed tantum simul sumptæ, possunt adæquate satisfacere: at necessitati ad obeundas functiones sacerdotales non possunt adæquate satisfacere plura sacramenta seorsim sumpta, sed tantum simul sumpta, nempe baptismus, & ordo simul. Ad confir. neg. suppositum ant. Aliud est negatio necessitatis: aliud est necessitas: & de hac, non de illa loquitur regula decima: sicut regula nona loquitur de exercitio, & non de negatione exercitii.

51. Ob. 10. In his propositionibus: *Aliquis studiosus indiget calamo: Aliquis ægrotus indiget lecto:* prædicatur indigentia, vel necessitas, & tamen non datur suppositio confusa: ergo. Resp. dist. 1. p. ant. prædicatur necessitas de subjecto, neg. 1. p. ant. prædicatur necessitas de calamo, vel lecto. conc. 1. p. ant. & dist. 2. non datur suppositio confusa in subjecto. conc. ant. non datur in calamo, vel lecto. neg. ant. & conf. Illud debet supponere confuse, de quo prædicatur necessitas, seu quod dicitur necessarium: hoc autem hic non est studiosus, aut ægrotus, sed calamus, vel lectus. Si autem fierent propositiones hoc modo: *Aliquis calamus est necessarius studioso: Aliquis lectus est necessarius ægroto*: tunc subjectum supponeret confuse.

52. Ob. 11. In hac e. g. propositione: *Aliquis oculus est necessarius ad videndum*: non potest ostendi, quid sit indeterminatum: ergo non datur suppositio indeterminata, seu confusa. prob. ant. non est oculus indeterminatus, nec necessitas est indeterminata: ergo nihil est indeterminatum. Resp. neg. ant. ad prob. neg. 1. p. ant. oculus enim est indeterminatus, non quidem ad existendum, sed ad hoc, ut sit necessarius, sive ad necessitatem: necessitas enim ipsum non determinate afficit. Ubi notandum posse aliquid esse determinatum ad unum, non vero ad aliud: sic e. g. homo actu existens est determinatus ad existendum, & indifferens, sive non determinatus, ad male, vel bene agendum. Jam 2. p. ant. conc. nam necessitas in se est determinata; quia non est necessitas ad aliquid tantum vage sumptum, sed ad aliquid determinate sumptum, nempe ad videndum; unde prædicatum *necessarius* non supponit hic confuse, sed determinate, seu disjunctive: attamen, quia hæc necessitas in se determinata non afficit determinate unum oculum præ altero, datur suppositio confusa ex parte oculi, seu subjecti: vide tamen etiam dicta *n.* 34.

ARTICULUS VI.

Explicantur reliquæ Terminorum Proprietates.

53. Sex assignantur communiter terminorum proprietates, nempe *status*, *ampliatio*, *alienatio*, *restrictio*, *diminutio*, *appellatio*. Prima proprietas, seu *status* est acceptio termini pro tempore importato per copulam: e. g. si dico: *Petrus cucurrit: Deus existit: Antichristus veniet*: prima propositio requirit, ut cursus præterierit: secunda, ut Deus de præsenti detur: tertia, ut Antichristi adventus suo futuro tempore existat.

Ampliatio est contraria statui, estque acceptio termini pro tempore diverso ab eo, quod importatur per copulam: & sic ampliatio datur in illis verbis Christi Domini ad discipulos S. Joannis Baptistæ *Matth. 11. v. 5. Cæci vident, claudi ambulant*: hoc est, qui fuerunt cæci, aut claudi. Sic etiam, quando dico: *Status justitiæ originalis est status Adami ante lapsum*: idem significat, ac, status, qui fuit ante lapsum. Huc revocantur a multis propositiones, quæ præscindunt ab existentia, & in quibus copula *est* sumitur, non in vi verbi, sed tantum in vi copulæ (quæ acceptio explicata est *nu.* 10.) quæque etiam dicuntur propositiones æternæ veritatis: e. g. *Omnis homo est animal: Alter mundus est possibilis*. Alii autem volunt, in talibus propositionibus potius dari alienationem, quam ampliationem: & videtur in ipsis saltem ver-

verbum *est* sumi per alienationem ; cum nihil significet esse præsens, sed tantum aliquid se aliquo modo analogico habere per modum præsentis : adeoque hoc verbum *est* non habet significationem sibi stricte propriam (quæ est illa , quam habet in vi verbi , sive qua significat existentiam pro tempore præsenti) sed ab hac trahitur ad minus propriam , qua tantum unit , & copulat inter se subjectum , & prædicatum , sive dein ista existant , sive non , a quo omnino præscindit : in hac autem ita dicta tractione ad significationem minus propriam stat alienatio , ut mox dicemus.

54. *Alienatio* datur tunc , quando terminus per aliquid additum a propria significatione trahitur ad impropriam , ut si dico : *Leo æneus stat ante fores palatii ;* nam terminus *æneus* impedit terminum *leo*, ne significet verum leonem , sed indicet tantum analogice talem. Ubi tamen adverto , alienationem verbi *est* , de qua *num. præc.* non solere fieri per aliquid ipsi verbo additum , seu per aliquam modificationem ipsi adjunctam : sed vel per ipsum subjectum , & prædicatum , vel per modum significandi , aut simile signum , ex quo colligi potest , verbum *est* non sumi in vi verbi , sed tantum in vi copulæ.

Restrictio est contractio termini a significatione ampliori ad strictiorem , ut si dico : *Homo diligens sit doctus :* terminus *diligens* restringit terminum *homo* , ne significet universaliter omnes homines , sed tantum certam eorum classem ; unde etiam terminus *diligens* dicitur *restringens :* terminus *homo* dicitur *restrictus*.

Diminutio fit , quando terminus ex se aptus significare totum , per aliquid adjectum restringitur ad significandam tantum partem , e.g. si dico : *Homo est spiritualis secundum animam : Æthiops est albus secundum dentes :* termini *secundum animam* , & *secundum dentes* , restringunt terminos *spiritualis* , & *albus* , qui ex se possent denominare , vel afficere totum hominem , vel totum æthiopem , ut tantum denominent , vel afficiant partem ; unde etiam vocantur *termini diminuentes :* & termini *homo* , & *æthiops* dicuntur *diminuti*.

55. *Appellatio* fit , dum unus terminus appellat , seu denominat alterum : e. g. quando dico : *Aristoteles fuit magnus Philosophus : Alexander magnus fuit Philosophus :* in priore propositione terminus *ma-*

gnus appellat terminum *Philosophus :* in posteriore autem appellat terminum *Alexander* . Hanc autem terminorum appellationem non licet mutare : hoc est : non licet , terminum appellantem ad alium terminum transferre. Sic fallit argumentum : *Æsopus est elegans scriptor : sed Æsopus est homo : ergo est elegans homo ;* fuit enim valde deformis. item illud : *Petrus ut musicus , cantat : sed Petrus est logicus : ergo ut logicus cantat ;* quia logica non confert ad cantum. item fallit illud allatum a Casilio *l. 1. tr. 2. c. 5. Asinus est pater : sed asinus est tuus : ergo est pater tuus*. Sed neque licet alias affectiones , aut proprietates terminorum , mutare : e. g. terminum , prius per ampliationem adhibitum , dein per statum accipere : sic fallit : *Cæci vident : sed cæci non habent potentiam videndi : ergo illi vident , qui non habent potentiam videndi :* ubi mutatur ampliatio in statum.

ARTICULUS VII.

Quid sit Definitio , & quænam ejus Regulæ.

56. TRes sunt modi sciendi , communiter assignari soliti , scilicet *Definitio* , *Divisio* , *Argumentatio ;* quia scilicet per istos tres omnia entia optime intelliguntur ; nam *modus sciendi* aliud non est , quam *manifestatio ignoti per notius :* per quam scilicet res ab intellectu melius penetrantur , seu intelliguntur : & sane per definitionem manifestantur essentiæ rerum : per divisionem partes earum , & per argumentationem proprietates &c. Spectant autem definitio , & divisio , adhuc ad primam mentis operationem ; quia possunt stare in solis terminis extra propositionem ; certe communissime dicitur , definitum non debere ingredi definitionem : quam tamen ex parte subjecti ingrederetur , si tota propositio definitio esset . Itaque de definitione , ac divisione , adhuc in prima quæstione agendum ; at vero de argumentatione inferius suo loco . Non autem agimus de *definitione objectiva* , quæ per se , nec est modus sciendi , nec oratio : sed est res quæcunque , cujus essentia explicatur per definitionem formalem : quæ res realiter etiam est , & dicitur

defini-

definitum objectivum, seu, quod idem est, *objectum definitum*: ex quo patet, definitionem objectivam, & definitum objectivum, realiter inter se identificari. Agimus itaque hic, & nunc, de definitione formali.

57. *Definitio formalis* ab Aristotele 1. *Topic.* 4. vocatur *terminus*, & definitur *oratio*, *quid erat esse*, *significans*: & ferme similiter loquitur 7. *Metaphys.* 13. *text.* 40. Hinc ad mentem Philosophi recte ab auctoribus dicitur definitio esse *oratio explicans naturam rei*: sic e.g. hic terminus complexus *animal rationale* est definitio hominis; quia scilicet explicat naturam, seu essentiam, aut quidditatem hominis, nempe per terminum *animal* tanquam genus, & per terminum *rationale* tanquam differentiam; nam *genus* est illud prædicatum, in quo res definita convenit cum pluribus: & sic in termino *animal*, seu in ratione animalitatis, convenit homo cum pluribus, id est, omnibus brutis: *differentia* autem est, per quam res definita discernitur ab omnibus aliis: & sic per terminum *rationale*, seu per rationalitatem, discernitur homo ab omnibus brutis &c. *definitum* autem *formale* est ille terminus, conceptus, vel vox, seu oratio, quæ per definitionem clarius explicatur.

58. Alia autem est *definitio essentialis*, alia *descriptiva*. Illa (quæ etiam vocatur *quidditativa*) explicat rem per prædicata essentialia, ut *animal rationale* hominem. Altera explicat rem per prædicata non essentialia; ut enim homo potest cognosci etiam per alia prædicata, quam per animal rationale, e.g. etiam per accidentalia, ut vocem, incessum &c. ita etiam aliæ res. Hæc definitio descriptiva est triplex, *causalis*, *propria*, *accidentalis*. Prima est, quæ rem explicat per suas causas extrinsecas, efficientem, aut finalem &c. Sic si dico: *Febris est calor præternaturalis in sanguine &c. accensus*: est definitio causalis per causam efficientem: si vero definiam famem ad mentem Aristotelis *l.* 2. *de anima text.* 28. dicendo: *Fames est appetitus calidi, & sicci*: est (ut volunt Conimbricenses *de gen. & corr. l.* 1. *c.* 5. *q.* 5. *a.* 2.) definitio causalis per causam finalem. *Definitio propria* est, quæ rem explicat per suas proprietates, soli definito convenientes: e.g. *Homo est animal risibile admirativum*. Denique *definitio accidentalis* est, quæ rem

rem describit per accidentia, quæ non quidem seorsim, sed tamen simul sumpta, conveniunt soli definito: & talis est illa definitio hominis a Platone data cum suo additamento: *Homo est animal implume*, *bipes*, *rectum*, *progressivum &c.*

59. Jam regulæ bonæ definitionis sunt. *Prima*, & maxime necessaria. Definitio debet esse clarior definito; nam, cum debeat esse explicatio rei definitæ, mala utique foret, si non ipsa re definita, quæ per eam explicari debet, clarior foret; unde non definitio hominis, sed ænigma de homine est, quod sit *animal mane quadrupes*, *meridie bipes*, *& vesperi tripes*. *Secunda* est, ut definitio conveniat omni, & soli definito; alias non includit legitimam differentiam, quæ debet discernere definitum ab omnibus aliis; hinc mala est definitio leonis *animal quadrupes flavum*; nam hoc etiam vulpi convenit. *Tertia*, ut sit convertibilis cum definito, seu, ut, quidquid dici potest de eo, quod repræsentatur per definitionem formalem, etiam dici possit de eo, quod repræsentatur per definitum formale: seu, ut alii dicunt, definitio debet esse repræsentative convertibilis cum definito.

Quarta, ut definitum non ingrediatur definitionem; alias explicatur idem per idem, & obscurum per obscurum. Potest quidem definitum ingredi propositionem definientem, seu esse istius subjectum, sed non ipsam definitionem, quæ est prædicatum illius propositionis. vide etiam dicta *n.* 56. *Quinta*, ut constet genere, ac differentia, & quidem genere infimo, ac differentia proxima; hinc mala est definitio: *Homo est ens rationale*; quia ens non est genus infimum, sed hoc est *animal*. *Sexta*, ut non sit nimis longa, nec nimis brevis. *Septima*, ut non sit disjunctiva, vel negativa. Sed non omnes minutiæ sunt semper scrupulose observandæ: curandum præcipue est, ut definitio sit clara, & conveniat omni, & soli: reliquarum defectus potest quandoque tolerari.

60. Ob. 1. Definitio est oratio: definitum non est oratio: ergo definitio non est convertibilis cum definito. Confirm. Definitio debet esse clarior definito: ergo aliquod prædicatum debet convenire definitioni, quod non potest convenire definito: ergo non possunt

esse convertibilia. Resp. dist. 2. p. ant. definitum objectivum non est oratio. conc. ant. definitum formale. neg. ant. & dist. cons. definitio objectiva non est convertibilis cum definito objectivo. neg. cons. definitio formalis. subdist. non est convertibilis entitative. om. vel conc. conseq. non est convertibilis repræsentative. neg. conseq. Quid sit definitio formalis, & objectiva, item quid definitum objectivum, & formale, dictum est *n.* 56. & 57. Definitio objectiva, & definitum objectivum, sunt entitative convertibiles; quia sunt realiter idem: at definitio formalis, & definitum formale, sunt repræsentative convertibiles; quia e.g. terminus *homo*, & terminus *animal rationale* idem repræsentant. vide *n.* 59. Ad confirm. dist. 2. conseq. (intelligendo, ut debent intelligi, definitionem & definitum formale) non possunt esse convertibilia entitative. om. conseq. non repræsentative. neg. conseq.

61. Ob. 2. Idem indivisibilis actus non potest esse clarior seipso: sed definitum formale, & definitio formalis, si consistant in conceptu, sunt unus indivisibilis actus: ergo definitio formalis non potest esse clarior definito formali. Resp. 1. neg. mi. Definitum formale, & definitio formalis, cum *ex n.* 56. spectent per se ad primam mentis operationem, non debent esse unus indivisibilis actus, seu una propositio mentalis, sed possunt esse duæ apprehensiones realiter distinctæ. Quia tamen sæpe conveniunt in unam propositionem mentalem indivisibilem. Resp. 2. dist. ma. idem indivisibilis actus non potest esse clarior seipso realiter. conc. ma. non potest esse clarior seipso formaliter. neg. ma. & conc. mi. sub priori distinctione conc. vel neg. conseq. Illud dicitur, clarius esse formaliter, quod per intellectum concipitur esse clarius: quando ergo intellectu concipio hanc indivisibilem propositionem *Homo est animal rationale*: tunc concipiendo, seu considerando illam, tanquam dicentem *animal rationale*, concipio eam clariorem, quando eandem concipio ut dicentem *homo*; licet uterque terminus in indivisibili propositione mentali sit realiter identificatus, adeoque non sit unus realiter clarior altero. Sed hæc fusius explicabuntur infra *a num.* 534. in solutione objectionum contra universale manens in actuali prædicatione.

62. Ob.

62 Ob. 3. Si definitio debet convenire omni definito, tunc etiam definitio definitionis debet convenire omni definitioni (quia omnis est definitum) ergo etiam debet convenire sibi ipsi: hoc est impossibile: ergo. prob. subsumptum. idem non potest simul esse definitio, & definitum: sed in hoc casu idem simul esset definitio, & definitum: ergo. Resp. neg. subsumptum. Ad prob. dist. ma. idem non potest simul esse definitio formalis, & definitum formale. om. mi. idem non potest esse definitio formalis, & definitum objectivum. subdist. non potest esse simul definitum objectivum adæquatum. om. ma. inadæquatum. neg. ma. & dist. mi. idem simul esset definitio formalis, & definitum objectivum adæquatum. neg. mi. inadæquatum conc. mi. & neg. conseq.

In hoc casu definitum formale esset hic conceptus: *Omnis definitio*: definitio autem formalis esset alius conceptus clarior, scilicet iste: *Oratio explicans naturam rei*: qui, saltem, si stat in prima mentis operatione, est non tantum realiter distinctus, sed valde diversus a priori. Quod autem definitio formalis possit esse etiam inadæquatum definitum objectivum, videtur innegabile; nam, si omnis definitio est oratio explicans naturam rei, etiam definitio definitionis debet esse talis oratio; alias falleret principium Logicum *Dictum de omni*, de quo infra *num.* 123. unde hæc ipsa definitio habet inter alia objecta, seu inter alias definitiones etiam pro objecto partiali, seu inadæquato seipsam: nec hoc est quidquam absurdi, sed debet concedi in plurimis aliis, e.g. in his propositionibus: *Omnis vox est sonus: Omnis cognitio est actus vitalis &c.* de quibus supra *num.* 43. An autem aliqua propositio, vel definitio possit habere seipsam pro objecto adæquato, non est opus hic discutere. Aliam objectionem satis intricatam, quomodo definitio sit superior, & inferior respectu sui, vel latius, & minus late patens, solvemus infra *a num.* 57. quando agemus de definitione generis; nec enim statim initio omnia difficillima objicienda sunt, ne forte auditores animum abjiciant.

ARTICULUS VIII.

Quid sit Divisio, & quæ ejus Regulæ.

63. DIvisio differt a definitione in hoc, quod ista conjungat, & componat duas partes in unum totum: e contra divisio totum conjunctum, vel compositum, dividat in suas partes: & hinc *divisio formalis* definitur esse *oratio totum in suas partes distribuens*: est autem multiplex. Primo alia est *divisio nominis*, alia *divisio rei*: illa est, quando terminus æquivocus dividitur in sua significata, e. g. canis in terrestrem, & cælestem: altera est, quando res distribuitur in suas partes: estque duplex, *potentialis*, & *actualis*.

Prior est, quando totum potentiale, seu potestativum, id est, plura sub se continens, dividitur in suas partes subjectivas, seu etiam potentiales, sive potestativas: hoc est in sua inferiora: e. g. quando *animal* dividitur in *rationale*, & *irrationale*, vel *homo* in *Petrum*, & *Paulum*. Ubi notandum, quod, quando partes participant univoce totam rationem totius, vocantur *partes subjectivæ*, ut *justitia commutativa*, & *distributiva* sunt partes subjectivæ *justitiæ communis*: at vero, si non univoce participent totam rationem totius, dicuntur *partes potestativæ*: & talis pars respectu justitiæ communis est *pietas erga parentes*.

64. Altera, seu *divisio actualis* est, quando totum actuale, seu quod ex actualibus partibus componitur, in has ipsas actuales partes dividitur: estque hæc, vel *essentialis*, vel *accidentalis*; prout scilicet totum, vel in suas partes essentiales, vel in sua accidentia dividitur. Est autem divisio essentialis duplex, *metaphysica*, & *physica*: illa, quando totum dividitur in partes suas essentiales metaphysicas, nempe genus, & differentiam, e. g. *homo* in *animal*, & *rationale*: altera, quando dividitur in suas partes essentiales physicas, e. g. *homo* in *corpus*, *animam*, & *unionem*.

Divisio accidentalis est triplex. 1. *Divisio subjecti in accidentia*, e. g. *hominis* in *justum*, & *injustum*, *sapientem*, & *insipientem*. 2. *Divisio accidentis in subjecta*, e. g. *dulcis* in *mel*, & *saccharum*. 3. *Divisio accidentis in accidentia*, quibuscum jungitur, e. g. *albi*

albi in *dulce*, & *amarum*: quæ tamen divisio etiam est divisio accidentis in subjecta, diversis accidentibus affecta: quia tamen hæc divisio non fit ratione subjectorum, sed accidentium ipsis inhærentium, sub hac consideratione dicitur divisio accidentis in accidentia. Huc revocari etiam potest *divisio integralis*, quæ actualis est, sed non essentialis, quamvis ut sæpe substantialis: estque divisio totius in suas partes integrantes: sic dividitur *corpus humanum in caput*, *manus*, *pedes* &c.

65. Leges, seu regulæ bonæ divisionis sunt. 1. ut nullum membrum divisionis se solo adæquet totum; quia totum debet esse majus qualibet parte. 2. ut tamen omnia membra simul sumpta adæquent totum; quia totum, & omnes partes sunt realiter idem 3. ut divisio fiat in membra immediate dividentia, e. g. *animal* dividatur in *rationale*, & *irrationale*, non in *Petrum*, & *Bucephalum*; quia species sunt viciniores generi, quam individua. 4. ut membra omnia contineantur in diviso; hinc male divideretur *homo* in *Petrum*, & *Pegasum*; quia Pegasus non continetur in homine. 5. ut unum membrum non contineatur in altero, sed unum aliquo modo alteri opponatur; hinc mala esset divisio *animalis*, in *rationale*, & *irrationale*, ac *bipes*; quia istud jam continetur in illis. Exceptio autem, quæ aliquando facienda quibusdam videtur, notabitur infra *num.* 230.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Secunda mentis operatione.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Propositio.

66. ARistoteles 1. *priorum* 1. sic definit propositionem: *Propositio igitur est oratio affirmativa, vel negativa alicujus de aliquo*: quæ definitio communiter recepta est, etsi sit disjunctiva, & debeat subintelligi particula *immediate*; alias enim definitio hæc etiam conveniret syllogismo, qui est oratio mediate affirmans, vel negans. Si quis velit exactiorem defi-

ARTICULUS VIII.

Quid sit Divisio, & quæ ejus Regulæ.

63. DIvisio differt a definitione in hoc, quod ista conjungat, & componat duas partes in unum totum: e contra divisio totum conjunctum, vel compositum, dividat in suas partes: & hinc *divisio formalis* definitur esse *oratio totum in suas partes distribuens*: est autem multiplex. Primo alia est *divisio nominis*, alia *divisio rei*: illa est, quando terminus æquivocus dividitur in sua significata, e. g. canis in terrestrem, & cælestem: altera est, quando res distribuitur in suas partes: estque duplex, *potentialis*, & *actualis*.

Prior est, quando totum potentiale, seu potestativum, id est, plura sub se continens, dividitur in suas partes subjectivas, seu etiam potentiales, sive potestativas: hoc est in sua inferiora: e. g. quando *animal* dividitur in *rationale*, & *irrationale*, vel *homo* in *Petrum*, & *Paulum*. Ubi notandum, quod, quando partes participant univoce totam rationem totius, vocantur *partes subjectivæ*, ut *justitia commutativa*, & *distributiva* sunt partes subjectivæ *justitiæ communis*: at vero, si non univoce participent totam rationem totius, dicuntur *partes potestativæ*: & talis pars respectu justitiæ communis est *pietas erga parentes*.

64. Altera, seu *divisio actualis* est, quando totum actuale, seu quod ex actualibus partibus componitur, in has ipsas actuales partes dividitur: estque hæc, vel *essentialis*, vel *accidentalis*; prout scilicet totum, vel in suas partes essentiales, vel in sua accidentia dividitur. Est autem divisio essentialis duplex, *metaphysica*, & *physica*: illa, quando totum dividitur in partes suas essentiales metaphysicas, nempe genus, & differentiam, e. g. *homo* in *animal*, & *rationale*: altera, quando dividitur in suas partes essentiales physicas, e. g. *homo* in *corpus*, *animam*, & *unionem*.

Divisio accidentalis est triplex. 1. *Divisio subjecti in accidentia*, e. g. *hominis* in *justum*, & *injustum*, *sapientem*, & *insipientem*. 2. *Divisio accidentis in subjecta*, e. g. *dulcis* in *mel*, & *saccharum*. 3. *Divisio accidentis in accidentia*, quibuscum jungitur, e. g. *albi*

albi in *dulce*, & *amarum*: quæ tamen divisio etiam est divisio accidentis in subjecta, diversis accidentibus affecta: quia tamen hæc divisio non fit ratione subjectorum, sed accidentium ipsis inhærentium, sub hac consideratione dicitur divisio accidentis in accidentia. Huc revocari etiam potest *divisio integralis*, quæ actualis est, sed non essentialis, quamvis ut sæpe substantialis: estque divisio totius in suas partes integrantes: sic dividitur *corpus humanum in caput*, *manus*, *pedes* &c.

65. Leges, seu regulæ bonæ divisionis sunt. 1. ut nullum membrum divisionis se solo adæquet totum; quia totum debet esse majus qualibet parte. 2. ut tamen omnia membra simul sumpta adæquent totum; quia totum, & omnes partes sunt realiter idem 3. ut divisio fiat in membra immediate dividentia, e. g. *animal* dividatur in *rationale*, & *irrationale*, non in *Petrum*, & *Bucephalum*; quia species sunt viciniores generi, quam individua. 4. ut membra omnia contineantur in diviso; hinc male divideretur *homo* in *Petrum*, & *Pegasum*; quia Pegasus non continetur in homine. 5. ut unum membrum non contineatur in altero, sed unum aliquo modo alteri opponatur; hinc mala esset divisio *animalis*, in *rationale*, & *irrationale*, ac *bipes*; quia istud jam continetur in illis. Exceptio autem, quæ aliquando facienda quibusdam videtur, notabitur infra *num.* 230.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Secunda mentis operatione.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Propositio.

66. ARistoteles 1. *priorum* 1. sic definit propositionem: *Propositio igitur est oratio affirmativa, vel negativa alicujus de aliquo*: quæ definitio communiter recepta est, etsi sit disjunctiva, & debeat subintelligi particula *immediate*; alias enim definitio hæc etiam conveniret syllogismo, qui est oratio mediate affirmans, vel negans. Si quis velit exactiorem defi-

definitionem propositionis tradere, poterit afferre hanc *Oratio immediate enunciativa unius de altero:* & sane propositio ab Aristotele etiam *enunciatio* vocatur 1. *Periherm. c.* 4. *& alibi*. In quavis autem propositione notandæ sunt, *materia*, & *forma*, *qualitas*, & *quantitas*. Propositionis *materia* est *respectus*, *seu habitudo prædicati ad subjectum*: estque triplex *necessaria*, *impossibilis*, *contingens*. Unde propositio dicitur esse *in materia necessaria*, si prædicatum necessario convenit subjecto: e. g. si dico: *Homo est animal rationale:* at vero in materia impossibili, si prædicatum necessario excluditur a subjecto: e. g. si dico: *Homo est lapis:* tandem *in materia contingenti*, si prædicatum, nec necessario convenit subjecto, nec necessario ab eo excluditur: e. g. si dico: *Petrus est curiens*. Propositionis *forma* est *copula*, seu nexus prædicati, & subjecti, ratione cujus differt propositio a simplici apprehensione. Propositionis *qualitas* est *affirmatio*, *vel negatio*, *veritas*, *vel falsitas &c.* nam interroganti, qualis sit propositio, respondetur, quod sit affirmativa, vel negativa, vera, vel falsa, item absoluta, vel conditionalis &c.

67. Tandem propositionis *quantitas* est extensio, vel restrictio ejusdem: estque quadruplex, *universalis*, *particularis*, *singularis*, *indefinita*, qualis scilicet terminus est subjectum. Itaque *universalis* propositio est, cum subjectum est terminus communis, affectus signo universali *omnis*, *nullus*, ut si dico: *Omnis homo est animal: Nullus homo est lapis*. Propositio *particularis* est, cum subjectum est terminus communis, affectus signo particulari, ut si dico: *Aliquis homo currit: Aliquis Logicus studet*. Propositio *singularis* est, cujus subjectum est terminus singularis, ut si dico: *Petrus ambulat*. Tandem *indefinita* est, cujus subjectum est terminus communis, nullo signo affectus, ut si dico: *Leo rugit*.

Ubi notandum, quod propositio indefinita, si sit in materia necessaria, æquivaleat propositioni universali: e. g. hæc propositio: *Homo est animal rationale:* æquivalet huic: *Omnis homo est animal rationale:* nisi tamen subjectum habeat suppositionem confusam, aut simplicem; nam e. g. istæ propositiones: *Homo est species: Equus est necessarius ad equitandum:*

dum: non æquivalent universalibus, ut patet considerenti. Idem dicendum de propositione indefinita in materia impossibili, & juxta communem Theologorum in materia dogmatica, seu fidei; unde e. g. ista propositio: *Sacramentum est signum gratiæ institutum a Christo:* æquivalet huic: *Omne Sacramentum est signum &c.* At vero, si propositio indefinita sit in materia contingenti, communiter æquivalet particulari, & sic propositio: *Equus currit:* juxta communem æquivalet huic: *Aliquis equus currit:* nisi aliud colligatur ex contextu.

68. Jam propositio dividitur multipliciter, & imprimis alia dicitur *de tertio adjacente*, quando scilicet copula principalis explicite ponitur per verbum substantivum, atque etiam explicite prædicatum, ut si dico: *Omnis justus est amicus Dei:* alia dicitur *de secundo adjacente*, quando ponitur verbum adjectivum, seu tale, quod implicite continet, & copulam, & prædicatum, ut si dico: *Omnis equus hinnit*. Dein alia propositio dicitur *simplex*, seu *categorica:* alia *composita*, seu *hypothetica*. Illa, seu *simplex* est, quæ tantum habet unam copulam principalem, etsi possit habere plures minus principales, se tenentes, vel ex parte subjecti, vel ex parte prædicati, e. g. si dico: *Omnis, qui pie vivit, placet Deo: Omnis creatura est ens, quod dependet a Deo:* ubi in priori propositione aliqua copula minus principalis se tenet ex parte subjecti: in altera vero ex parte prædicati: & tamen utraque est simplex. Propositio *composita*, seu *hypothetica* est omnis illa, quæ constat pluribus copulis principalibus, seu propositionibus inter se connexis. Equidem in sensu strictiori, & forte etiam magis usitato, propositio hypothetica accipitur pro conditionali: sed tamen multi auctores etiam omnem propositionem compositam vocant hypotheticam: nec est operæ pretium hac de re litigare.

69. Propositio *simplex* alia est *absoluta*, alia *modalis*. Prior, seu *absoluta* est, quæ præcise enunciat, quod prædicatum insit; vel non insit subjecto: non tamen explicat modum, quo inest, an scilicet necessario, an contingenter &c. unde vocatur etiam propositio *de inesse*. Propositio *modalis* est, quæ explicat etiam modum, quo prædicatum convenit subjecto:

cto: sunt autem *modi* quatuor, *necessarium*, *impossibile*, *possibile*, *contingens*. Et primo quidem *necessarium* est, cujus non positio repugnat: e. g. *Homo est animal rationale*. Secundo *impossibile* est, cujus positio repugnat: e. g. *Homo est lapis*. Tertio *possibile* est, cujus positio non repugnat, ut: *Homo potest currere*. Quarto *contingens* est, cujus nec positio, nec non positio, repugnat, & differt a possibili; quod istud tantum potentiam, contingens autem sæpe actum explicet, ut si dico: *Homo currit*.

In propositionibus itaque modalibus duo observanda sunt, scilicet *modus*, & *dictum*: & quidem, quid *modus* sit, modo diximus; *dictum* autem sunt cæteræ partes propositionis, quæ non explicant, vel non significant modum: e. g. in his propositionibus, quæ formaliter modales sunt: *Necesse est, hominem esse animal: Impossibile est, hominem esse lapidem: Possibile est, hominem currere: Contingens est, hominem currere:* vel quæ his æquivalent, & simpliciores sunt: *Homo necessario est animal: Homo non nisi impossibiliter est lapis: Homini possibilis est cursus: Homo contingenter currit:* in his, inquam, propositionibus *dictum* sunt; *hominem esse animal, hominem esse lapidem, hominem currere:* reliqui autem termini in quavis harum propositionum sunt *modus*.

70. Propositio *composita*, vel, ut etiam vocatur *hypothetica*, est quadruplex *copulativa*, *disjunctiva*, *causalis*, *conditionalis*, *exponibilis*. Et primo *copulativa* est, quando plures propositiones junguntur particula *&*, vel *nec*, ut: *Petrus laborat, & Paulus otiatur*. Secundo *disjunctiva* est, quando plures propositiones nectuntur particula *vel*, ut: *Vel lux est, vel tenebræ sunt*. Tertio *causalis* est, cujus partes uniuntur particula *quia*: e. g. *Dies est, quia sol adest*. Quarto *conditionalis*, seu stricte *hypothetica* est cujus partes junguntur particula *si*, ut: *Si Petrus studeat, fiet doctus*. Quinto *exponibilis* est, quæ propter aliquas particulas, quas involvit, debet exponi, seu explicari: e. g. *Petrus tantum est grammaticus*.

Propositio *conditionalis* alia est *illativa*, alia *disparata*: illa est, quando conditio est causa conditionati, sive ad hoc inferendum conducit: e. gr. *Si hyems est, frigus est*; nam hyems est causa frigoris.

goris. Aliquando tamen conditio ex se non infert conditionatum, infert tamen illud ratione promissionis, vel alterius accidentalis etiam circumstantiæ: e. g. *Si navis prospere advenerit, dabo pauperibus eleemosynam:* & hæc etiam propositio dicitur vere conditionalis. At vero, si conditio est *disparata*, seu nihil conducit ad conditionatum, propositio non est rigorose conditionalis, sed tantum latius loquendo, & particula *si* significat idem, ac *quando:* e. g. si dico: *Si Petrus studet, Paulus dormit:* significat: *Quando Petrus studet, tunc Paulus dormit:* quæ propositio nonnisi improprie est conditionalis. Addendum hic, quod prima pars propositionis causalis, quæ continet particulam *si*, dicatur *conditio*, vel *hypothesis*, altera vero *conditionatum*.

71. Propositio *exponibilis* etiam est triplex, *exclusiva*, *exceptiva*, *reduplicativa*. Prima, seu exclusiva, est illa, in qua positæ sunt particulæ *tantum*, *solum &c.* quæ si se teneant ex parte subjecti, prædicatum negatur de omni alio subjecto: e. g. si dico: *Tantum Deus est immensus:* volo dicere, nihil extra Deum esse immensum. Si vero particulæ illæ se teneant ex parte prædicati, a subjecto excludunt omnia alia prædicata ejus generis, ut si dico: *Petrus est tantum scriba:* volo dicere, eum non habere dignius officium: si dico: *Petrus est tantum sutor:* volo dicere, eum non callere aliam artem: quæ tamen ex circumstantiis, & intentione loquentis sæpe debent determinari.

Propositio *exceptiva* est, quæ continet particulam *præter*, vel *nisi*: e. g. si dico: *Omnes homines peccaverunt in Adam præter B. Virginem: Nullus Apostolorum est in inferno, nisi Judas;* unde necesse est 1. ut terminus exceptus contineatur sub termino, a quo fit exceptio; male enim diceretur: *Omnis homo est rationalis præter equum;* neque enim equus continetur sub termino *homo*. 2. ut terminus, a quo aliquid excipitur, supponat distributive, aut collective; nam male diceretur: *Aliquis homo præter Paulum currit;* non enim ab uno homine potest alius, ab eo distinctus, adeoque sub eo non contentus, excipi; unde in illa propositione particula *præter* potius significaret *ultra*, & sensus esset: *Paulus currit, & aliquis alius*.

72. Propositio *reduplicativa* est, quæ constat particulis *ut*, *in quantum*, *prout*, *qua &c.* e. g. si dico: *Petrus qua pius laudatur*: id est: laudatur, quia est pius: *Murus qua albus disgregat visum*: id est, disgregat visum, quia est albus. Et hic sensus dicitur reduplicativus, quando scilicet istæ particulæ denotant, quod terminus ab ipsis affectus sit causa, vel ratio, cur prædicatum conveniat subjecto, ita, ut explicari possit etiam per particulam *quia*, ut patet in propositionibus modo allatis. Aliquando tamen similes propositiones non faciunt sensum reduplicativum, sed tantum specificativum: hoc est: illæ adjunctæ particulæ non denotant, quod terminus ab ipsis affectus sit ratio, vel causa, cur prædicatum conveniat subjecto: sed tantum ob aliam causam junguntur, e. g. ad significandum, quod terminus ab ipsis affectus non impediat, quo minus prædicatum subjecto conveniat: e. g. si dicam: *Albus qua albus potest esse deformis*: *Petrus qua Logicus potest esse musicus*.

ARTICULUS II.

Quid requiratur ad Veritatem Propositionum.

73. PRo varietate variarum propositionum etiam varia requiruntur ad earum veritatem: & primo ad veritatem propositionis affirmativæ categoricæ requiritur identitas subjecti, & prædicati, secundum quod dicunt in recto: non vero secundum quod dicunt in obliquo. *Rectus* autem, seu quod importatur in recto, est subjectum concreti, sive id, quod in resolutione concreti venit in casu recto, seu nominativo. *Obliquus* vero, seu quod importatur in obliquo, est id, quod in resolutione concreti non venit in casu nominativo, sed in alio casu, & sæpe, quamvis non semper, est forma. Sic, si resolvitur concretum *albus*, dicitur *res habens albedinem*: & terminus *res* est rectus: terminus *albedinem* est obliquus. Quando igitur dicitur: *Album est dulce* (quæ propositio resolvitur in istam: *Res habens albedinem est res habens dulcedinem*) non debent obliqui *albedinem*, & *dulcedinem*, sed tantum recti *res* & *res* identificari.

74. Secundo. Ad veritatem propositionis affirmativæ

væ contingentis categoricæ, præter identitatem rectorum requiritur etiam, ut subjectum, & prædicatum existant pro tempore importato per copulam: rationem dedimus *n.* 39. & 40. Hinc falsa est propositio: *Antichristus est impius*; quia de præsenti non existit Antichristus: at est vera ista: *Antichristus erit impius*; unde propositio affirmativa contingens potest esse falsa ex duplici capite, nempe, vel quia subjectum non existit pro tempore importato per copulam, ut in dicta propositione: *Antichristus est impius*: vel quia ei non convenit prædicatum, licet existat: e. g. si dico: *Rex Persarum est Germanus*. E contra propositiones negativæ contingentes possunt esse veræ ex eodem duplici capite. Quare nunc vera est hæc: *Antichristus non est impius*: ex defectu subjecti: & altera: *Persarum rex non est Germanus* ex non convenientia prædicati.

Tertio. Ad veritatem propositionis necessariæ non requiritur existentia subjecti; nam, ut dictum *cit. n.* 39. in propositionibus necessariis copula nullum infert tempus: adeoque pro nullo tempore debet existere subjectum, aut prædicatum: & hinc vocantur etiam propositiones æternæ veritatis. Sunt autem hæ propositiones, si agant de creatis, implicite conditionatæ; nam e. g. hæc propositio: *Homo est animal*: facit hunc implicite sensum: *Si existit homo, existit animal*.

75. Quarto. Ad veritatem propositionis copulativæ requiritur veritas omnium partium; hinc falsa est hæc propositio: *Et Petrus Apostolus est in cælo, & Judas Apostolus est in cælo*; nam copulativa virtualiter dicit, omnia sua membra esse vera. Eodem modo, ut copulativa sit necessaria, requiritur, ut omnes partes sint necessariæ; hinc est contingens hæc propositio: *Petrus est homo, & studet*: & omnino est in materia impossibili hæc: *Petrus est homo, & est equus*; quia una pars impossibilis est: & valet hic illud principium: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*.

Quinto. Ad veritatem propositionis disjunctivæ, stricte talis, requiritur, ut unum membrum sit verum, alterum falsum: adeoque ipsa sit composita ex duabus saltem contrariis: vel si debet servire ad conficiendum dilemma, ex duabus contradictoriis, de

quibus paulo post agemus: e. g. *Vel es doctus, vel non es doctus.* Si autem propositio non sit omnino stricte disjunctiva, debet tantum unum ejus membrum esse verum; alias, si nulla pars, seu nullum membrum propositionis esset verum, neque ipsa propositio posset esse vera: non tamen requiritur, ut utrumque sit verum; quia non utrumque determinate affirmatur: quamvis, si etiam utrumque membrum sit verum, tamen propositio sit vera, non tamen sit stricte disjunctiva, sic propositio hæc disjunctiva: *Vel homo currit, vel equus currit:* etit vera, sive solus equus, sive solus homo, sive uterque currat.

Sexto. Ad veritatem propositionis causalis requiritur, non tantum, ut utraque ejus pars sit vera, sed etiam, ut una sit causa veritatis alterius: e. g. vera est ista causalis: *Dies est, quia sol adest;* nam sol est causa diei: at non est vera ista: *Petrus currit, quia vestitus est;* nam, licet currat, atque etiam sit vestitus, tamen vestis non est causa cursus; unde multo magis erit falsa propositio causalis, casu quo affirmatur causa falsa: e. g. hæc: *Petrus currit, quia Antichristus exstitit.*

76. Septimo. Ad veritatem propositionis conditionalis non requiritur absoluta existentia conditionis, aut conditionati, sed tantum existentia conditionata, ita scilicet, ut si existeret conditio, etiam existeret conditionatum: & hinc vera est hæc propositio: *Si Judas fuisset mortuus pœnitens, venisset in cælum:* licet nec conditio, nec conditionatum sit unquam extiturum. Imo, etsi conditio sit impossibilis, tamen potest propositio conditionalis esse vera: sicut juxta S. Thomam 1. *p. q.* 25. *a.* 3. *ad* 2. est vera ista: *Si homo est asinus, habet quatuor pedes.* At, si posita conditione non existeret conditionatum, tunc esset propositio falsa, e. g. ista: *Si Judas fuit Christi discipulus, fuit salvatus.*

Octavo. Ad veritatem propositionum modalium requiritur, ut non tantum res, sed etiam modus sit verus. Sic vera est propositio: *Omnis homo necessario est animal:* quia non potest non esse animal: est autem falsa: *Omnis homo necessario currit:* quia etsi omnis curreret, tamen id non necessario, sed contingenter fieret. Et idem dicendum de aliis propositionibus, involventibus alias particulas modificantes, e. g. *evidenter, certo, probabiliter &c.* nec enim est vera talis propositio, nisi etiam eæ particulæ verificentur. Sic licet juxta communem de facto nostrorum vera sit propositio: *Accidentia sola non producunt substantiam:* tamen non est vera ista: *accidentia sola evidenter non producunt substantiam.*

77. Nono. Ad veritatem propositionum exponibilium requiritur, ut omnes exponentes; seu in iis contentæ propositiones, sint veræ; nam (quod notandum) quælibet propositio exponibilis est implicite aliqua propositio copulativa, & æquivalet duabus, vel etiam pluribus propositionibus conjunctis: sicut ergo *ex n.* 75. ad veritatem propositionis copulativæ requiritur, ut omnia ejus membra sint vera, ita etiam ad veritatem propositionis exponibilis requiritur, ut omnes exponentes sint veræ. Sic e. g. propositio: *Tantum Deus est immensus:* æquivalet his duabus: *Deus est immensus, & nemo alius est immensus:* unde ad sui verificationem requirit veritatem hujus utriusque membri. vide etiam dicta *a n.* 71.

ARTICULUS III.

Quid, & Quotuplex sit Oppositio Propositionum.

78. AGemus primo de oppositione propositionum categoricarum, habentium terminum communem, quæ dicuntur esse oppositæ *de lege, & modo enunciandi:* acturi postea, quantum necesse est, de oppositione aliarum propositionum, quæ dicuntur oppositæ *de lege tantum*, de quibus non est omnino eadem ratio. Est autem *oppositio propositionum*, prout hic sumitur, *duarum propositionum, idem subjectum, & prædicatum habentium, diversitas, vel in quantitate, vel in qualitate, vel in utraque:* estque quadruplex, scilicet *contraria, contradictoria, subcontraria, subalterna.*

Propositiones *contrariæ* sunt propositiones universales, quæ differunt in qualitate, seu ita, ut una sit affirmativa, altera negativa: e. g. *Omnis homo currit: Nullus homo currit.* Propositiones *contradictoriæ* sunt, quæ differunt in quantitate, & qualitate, ita, ut una sit universalis, altera particularis, una affir-

affirmativa, altera negativa: e. g. *Omnis homo currit: Aliquis homo non currit*: vel: *Nullus homo currit: Aliquis homo currit*. Propositiones *subcontrariæ* sunt duæ propositiones particulares, quæ differunt in qualitate, id est, ut una sit affirmativa, altera negativa: e. g. *Aliquis homo currit: Aliquis homo non currit*. Propositiones tandem *subalternæ* sunt, quæ differunt in sola quantitate, sive quarum una est universalis, altera particularis: e. g. *Omnis homo currit: Aliquis homo currit*: vel, *Nullus homo currit: Aliquis homo non currit*. Ex quibus universalis dicitur *subalternans*, particularis vero *subalternata*.

79. Propositiones *contradictoriæ* in nullo casu possunt simul esse veræ, & in nullo casu simul esse falsæ. Ratio hujus desumitur ex illo principio metaphysico: *Idem non potest simul esse, & non esse*: nam, si contradictoriæ essent simul veræ, vel falsæ, idem simul esset, & non esset. Probatur. Si vera esset propositio: *Aliquis homo non currit*: tunc iste esset assignabilis saltem a Deo, e. g. esset Petrus, qui non curreret: sed, si vera esset etiam altera contradictoria: *Omnis homo currit*: tunc quilibet homo, adeoque etiam Petrus curreret: ergo idem curreret, & non curreret: seu esset, & non esset idem cursus Petri. Hinc est commune axioma, inter contradictoria non dari medium exclusivum, atque adeo ex veritate unius inferri legitime falsitatem alterius. Quare diligenter cavendum, ne propositio negativa plus neget, quam præcise requiratur ad falsificandam affirmativam; si enim plus negaret, etiam ipsa posset esse falsa.

80. Propositiones *contrariæ* nunquam possunt simul esse veræ: possunt tamen in materia contingenti simul esse falsæ. Prob. 1. pars. Si simul possent esse veræ, possent etiam simul esse veræ contradictoriæ; nam, si vera est: *Omnis homo currit*: vera etiam est ejus subalternata: *Aliquis homo currit*: ut per se patet, & paulo post magis declarabitur: sed hæc est contradictoria alteri: *Nullus homo currit*: ergo, si istæ ambæ contrariæ essent veræ, etiam duæ contradictoriæ essent veræ, quod repugnat. Prob. jam 2. pars. Ponamus quod dentur plures homines, & tantum unus ex eis currat: in hoc casu falsa erit propositio: *Omnis homo currit*: & falsa erit etiam altera:

Nullus

Nullus homo currit: ergo in hac materia contingenti (quia est contingens hominem currere) ambæ propositiones contrariæ possunt esse falsæ.

At vero in materia necessaria, vel impossibili, contrariæ etiam non possunt simul esse falsæ, sed, si una est vera, altera necessario est falsa. Ratio est; quia quod in materia necessaria, vel impossibili, dicitur de uno, necessario convenit omnibus: & vicissim, quod dicitur de omnibus, necessario etiam convenit cuilibet particulari: & hinc non datur exceptio, vi cujus altera propositio universalis falsificetur; unde in materia necessaria, & impossibili, ex falsitate unius contrariæ infertur veritas alterius, & viciſſim. Quare ex eo præcise, quod duæ propositiones non possint simul esse veræ, vel falsæ, non infertur legitime, eas esse contradictorias.

81. Propositiones *subcontrariæ* in materia contingenti possunt simul esse veræ, at non simul falsæ. Probat. 1. p. Si sint plures homines, ex quibus (ut utique possibile est) unus currat, alter non currat, vera erit utraque hæc propositio: *Aliquis homo currit: Aliquis homo non currit*: sed hæ sunt subcontrariæ: ergo. At in materia necessaria, vel impossibili, subcontrariæ non possunt simul esse veræ; quia, ut dictum *n.* 80. quod in hac materia convenit uni, convenit etiam omnibus; quare, si subcontrariæ in hac materia essent veræ, essent etiam veræ propositiones earum subalternantes, seu universales, in quibus subcontrariæ continentur: hæ autem sunt duæ contrariæ, quæ in nulla materia possunt simul esse veræ: ergo. In exemplo: si veræ essent hæ subcontrariæ: *Aliquis homo est animal: Aliquis homo non est animal*: veræ etiam essent istæ earum subalternantes, sed inter se contrariæ: *Omnis homo est animal: Nullus homo est animal*: quod esse non potest. Prob. jam 2. p. Si subcontrariæ essent simul falsæ, tunc simul essent veræ earum contradictoriæ. e. g. si falsæ essent propositiones: *Aliquis homo currit: Aliquis homo non currit*: essent veræ istæ: *Omnis homo currit: Nullus homo currit*: sed hæ sunt inter se contrariæ, quæ simul veræ esse non possunt *ex n.* 80. ergo.

82. Propositiones tandem *subalternæ* possunt simul esse veræ, & simul esse falsæ; nam, si vera est propo-

posi-

positio universalis subalternans: *Omnis homo currit:* etiam erit vera hæc subalternata particularis: *Aliquis homo currit:* & si falsa est ista particularis, multo magis falsa erit prior universalis. Et quidem in materia necessaria, vel impossibili, sunt necessario simul veræ, vel falsæ, ex jam dicta ratione, quod in hac materia id, quod convenit uni, conveniat omnibus, & vicissim. At in materia contingenti bene quidem ex universali subalternante vera infertur esse vera particularis subalternata: at non vicissim ex vera particulari legitime infertur vera esse universalis, ut facile patet consideranti.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

83. Obj. 1. Istæ propositiones: *Omnes homines currunt: Aliqui homines non currunt:* sunt contradictoriæ: sed hæ possunt simul esse falsæ: ergo dicta *n.* 79. non subsistunt. prob. ma. hæ propositiones differunt in quantitate, & qualitate: ergo. mi. superior prob. casu quo tantum unus homo non currat, utraque est falsa, ut patet: ergo. Resp. Aliqui cum Oviedo *in summul. controv.* 3. *p.* 6. *n.* 9. admittunt, has propositiones esse contradictorias, & negant mi. dicuntque, modo unus non currat, jam veram esse secundam propositionem; cum terminus *Aliqui* sit collectivus, adeoque significet aliquam collectionem hominum, ex qua modo unus non currat, jam verum sit, eam collectionem, seu aliquos collective sumptos, non currere. Sed, ut recte docet Haunoldus *Logic. pract. p.* 1. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 13. hac ratione etiam contradictoriæ erunt istæ: *Omnes Apostoli sunt salvati: Aliqui Apostoli non sunt salvati:* & hæc secunda debebit dici vera: quis autem (ut bene ait citatus auctor) ferret ita loquentem? Eodem modo erunt contradictoriæ: *Omnes Virgines peccaverunt in Adam: Aliquæ Virgines non peccaverunt in Adam:* quam etiam eodem modo nemo non ægre feret.

84. Resp. in forma neg. ma. ad prob. neg. ant. non enim differunt ex propositiones perfecte in quantitate; quia in secundæ propositionis termino *aliqui* non datur perfecta disjunctio: seu non datur talis disjunctio, quæ patiatur descensum disjunctivum usque ad singula individua, quod necessarium est; alias enim dabitur medium inter contradictorias contra dicta *n.* 79. & utraque poterit esse falsa.

4. Discrimen etiam est inter propositiones has: *Omnis homo currit:* & *Omnes homines currunt:* quod prima in singulari possit esse vera, licet tantum unus homo existat: altera autem in plurali necessario ad sui verificationem requirat plures, & implicite dicat: *Existunt plures, & omnes currunt;* unde etiam contradictoria debet eam pluralitatem aliquo modo exprimere. Hinc istius propositionis: *Omnes homines currunt:* contradictoria non est: *Aliquis homo non currit;* esset enim utraque falsa, si tantum unus homo existeret, & curreret: sed contradictoria est ista: *Aliquis ex omnibus hominibus non currit:* quæ propositio etiam esset vera, casu quo tantum unus homo existeret, & curreret; esset scilicet vera propositio; quia esset contingens negativa de subjecto non supponente *ex num.* 40. nam in eo casu non daretur *aliquis homo ex omnibus;* cum existeret tantum unus, & non plures, qui tamen requiruntur ad terminum *omnes* verificandum.

85. Dices 1. Deficiente parte deficit totum, seu deficit denominatio, ita, ut non possit amplius toti tribui: ergo, si unus non currit, jam non amplius potest dici, quod collectio, designata per terminum *aliqui*, currat. Resp. conc. totum. Sed ex hoc non sequitur, quod sit verum: *Aliqui non currunt:* seu non sequitur, quod ea denominatio possit negari de omnibus partibus: sic, licet uno ex centum non currente non possit dici: *Centum currunt:* non tamen ideo potest dici: *Centum non currunt:* Sane juxta adversarios deberent etiam esse contradictoriæ istæ: *Omnes homines currunt: Omnes homines non currunt;* quia, modo unus non currat, jam non omnes collectim sumpti currunt: quæ tamen juxta adversarios est ratio, cur uno non currente possit dici in plurali, aliquos non currere.

At certe nemo dicit, has propositiones esse contradictorias, ut nec illas: *Centum currunt: Centum non*

positio universalis subalternans: *Omnis homo currit:* etiam erit vera hæc subalternata particularis: *Aliquis homo currit:* & si falsa est ista particularis, multo magis falsa erit prior universalis. Et quidem in materia necessaria, vel impossibili, sunt necessario simul veræ, vel falsæ, ex jam dicta ratione, quod in hac materia id, quod convenit uni, conveniat omnibus, & vicissim. At in materia contingenti bene quidem ex universali subalternante vera infertur esse vera particularis subalternata: at non vicissim ex vera particulari legitime infertur vera esse universalis, ut facile patet consideranti.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

83. Obj. 1. Istæ propositiones: *Omnes homines currunt: Aliqui homines non currunt:* sunt contradictoriæ: sed hæ possunt simul esse falsæ: ergo dicta *n.* 79. non subsistunt. prob. ma. hæ propositiones differunt in quantitate, & qualitate: ergo. mi. superior prob. casu quo tantum unus homo non currat, utraque est falsa, ut patet: ergo. Resp. Aliqui cum Oviedo *in summul. controv.* 3. *p.* 6. *n.* 9. admittunt, has propositiones esse contradictorias, & negant mi. dicuntque, modo unus non currat, jam veram esse secundam propositionem; cum terminus *Aliqui* sit collectivus, adeoque significet aliquam collectionem hominum, ex qua modo unus non currat, jam verum sit, eam collectionem, seu aliquos collective sumptos, non currere. Sed, ut recte docet Haunoldus *Logic. pract. p.* 1. *c.* 2. *a.* 3. *n.* 13. hac ratione etiam contradictoriæ erunt istæ: *Omnes Apostoli sunt salvati: Aliqui Apostoli non sunt salvati:* & hæc secunda debebit dici vera: quis autem (ut bene ait citatus auctor) ferret ita loquentem? Eodem modo erunt contradictoriæ: *Omnes Virgines peccaverunt in Adam: Aliquæ Virgines non peccaverunt in Adam:* quam etiam eodem modo nemo non ægre feret.

84. Resp. in forma neg. ma. ad prob. neg. ant. non enim differunt ex propositiones perfecte in quantitate; quia in secundæ propositionis termino *aliqui* non datur perfecta disjunctio: seu non datur talis disjunctio, quæ patiatur descensum disjunctivum usque ad singula individua, quod necessarium est; alias enim dabitur medium inter contradictorias contra dicta *n.* 79. & utraque poterit esse falsa.

4. Discrimen etiam est inter propositiones has: *Omnis homo currit:* & *Omnes homines currunt:* quod prima in singulari possit esse vera, licet tantum unus homo existat: altera autem in plurali necessario ad sui verificationem requirat plures, & implicite dicat: *Existunt plures, & omnes currunt;* unde etiam contradictoria debet eam pluralitatem aliquo modo exprimere. Hinc istius propositionis: *Omnes homines currunt:* contradictoria non est: *Aliquis homo non currit;* esset enim utraque falsa, si tantum unus homo existeret, & curreret: sed contradictoria est ista: *Aliquis ex omnibus hominibus non currit:* quæ propositio etiam esset vera, casu quo tantum unus homo existeret, & curreret; esset scilicet vera propositio; quia esset contingens negativa de subjecto non supponente *ex num.* 40. nam in eo casu non daretur *aliquis homo ex omnibus;* cum existeret tantum unus, & non plures, qui tamen requiruntur ad terminum *omnes* verificandum.

85. Dices 1. Deficiente parte deficit totum, seu deficit denominatio, ita, ut non possit amplius toti tribui: ergo, si unus non currit, jam non amplius potest dici, quod collectio, designata per terminum *aliqui*, currat. Resp. conc. totum. Sed ex hoc non sequitur, quod sit verum: *Aliqui non currunt:* seu non sequitur, quod ea denominatio possit negari de omnibus partibus: sic, licet uno ex centum non currente non possit dici: *Centum currunt:* non tamen ideo potest dici: *Centum non currunt:* Sane juxta adversarios deberent etiam esse contradictoriæ istæ: *Omnes homines currunt: Omnes homines non currunt;* quia, modo unus non currat, jam non omnes collectim sumpti currunt: quæ tamen juxta adversarios est ratio, cur uno non currente possit dici in plurali, aliquos non currere.

At certe nemo dicit, has propositiones esse contradictorias, ut nec illas: *Centum currunt: Centum non*

non currunt: sed omnes dicunt, eas esse contrarias, & posse simul esse falsas: idque confirmatur ex illo versiculo summulistico: *Pra contradic: post contra: pra postque subalter.* de quo inferius *num.*105. paulo plura: ex quo habetur, isti propositioni: *Centum currunt* hanc alteram: *Centum non currunt*: esse contrariam, utpote in qua particula negativa postponitur subjecto: at vero contradictoriam esse istam: *Non centum currunt*: atque adeo propositioni objectæ: *Omnes homines currunt*: contradictoriam esse hanc *Non omnes homines currunt*: seu, quæ æquivalet: *Aliquis ex omnibus hominibus non currit.*

86. Dices 2. Saltem istæ sunt contradictoriæ: *Omnis binarius hominum currit*: *Aliquis binarius hominum non currit*: sed etiam istæ possunt simul esse falsæ: ergo. maj. prob. differunt in quantitate, & qualitate: ergo. prob. etiam min. si tantum unus homo non currat, falsum est, quod omnis binarius currat; quia ille binarius, ex quo unus, seu dimidia ejus pars, non currit, non potest dici currere: sed neque potest dici non currere; quia, ut binarius possit dici non currere, debent duo non currere.

Resp. iterum neg. maj. ad prob. iterum neg. ant. Terminus *binarius*, uti terminus *omnes*, dicit aperte plures, qui in propositione particulari relinquuntur collecti, & non disjunguntur: unde de hac propositione eodem modo loquendum, ac de priore: & hinc ejus contradictoria est, vel: *Non omnis binarius hominum currit*: vel: *Aliquis ex aliquo binario non currit*: quæ ultima propositio est vera pro omni casu, pro quo altera: *Omnis binarius hominum currit*: est falsa: ita, ut nunquam utraque sit falsa, vel utraque vera; quare, si darentur tantum tres homines, & duo currerent, vera esset illa: *Omnis binarius currit*: & falsa illa: *Aliquis ex aliquo binario non currit*; nam tertius ille superstes non esset ex aliquo binario; unde pro eo non supponeret iste terminus, sed pro illis duobus, qui binarium constituunt, & de neutro est verum, quod non currat.

Ubi nota, licet aliquod totum indivisibiliter sumatur, & de aliqua ejus parte negetur aliquod prædicatum, tamen id non ideo etiam negari posse de toto; alias posset de toto homine negari corruptibilitas: cum

cum ejus anima sit incorruptibilis. Nec dicas, terminum *homo* non esse collectivum; hoc enim nihil refert; nam tamen sumitur indivisibiliter pro omnibus partibus, seu pro collectione omnium partium. Equidem verum est, de toto homine posse affirmari corruptibilitatem, etsi hæc non omnibus partibus conveniat, non tamen de toto binario posse affirmari cursum, si unus ex eo non currat: attamen manet semper verum, quod non possit, præsertim universaliter, de toto indivisibiliter sumpto negari prædicatum, quod tantum uni ejus parti non convenit. De cætero sæpe utique attendendum est ad communem intelligentiam propositionum: at sane nemo, quando audit has propositiones: *Centum non currunt*: *Exercitus non currit*: intelligit, tantum unum non currere ex centum, vel ex exercitu: & pariter nemo, qui audit hanc propositionem: *Aliquis binarius non currit*: intelligit tantum unum non currere.

87. Obji. 2. Istæ propositiones: *Omnes Apostoli sunt duodecim*: *Aliqui Apostoli non sunt duodecim*: sunt contradictoriæ, & tamen simul sunt veræ: ergo. Resp. neg. ant. nam subjectum primæ propositionis est terminus collectivus, qui in opposita non potest mutari in disjunctivum: cujus ratio petenda est ex regulis suppositionum, ex quibus habetur, quod suppositio collectiva, non contineat virtualiter in se plures propositiones, sed tantum plures terminos; neque enim, ut dictum *n.* 29. legitimus est descensus: *Omnes Apostoli sunt duodecim*: *ergo Petrus est duodecim*: *Joannes est duodecim &c.* At vero, ut habetur ex iisdem regulis, suppositio disjunctiva, continet in se plures propositiones; nam legitimus est descensus: *Aliquis homo currit*: *ergo vel Petrus currit, vel Paulus currit*. Quare non licet mutare in contradictoriis suppositionem collectivam in disjunctivam; non enim licet, ex una propositione facere plures, si istæ non virtualiter in illa contineantur. Et hæc diversitas suppositionum facit, ut ait Haunoldus *Leg. pract. p.* 1. *c.* 2. *art.* 2. *num.* 9. diversitatem subjectorum, quæ tollit contradictionem.

88. Obji. 3. Hæ propositiones: *Omnis studiosus in omni gymnasio est pius*: *Aliquis studiosus in omni gymnasio non est pius*. item: *Omnis equus cujuslibet homi-*

nis

000000

minis est albus: Aliquis equus cujuslibet hominis non est albus; sunt contradictoriæ: sed possunt simul esse falsæ, si scilicet in uno tantum gymnasio aliquis studiosus non sit pius, & unus homo habeat meros equos nigros, & alius meros equos albos: ergo. Resp. neg. maj. non enim differunt, ut debent, in quantitate; nam, quod spectat ad duas primas propositiones, in negativa earum non disjungitur subjectum totaliter; nam, cum in affirmativa habuerit geminam distributionem, nempe in termino *omnis*, & in termino *in omni*, debet in contradictoria bis disjungi, & dici: *Aliquis Logicus in aliquo gymnasio non est pius*; alias enim negaretur plus, quam requireretur præcise ad falsificandam affirmativam. Eodem ex capite peccant secundæ propositiones, & in altera earum, seu negativa, debet dici: *Aliquis equus alicujus hominis est albus.*

89. Obji. 4. Plures sunt propositiones contradictoriæ, quæ simul possunt esse veræ: ergo. prob. ant. eas asserendo. 1. *Nullus oculus est necessarius ad videndum: Aliquis oculus est necessarius ad videndum:* 2. *Omnis canis latrat: Aliquis canis non latrat.* 3. *Nullus cæcus videt: Aliquis cæcus videt.* 4. *Nullus stans potest sedere: Aliquis stans potest sedere.* 5. *Homo est species: Homo non est species*: hæ sunt contradictoriæ, & possunt simul esse veræ: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. min. Vel enim non sunt contradictoriæ, vel non possunt simul esse veræ. Si ambæ semper haberent idem subjectum, & prædicatum, essent quidem contradictoriæ, sed non possent simul esse veræ: at quia communiter censetur, eas non habere idem subjectum, aut prædicatum, adeoque eas non esse contradictorias, hoc ipsum modo cum communi ostendam.

90. Primæ duæ propositiones ex mente objicientis faciunt hunc sensum; *Nullus oculus est determinate necessarius: Aliquis oculus est indeterminate necessarius:* sed *determinate necessarium*, & *indeterminate necessarium* sunt duo diversa prædicata, ut per se patet. Quod si in utraque propositione subintelligeretur eadem particula e. g. *determinate*, propositiones essent vere contradictoriæ: sed altera propositio particularis esset falsa: vicissim, si subintelligeretur particula *indeterminate*, esset falsa prior propositio universalis. In secundis propositionibus terminus

nus *canis* sumitur æquivoce pro cane terrestri vivo, & cœlesti, seu stella inanimi; adeoque sunt duo subjecta ratione æquivocationis. In tertiis propositionibus terminus *cæcus* primo sumitur pro statu, secundo vero ampliative, adeoque sunt iterum diversa subjecta. In quartis potentia ad sedendum sumitur semel in sensu composito, vel cum simultate sessionis, altera autem vice in sensu diviso sessionis, seu omissa sessione; adeoque dantur diversa prædicata. In quintis terminus *homo* semel accipitur secundo intentionaliter, seu ut confuse cognitus: altera vice sumitur primo intentionaliter sine cognitione confusa, adeoque iterum sunt diversa subjecta: consequenter in nullo binario istarum propositionum datur oppositio contradictoria.

91. Obji. 5. Hæ propositiones. 1. *Omnis homo aliquando dormit: Aliquis homo aliquando non dormit.* 2. *Omnis homo est essentialiter albus: Aliquis homo essentialiter non est albus.* 3. *Mysterium incarnationis evidenter est possibile: Mysterium incarnationis evidenter non est possibile.* 4. *Certum est, Salomonem esse in cælo: Certum est, Salomonem non esse in cælo.* 5. *Omnis homo currit: Hic homo non currit:* sunt contradictoriæ, & tamen simul possunt esse veræ, vel falsæ: ergo. Resp. neg. maj. quia hæ propositiones, usque ad ultimas duas, non differunt, prout deberent, in qualitate; nam in negativa non negatur totum prædicatum. Sic in prima negativa non negatur particula *aliquando:* in secunda non negatur particula *essentialiter:* in tertia non negatur particula *evidenter:* quæ tamen particulæ spectant ad prædicatum tanquam ejus modi, & partes.

In propositione negativa quarta omnino non negatur prædicatum; nam terminus *certum* est prædicatum; prior enim propositio facit hunc sensum: *Hoc, quod Salomon sit in cælo, est certum:* altera vero facit hunc: *Hoc, quod Salomon non sit in cælo, est certum:* ex quo clare apparet, non negari prædicatum *certum*, imo hanc propositionem non esse negativam; eo quod particula negativa non afficiat primariam copulam. Quod spectat ad duas propositiones ultimas, secunda earum non est particularis, sed singularis; unde subjectum non supponit disjunctive,

sed

sed æquivalenter distributive *ex n.* 36. hinc istæ duæ propositiones non differunt, prout requireretur, in quantitate: præterquam, quod altera plus neget, quam requiratur, ad falsitatem prioris; nam ad hanc tantum requiritur, ut aliquis quiscumque tandem homo non currat, & non requiritur, ut determinatè hic homo non currat.

92. *Obji.* 6. Propositiones subcontrariæ non habent idem subjectum: ergo non sunt oppositæ. prob. ant. propositio: *Aliquis homo currit:* habet pro subjecto e. g. Petrum, qui currit: at propositio: *Aliquis homo non currit:* habet pro subjecto, non Petrum, qui currit, (nam sic non esset vera) sed e. g. Paulum, qui omittit cursum: ergo non habent idem subjectum. Resp. dist. ant. subcontrariæ non habent idem subjectum verificationis. conc. ant. non habent idem subjectum repræsentationis. neg. ant. & conseq. Subjectum, vel objectum verificationis est, in quo propositio verificatur: subjectum, vel objectum repræsentationis est, quod per propositionem repræsentatur: at hoc subjectum in utraque propositione modo allata sunt omnes homines: nam terminus *aliquis homo* repræsentat omnia sua inferiora, seu omnes homines disjunctive enumerandos: adeoque in utraque propositione est idem subjectum repræsentationis.

ARTICULUS V.

Quid tenendum circa Oppositionem Propositionum Modalium, & Compositarum.

93. QUænam sint propositiones modales, & quid in iis sit modus, & dictum, docuimus *num.* 69. Jam circa istarum oppositionem est notandum, 1. earum quantitatem, aut qualitatem non desumi ex dicto, sed ex modo: & ratio est; quia ex eo desumitur quantitas, aut qualitas propositionis, ad quod spectat primaria copula: atqui hæc in propositionibus modalibus spectat ad modum: ergo. prob. min. propositiones modales, vel formaliter, vel æquivalenter, complectuntur duas propositiones, quarum una habens copulam principalem explicat modum: altera vero, quæ habet copulam non principalem, explicat dictum: ergo copula primaria spectat ad modum. antec.

patet

patet in propositionibus *n.* 69. allatis: *Necesse est, hominem esse animal: Impossibile est, hominem esse lapidem &c.* Et eadem est ratio de aliis æquivalentibus: *Homo necessario est animal: Homo non nisi impossibiliter est lapis;* quia istæ prioribus prorsus æquivalent, & reipsa idem dicunt.

Notandum 2. modus *necesse*, & *impossibile*, facere propositiones æquivalenter universales: & *necesse* quidem affirmativam: *impossibile* vero negativam: e contra *possibile*, & *possibile non* (quod suo modo coincidit cum contingenti) facere propositiones æquivalenter particulares, & illud quidem affirmativam, hoc negativam; hinc illi versus dialectici: *Omnis necesse valet: impossibile nullus: Possibile quidam, quidam non possibile non.* Quare propositio: *Necesse est, aliquem currere:* est universalis, licet dictum sit particulare: & propositio: *Possibile est, aliquem non currere:* est affirmativa, licet dictum sit negativum; & juxta hactenus dicta debet suo modo regulari istarum propositionum oppositio.

94. Hinc, si propositiones modales sint de dicto singulari, *contrariæ* erunt istæ: *Necesse est, Petrum currere: Impossibile est, Petrum currere:* at *contradictoriæ* erunt: *Necesse est, Petrum currere: Possibile est, Petrum non currere:* vel: *Impossibile est, Petrum currere: Possibile est, Petrum currere:* item *subcontrariæ* erunt: *Possibile est, Petrum currere: Possibile est, Petrum non currere:* tandem *subalternæ: Necesse est, Petrum currere: Possibile est, Petrum currere:* vel: *Impossibile est, Petrum currere: Possibile est, Petrum currere.*

Si vero in propositionibus modalibus dictum non est singulare, sed terminus communis, tunc non tantum debent modo dicta observari circa modum, sed etiam debent observari leges simplicium oppositarum; nam e. g. hujus propositionis: *Necesse est, omnem hominem currere:* contradictoria non est. *Possibile est, omnem hominem non currere;* esset enim utraque falsa, casu quo omnes homines præter unum necessario currerent: unde in contradictoria debet etiam in dicto terminus universalis, & distributivus *omnem*, mutari in terminum particularem & disjunctivum *aliquem*, & contradictoria sic formari: *Possibile est, aliquem hominem non currere.*

95. Hinc

95. Hinc in tali casu *contrariæ* sunt istæ: *Necesse est, omnem hominem currere: Impossibile est, omnem hominem currere:* at *contradictoriæ* istæ: *Necesse est, omnem hominem currere: Possibile est, aliquem hominem non currere.* vel: *Impossibile est, omnem hominem currere: Possibile est, aliquem hominem currere:* item *subcontrariæ* sunt: *Possibile est, aliquem hominem currere: Possibile est, aliquem hominem non currere:* tandem *subalternæ* istæ: *Necesse est, omnem hominem currere: Possibile est, aliquem hominem currere:* vel *Impossibile est, omnem hominem currere: Possibile est, aliquem hominem non currere.* Ubi nota, istam propositionem: *Impossibile est omnem hominem currere:* habere hunc sensum: *Impossibile est omni, seu cuilibet homini, ut currat:* vel: *Impossibile est, ut ullus homo currat:* ita, ut terminus *omnis* sumatur distributive, & non collective; alias non esset contradictoria huic: *Possibile est, aliquem hominem currere;* quia possent simul esse veræ, ut facile patet consideranti.

96. Huc aliquo modo revocandæ sunt propositiones oppositæ singulares, in quibus quidem facile inveniuntur contradictoriæ, non vero contrariæ, nisi recurratur ad actum, & potentiam, seu ad modum; unde contradictoriæ quidem sunt: *Petrus currit: Petrus non currit:* sed contrariæ non habentur, nisi istæ: *Petrus currit: Petrus non potest currere:* seu: *Impossibile est, Petrum currere;* non enim inveniuntur aliæ oppositæ, quæ possint simul esse falsæ; quare in oppositione singularium duæ sunt propositiones simplices, duæ vero modales: quod nec multum refert, nec multum curatur a scientiis, quæ non agunt de singularibus.

Scilicet *contrariæ singulares* sunt istæ: *Petrus currit: Petrus non potest currere:* at *contradictoriæ* sunt: *Petrus currit: Petrus non currit:* vel: *Petrus non potest currere: Petrus potest currere:* item *subcontrariæ* istæ: *Petrus potest currere: Petrus non currit:* tandem *subalternæ* istæ: *Petrus currit: Petrus potest currere:* vel: *Petrus non potest currere: Petrus non currit.* Istæ autem, & similes aliæ propositiones, dicuntur *oppositæ de lege tantum;* quia scilicet tantum servant leges oppositarum quoad veritatem, vel falsitatem: non vero opponuntur quoad modum enunciandi, seu quoad notas universalitatis, & particularitatis: quem modum quia observant propositiones, habentes terminum communem, istæ dicuntur *oppositæ de lege, & modo enunciandi.*

97. Jam propositionis copulativæ contradictoria debet esse disjunctiva: e.g. hujus propositionis: *Et Petrus clamat, & Paulus clamat:* contradictoria est: *Vel Petrus non clamat, vel Paulus non clamat;* nam ista: *Nec Petrus clamat, nec Paulus clamat:* plus negat, quam præcise requiratur ad falsificandam priorem; & si unus clamaret, alter non clamaret, utraque propositio esset falsa; unde opponuntur contrarie, non contradictorie.

E contra propositionis disjunctivæ contradictoria debet esse copulativa; nam, si disjunctiva est contradictoria copulativæ, hæc necessatio etiam debet esse contradictoria illius. Ratio ulterior est; quia, si propositionis disjunctivæ contradictoria etiam esset disjunctiva, tunc propositiones contradictoriæ possent simul esse veræ; nam vera potest esse utraque hæc propositio: *Vel aliquis homo currit, vel aliquis equus currit:* &: *Vel aliquis homo non currit, vel aliquis equus non curris:* si scilicet unus currat, & alter quiescat. Imo, si disjunctiva est stricte talis, seu includens duo contradictoria *ex n.75.* tunc altera propositio esset prorsus eadem cum priore, vel certe huic æquipollens; nam hujus propositionis disjunctivæ: *Vel Petrus studet, vel non studet:* contradictoria disjunctiva esset ista: *Vel Petrus non studet, vel non non studet:* cujus posterior pars significat idem ac: *Vel Petrus studet;* nam duæ negationes faciunt unam affirmationem.

98. Propositionis conditionalis contradictoria non debet negare conditionem, sed debet negare convenientiam, vel connexionem conditionis cum conditionato: sive debet negare, quod stante ea conditione sequatur conditionatum: e.g. istæ sunt contradictoriæ: *Si manus immittitur in ignem, amburitur: Si manus immittitur in ignem, non amburitur:* & hæc negatio potest exprimi per particulas *non ideo, tamen non:* e.g. si dico: *Si Petrus est diligens, proficiet in litteris:* contradictoria potest sic exprimi: *Si Petrus etiam sit diligens, tamen non proficiet in litteris:* & ad veritatem, vel falsitatem

ist arum propositionum, nil facit, sive detur, aut existat conditio, sive non.

99. Quod spectat ad propositiones exponibiles, eæ omnes implicite sunt copulativæ; unde earum contradictoriæ, vel formaliter, vel æquivalenter, sunt disjunctivæ. Sic propositio exclusiva: *Petrus est tantum grammaticus:* facit hunc sensum copulativum: *Petrus callet grammaticam, & nullam aliam callet scientiam;* unde ejus contradictoria est disjunctiva: *Vel Petrus non scit grammaticam, vel callet adhuc aliam scientiam.* Pariter hæc propositio exceptiva: *Omnes currunt præter Petrum:* facit hunc sensum copulativum: *Petrus non currit, & omnes reliqui homines currunt:* cujus contradictoria est hæc disjunctiva: *Vel Petrus non currit, vel non omnes reliqui homines currunt.* Eodem modo hæc propositio reduplicativa: *Petrus qua musicus canit:* æquivalet huic propositioni copulativæ: *Petrus est musicus, & ideo canit:* cujus contradictoria est hæc disjunctiva: *Vel Petrus non est musicus, vel non ideo canit.*

100. Hæc de oppositis dicta sufficiant, ne plura adducendo rem ex se obscuram potius implicemus, quam explicemus. Si aliquando dubium incidat, an aliquæ propositiones sint contradictoriæ, attendendum, an non in aliquo casu possint simul esse veræ, vel falsæ, vel an observentur aliæ regulæ hucusque traditæ: & ea attentio, vel reflexio proderit, ut saltem aliqua distinctione varii sensus propositionis, possit difficultas complanari. Si subito petatur cuicumque propositioni sua contradictoria, facillime eam assignabis, si propositioni datæ præponas particulam *non* (id, quod est ad mentem Aristotelis 1. *Periherm.* 5.) cum enim particula *non* sit (ut communiter ajunt) malignantis naturæ contradicit omni illi, quod post se invenit: adde etiam explicationem aliquam propositionis, cui particulam negativam præposuisti, quæ in rem tuam fuerit. Ad propositiones contradictorias etiam revocari possunt propositiones dictæ *insolubiles*, quæ implicite videntur sibi contradicere: e.g. si propositio dicat de seipsa: *Ego sum falsa, vel impossibilis:* debet esse simul falsa, & vera. Sed quia hæc quæstio ad nihil utilis est, nisi ad fatiganda ingenia, nec paucis ad captum sat explicari potest, eam lubens omitto, & avidum similium

lium spinarum remitto ad Haunoldum *Logic. pract. p.* 1. *c.* 3. *a.* 7. & Georgium Stengelium *de bono & malo syllogis. p.* 2. *c.* 1. & 2.

101. Ob. contra oppositionem exponibilium, præsertim exclusivarum. Hæ propositiones: *Tantum Petrus currit: Tantum Petrus non currit:* sunt contradictoriæ: sed hæ possunt simul esse falsæ: ergo. prob. mi. prima significat: *Petrus currit, & nemo alius currit:* altera significat: *Petrus non currit, & omnes alii currunt:* sed hæ possunt simul esse falsæ, casu quo Petrus currat, & aliquis alius cum eo: ergo. Resp. neg. ma. nam in secunda propositione non negatur particula *tantum;* contradictoria enim debet sic formari: *Non tantum Petrus currit:* quæ, licet fors vulgo sic explicetur: *Petrus currit, & adhuc alius aliquis currit:* tamen in rigore dialectico non habet istum, sed alium sensum, & quidem hunc disjunctivum: *Vel Petrus non currit, vel adhuc aliquis alius currit:* quæ disjunctiva recte opponitur contradictorie copulativæ *ex n.* 99. & vera est, modo una ejus pars sit vera *ex nu.* 75. cum ergo casu quo cum Petro adhuc aliquis alius curreret, vera esset secunda pars p opositionis disjunctivæ modo allatæ, vera etiam esset ipsa propositio, adeoque etiam altera ei æquivalens, seu ista: *Non tantum Petrus currit.*

102. Dices. Ergo etiam vera erit ista propositio: *Non tantum Deus est mendax:* sed hanc omnes pii horrent: ergo. Resp. conc. ma. neg. mi. nam etiam ista in sensu dialectico, seu rigoroso, significat idem, ac ista: *Vel Deus non est mendax, vel adhuc alius est mendax:* quæ propositio disjunctiva ratione primi membri est vera. Ubi tamen notandum, hanc propositionem non esse coram vulgo dicendam, ne in malo sensu ab indoctis accipiatur, & scandalum oriatur. Equidem Arriaga *disp.* 2. *de Summul. sec.* 4. *n.* 28. negat, has propositiones: *Tantum Deus est blasphemus: Non tantum Deus est blasphemus:* esse contradictorias, vultque esse contrarias: sed id non efficaciter probat, & *n.* 32. admittit, propositionis copulativæ contradictoriam debere esse disjunctivam, quod etiam nos dicimus: insuper, quia communissime dicitur, per particulam *non* præpositam fieri propositionem contradictoriam, dicimus ulterius, hanc propo-

sitionem: *Non tantum Deus est mendax*: esse implicite disjunctivam, utpote priori propositioni ratione particulæ *non* præpositæ contradictoriam.

ARTICULUS VI.

Quid sit Æquipollentia, & quæ ejus Regulæ.

103. *Æquipollentia est duarum propositionum, alias sibi oppositarum, æquivalentia propter adjectam particulam non*; cum enim hæc particula, ut jam dictum, sit ex communi malignantis naturæ, immutat omnia, quæ post se invenit, quoad quantitatem, & qualitatem, ita, ut propositio, quæ prius fuit affirmativa, fiat dein negativa, & quæ fuit universalis, fiat particularis, vel vice versa. Regulæ hujus æquipollentiæ communissime assignantur tres.

104. Prima. Negatio præposita subjecto, adeoque toti propositioni, facit illam æquivalere contradictoriæ: sic, si huic propositioni: *Omnis homo currit*: præponatur particula *non*, dicendo: *Non omnis homo currit*: æquipollet, seu æquivalet huic: *Aliquis homo non currit*: quæ est contradictoria superioris. Ratio est; quia particula negativa immutat, quæ post se invenit, quoad quantitatem, & qualitatem, adeoque facit propositionem contradictoriam priori; nam contradictoriæ sunt, quæ differunt in quantitate, & qualitate.

Secunda. Negatio postposita subjecto, sed præposita copulæ facit propositionem contrariam, vel subcontrariam, Sic huic propositioni: *Omnis homo currit*: contraria est: *Omnis homo non currit*: & huic: *Aliquis homo currit*: subcontraria est: *Aliquis homo non currit*. Ratio est; quia particula *non* ita posita relinquit intactum subjectum, adeoque non mutat quantitatem, sed tantum qualitatem propositionis: qua ratione sunt contrariæ, vel subcontrariæ *ex num.* 78.

Tertia. Negatio præposita, & postposita subjecto, facit propositionem æquivalere subalternæ. Sic hujus propositionis: *Omnis homo currit*: subalterna est: *Non omnis homo non currit*: seu, quæ idem significat: *Aliquis homo non currit*. Ratio est, quia prima negatio sola, ut modo dictum, faceret propositionem contradictoriam:

ctoriam: sed secunda negatio eam corrigit, quoad ea, quæ post se invenit: cum autem ista non afficiat subjectum, sed tantum copulam, relinquit quantitatem a prima negatione mutatam: sed, quia afficit copulam, mutat iterum qualitatem, adeoque restituit priorem qualitatem: consequenter facit propositionem subalternam: hoc est, differentem a priore ratione quantitatis, non vero ratione qualitatis.

105. Hanc doctrinam complectitur versiculus ille dialecticus: *Pra contradic: post contra: pra postque subalter*: id est, negatio præposita subjecto facit propositionem contradictoriam: at postposita subjecto facit contrariam: ac tandem præposita simul, ac postposita, facit subalternam; unam; unde in singulari æquivalent hæc signa, seu termini syncategorematici: *Omnis*, *nullus non*, *non aliquis non*: item *Nullus*, *omnis non*, *non aliquis*: rursus *Aliquis*, *nonnullus*, *non omnis non*: tandem *Aliquis non*, *nonnullus non*, *non omnis*. Dixi *in singulari*; nam in plurali sunt aliquæ tricæ, quas hic evolvere longum foret, quid circa eas dicendum melius magister usus docebit: qui autem hac de re curiosus est, poterit adire Comptonum *introduct. in Log. disp. 6. sec. 3.* Advertendum insuper, hæc de æquipollentia dicta convenire propositionibus, terminos communes habentibus; nam quod spectat ad propositiones, terminos singulares habentes, sicut de his non sunt eædem regulæ suppositionum, ita nec æquipollentiæ. Sed non videtur his diutius immorandum, ne nimium, nec satis utiliter, ingenia incipientium fatigentur.

ARTICULUS VII.

Quid sit Conversio Propositionum, & quænam ejus Regulæ.

106. *Conversio propositionum* est *unius propositionis ad alteram formalis consequentia propter terminorum transpositionem*: quando scilicet subjectum mutatur in prædicatum, & viciſſim: ex. gr. quando dico: *Nullus homo dormit*: *ergo nullum dormiens est homo*. Propositio, quæ mutatur dicitur *conversa*: quæ autem infertur, dicitur *convertens*.

Debet autem subjectum transire in prædicatum cum omnibus suis adjunctis, & affectionibus excepto solo, quod suppositio subjecti distributiva possit aliquando mutari in disjunctivam; quia distributio plus dicit, quam disjunctio; unde, si verum est, quod est plus, verum etiam est, quod est minus: cum autem non viciſſim, si verum est minus, etiam verum sit plus, non potest suppositio subjecti disjunctiva mutari in distributivam. Fundamentum autem omnis conversionis est, quod in propositione affirmativa debeat subjectum saltem inadæquate identificari cum prædicato, & in propositione negativa debeat subjectum adæquate a prædicato distingui; quæ hic fusius non explicantur, quia sæpius in decursu logicæ dicenda recurrent.

107. Tripliciter autem fit conversio *simpliciter*, *per accidens*, & *per contrapositionem*. Conversio fit *simpliciter*, quando manet eadem quantitas, & qualitas propositionis: e. g. si dico: *Nullus lapis est homo: ergo nullus homo est lapis*. At fit *per accidens*, quando manente qualitate mutatur quantitas: e. g. si dico: *Omnis homo currit: ergo aliquod currens est homo*. Tandem fit per contrapositionem; quando manente eadem qualitate, & quantitate, termini finiti mutantur in infinitos, seu infinitantes, ut si dico: *Aliquis leo non est homo: ergo aliquis non homo non est non leo*.

Ad hæc facilius memoriæ mandanda compositi sunt hi versus dialectici: *Simpliciter feci: convertitur Eva per acci: Ast O per contra: sic fit conversio tota:* qui explicantur his aliis duobus: *Asserit A, negat E, sed universaliter ambo: Asserit J, negat O, sed particulariter ambo*. Ut mysterium versuum istorum intelligas, scire debes, in vocibus *Feci*, & *Eva*, solas vocales attendendas esse, nempe *E*, *J*, *A*. Et quidem *A*, juxta explicationem duorum versuum sequentium, significat propositionem universalem affirmativam. *E* significat propositionem universalem negativam. *J* significat propositionem particularem affirmativam: ac tandem *O*, (quod se solo in altero versu ponitur) significat propositionem particularem negativam.

108. Unde priores duo versus volunt 1. *Feci*, hoc est, propositionem universalem negativam, & particularem affirmativam, converti simpliciter, ut scilicet maneat eadem quantitas, ac qualitas, & termini immutati:

tati: e. g. hæc propositio; *Nullus homo est lapis*: sic convertitur. *Ergo nullus lapis est homo*: & altera: *Aliquis homo currit*: convertitur: *Ergo aliquod currens est homo*. Volunt 2. *Eva*, seu propositionem universalem negativam, & universalem affirmativam, converti per accidens, ut scilicet mutetur quantitas, e. g. hæc propositio: *Nullus homo est lapis*: potest etiam sic converti: *Ergo aliquis lapis non est homo*: & hæc: *Omnis homo currit*: convertitur: *Ergo aliquod currens est homo*.

109. Tandem O, seu propositio particularis negativa, neque potest converti simpliciter, neque per accidens: non simpliciter, quia e. g. hæc propositio: *Aliquod animal non est homo*: non potest sic converti: *Ergo aliquis homo non est animal*; nam sequeretur aperte falsum: & ratio est, quia subjectum supponens disjunctive in conversa, fieret in convertente prædicatum supponens distributive; eo quod afficeretur particula negativa (vide *num.* 35.) ex quo sequeretur, quod id, quod in conversa tantum dicebatur distingui ab aliquo, postea in convertente diceretur distingui ab omni: e. g. in conversa superiore dicebatur tantum aliquod animal distingui ab homine: in convertente autem dicitur distingui omne animal, quod est falsum: & eodem modo falsæ esse possunt aliæ similes convertentes; unde non est hæc legitima illatio, vel conversio.

Sed neque potest propositio negativa particularis converti per accidens ob rationem modo allatam, ut patebit consideranti. Unde ad summum potest converti per contrapositionem: e. g. hæc propositio: *Aliquis leo non est lapis*: sic potest converti: *Ergo aliquis non lapis non est non leo*: quæ etiam conversio, an sit legitima, disputatur: eam omnino rejicit de Benedictis: *l.* 1. *Log. q.* 2. *c.* 6. ego cum Casilio *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 9. saltem censeo inutilem: & certe redderet argumentationem ex ea deductam valde obscuram, & impeditam.

110. Notandum hic etiam, quod aliquando, si propositiones affirmativæ universales in materia necessaria convertantur per accidens, inferantur propositiones contingentes: e. g. ex hac propositione necessaria: *Omne currens est animal*: si per accidens convertatur, infertur hæc propositio contingens: *Ergo ali-*

aliquod animal est curren; : cum tamen, ut infra *num.* 153. dicemus, ex necessario non possit inferri contingens : & insuper in propositione contingenti verbum *est* significet idem, ac *existit:* at non ita in propositione necessaria.

Quare in his casibus conversio per accidens propositionis universalis affirmativæ non est legitima, nisi etiam propositio convertens sumatur in sensu necessario, adeoque implicite conditionato, & prædicatum tantum affirmetur conditionate, ac verbum *est* sumatur tantum in vi copulæ: e. g. superius adducta propositio : *Omne currens est animal:* seu, quæ idem significat : *Omne ens, si currit, est animal:* si per accidens convertatur, debet convertens hunc sensum facere : *Aliquod animal est ens, si currit :* quæ acceptio est satis impropria. Interim vel debet negari, propositiones tales posse ita converti : vel debet dici, eas non nisi similem sensum facere. Et sane, si conversa est implicite conditionalis, uti est in talibus propositionibus, convertens non potest esse omnino absoluta.

111. Ob. 1. Bona est ista conversio : *Omnis homo est animal rationale : ergo omne animal rationale est homo :* ergo propositio universalis affirmativa potest converti simpliciter. Resp. dist. ant. ista conversio est bona materialiter. conc. ant. formaliter neg. ant. & conseq. Conversio materialiter bona (sicut etiam argumentatio) dicitur illa, in qua quidem conversa, & convertens (seu præmissæ, & conclusio) veræ sunt, sed tantum quia materia, seu objectum earum propositionum a parte rei ita se habet, non autem, quia vi formæ sequuntur : conversio autem (vel etiam argumentatio) formaliter bona est illa, quæ talis est, ut retento in eodem modo, aut forma convertendi (seu argumentandi) nunquam in ulla materia deducatur falsum ex vero: sed talis non est conversio simplex propositionis universalis affirmativæ: nam e. g. statim est mala ista: *Omnis homo est animal: ergo omne animal est homo.*

112. Ob. 2. Hæ conversiones juxta dicta essent legitimæ. 1. *Nullus equus est in stabulo: ergo nullum stabulum est in equo* 2. *Nullus puer fuit senex : ergo nullus senex fuit puer.* 3. *Nullus senex erit puer: ergo*

ergo nullus puer erit senex. 4. *Homo est nomen : ergo aliquod nomen est homo:* sed hæ conversiones sunt partim falsæ, partim absurdæ : ergo dicta non subsistunt. Resp. neg. ma. nam in tribus primis conversionibus non totum subjectum vertitur in prædicatum; in prima enim terminus *in stabulo* non est totum prædicatum, sed *existens in stabulo;* unde non debet obliquus mutari in rectum, sed cum conversa significet : *Nullus equus est existens in stabulo :* debet convertens ita sonare: *Nullum existens in stabulo est equus.*

Secundæ conversæ sensus est : *Nullus puer est id, quod fuit senex :* adeoque conversa debet sic poni : *Nullum id, quod fuit senex, est puer.* Tertiæ sensus est : *Nullus senex est futurus puer:* adeoque conversa erit : *Nullus futurus puer est senex :* in his autem conversionibus totum subjectum transit in prædicatum, & sensus propositionum est verus. In quarta conversione sensus convertentis est amphibologicus; nam illa propositio : *Aliquod nomen est homo :* potest significare : *Inter alia nomina est etiam nomen homo :* & hic sensus est verus : potest autem etiam significare, *Aliquod nomen seu vox, est animal rationale :* & hic sensus est falsus, & conversio mala; quia subjectum in conversa supponit materialiter, in convertente formaliter; adeoque sunt æquivalenter duo subjecta.

113. Ob 3. Malæ sunt hæ conversiones. 1. *Nullus miles est miles fortis : ergo nullus miles fortis est miles.* 2. *Nullus homo est omne animal : ergo nullum animal est homo :* ergo propositiones universales negativæ non possunt semper converti simpliciter. prob. ant. in primo exemplo propositio conversa est contingens, ac convertens est impossibilis : in secundo conversa est vera, at convertens est falsa, ut patet : ergo. Resp. neg. conf. Non sunt malæ istæ conversiones ex eo, quod propositio universalis negativa convertatur simpliciter, sed ex alio capite; nam in primo exemplo, ut propositio possit esse vera, debet necessario subintelligi ex parte subjecti terminus *nunc existens* (nam evidenter est falsum, quod nullus miles possibilis possit esse fortis : imo hoc prædicatum *fortis*, utpote contingens, exigit existen-

ſtentiam ſubjecti *ex n.* 74.) ergo etiam hic terminus debet poni in convertente : & hæc erit vera ; nam ſic ſonabit : *Ergo nullus miles fortis eſt miles nunc exiſtens.* In ſecundo exemplo prædicatum eſt terminus collectivus : at verſus, vel regulæ converſionis, non loquuntur de propoſitionibus, habentibus terminos collectivos, ſed communes.

QUÆSTIO TERTIA.

De Tertia Mentis Operatione.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex ſit Diſcurſus, ſeu Argumentatio.

114. *Diſcurſus*, ſeu *Argumentatio* recte dicitur eſſe *oratio, qua unum ex altero infertur*. Dicitur *oratio*, ſcilicet compoſita ex antecedente, & conſequente, ſeu præmiſſa una, vel duplici, & concluſione. Dicitur, *in qua unum infertur ex altero* : per quas particulas excluduntur a ratione diſcurſus converſiones, vel conſequentiæ a propoſitione univerſali ad particularem &c. quia in his non infertur unum ex altero ; non enim datur alterum, ſed tantum datur unum, quod iterum ſequitur ex ſeipſo, vel totaliter, vel partialiter. Excluduntur etiam conſequentiæ falſæ, ſive formaliter, ſive materialiter falſæ ſint ; quia in his, vel non datur verum argumentum, ſeu non datur vere alterum : vel ſaltem non datur vera illatio.

115. Dividitur autem primo diſcurſus in *formalem*, & *virtualem* : & quidem *formalis* eſt, cui proprie convenit hæc data definitio ; quia in hoc datur vere unum, & alterum : id eſt, una, vel geminæ præmiſſæ formales, realiter diſtinctæ a concluſione formali : e. g. in hoc enthymemate : *Leo eſt animal : ergo eſt vivens* : prima propoſitio eſt unum, & ſecunda eſt alterum. At *virtualis diſcurſus* non habet antecedens, & conſequens realiter diſtinctum, ſed tantum diſtinctum virtualiter, ſeu potius æquivalenter:

ter : ſive in diſcurſu virtuali datur tantum una propoſitio, ſed tamen æquivalens duabus, ſeu antecedenti & conſequenti, realiter diſtinctis : e. g. ſi dico : *Petrus innocens non debet condemnari* : quæ propoſitio æquivalet his duabus diſtinctis : *Nullus innocens debet condemnari : ergo neque Petrus*.

Ubi tamen notandum, non omnem talem propoſitionem eſſe diſcurſum virtualem ; alias omnis propoſitio cauſalis eſſet diſcurſus virtualis, quod falſum eſt ; ſed, ut detur diſcurſus virtualis, debet in tali propoſitione una pars ſuo modo prælucere ad alteram : vel certe debet talis propoſitio præſupponere duas apprehenſiones, quarum una illuminet intellectum ad concipiendam alteram, ut ſcilicet ſit aliquis progreſſus a noto ad ignotum : quibus dein apprehenſionibus ipſa propoſitio etiam debet æquivalere per ſuum modum tendendi illativum.

116. Diſcurſus formalis (de quo præcipue hic agimus) partes ſunt tres, *antecedens*, *conſequens*, & *conſequentia*. Vocatur *antecedens* illa veritas, ſeu illud argumentum, aut medius terminus, ex quo deducitur *conſequens*, quod eſt veritas illata. Antecedens quandoque conſiſtit in duabus propoſitionibus, ſeu præmiſſis, quarum una vocatur *major*, altera *minor* : quandoque conſiſtit tantum in una, quæ vocatur ſimpliciter *antecedens*. Connexio autem utriuſque veritatis, antecedentis, & conſequentis, dicitur *conſequentia*, & indicatur per particulam *ergo*. Ubi nota, antecedens, & conſequens poſſe vel concedi, vel negari, vel etiam diſtingui ; conſequentiam vero tantum poſſe concedi, vel negari, non autem diſtingui ; quia non poteſt eſſe ambigua ; cum ejus leges ſint evidentes, ut infra oſtendetur.

117. Dividitur jam diſcurſus (ſeu argumentatio) in *materialiter*, & *formaliter bonum* : quamvis hæc diviſio ſit tantum analogica. *Materialiter bonus* eſt, quando antecedens, & conſequens eſt verum, ſed non datur conſequentia, ſeu connexio : e. g. ſi dico : *Ariſtoteles eſt homo : ergo eſt doctus* ; quia, licet Ariſtoteles vere ſit, & homo, & doctus, tamen antecedens non habet connexionem cum conſequente, neque hoc ex eo ſequitur. *Diſcurſus formaliter bonus* eſt, quando talis eſt diſpoſitio termi-

ſtentiam ſubjecti *ex n.* 74.) ergo etiam hic terminus debet poni in convertente : & hæc erit vera ; nam ſic ſonabit : *Ergo nullus miles fortis eſt miles nunc exiſtens.* In ſecundo exemplo prædicatum eſt terminus collectivus : at verſus, vel regulæ converſionis, non loquuntur de propoſitionibus, habentibus terminos collectivos, ſed communes.

QUÆSTIO TERTIA.

De Tertia Mentis Operatione.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex ſit Diſcurſus, ſeu Argumentatio.

114. *Diſcurſus*, ſeu *Argumentatio* recte dicitur eſſe *oratio, qua unum ex altero infertur*. Dicitur *oratio*, ſcilicet compoſita ex antecedente, & conſequente, ſeu præmiſſa una, vel duplici, & concluſione. Dicitur, *in qua unum infertur ex altero* : per quas particulas excluduntur a ratione diſcurſus converſiones, vel conſequentiæ a propoſitione univerſali ad particularem &c. quia in his non infertur unum ex altero ; non enim datur alterum, ſed tantum datur unum, quod iterum ſequitur ex ſeipſo, vel totaliter, vel partialiter. Excluduntur etiam conſequentiæ falſæ, ſive formaliter, ſive materialiter falſæ ſint ; quia in his, vel non datur verum argumentum, ſeu non datur vere alterum : vel ſaltem non datur vera illatio.

115. Dividitur autem primo diſcurſus in *formalem*, & *virtualem* : & quidem *formalis* eſt, cui proprie convenit hæc data definitio ; quia in hoc datur vere unum, & alterum : id eſt, una, vel geminæ præmiſſæ formales, realiter diſtinctæ a concluſione formali : e. g. in hoc enthymemate : *Leo eſt animal : ergo eſt vivens* : prima propoſitio eſt unum, & ſecunda eſt alterum. At *virtualis diſcurſus* non habet antecedens, & conſequens realiter diſtinctum, ſed tantum diſtinctum virtualiter, ſeu potius æquivalenter:

ter : ſive in diſcurſu virtuali datur tantum una propoſitio, ſed tamen æquivalens duabus, ſeu antecedenti & conſequenti, realiter diſtinctis : e. g. ſi dico : *Petrus innocens non debet condemnari* : quæ propoſitio æquivalet his duabus diſtinctis : *Nullus innocens debet condemnari : ergo neque Petrus*.

Ubi tamen notandum, non omnem talem propoſitionem eſſe diſcurſum virtualem ; alias omnis propoſitio cauſalis eſſet diſcurſus virtualis, quod falſum eſt ; ſed, ut detur diſcurſus virtualis, debet in tali propoſitione una pars ſuo modo prælucere ad alteram : vel certe debet talis propoſitio præſupponere duas apprehenſiones, quarum una illuminet intellectum ad concipiendam alteram, ut ſcilicet ſit aliquis progreſſus a noto ad ignotum : quibus dein apprehenſionibus ipſa propoſitio etiam debet æquivalere per ſuum modum tendendi illativum.

116. Diſcurſus formalis (de quo præcipue hic agimus) partes ſunt tres, *antecedens*, *conſequens*, & *conſequentia*. Vocatur *antecedens* illa veritas, ſeu illud argumentum, aut medius terminus, ex quo deducitur *conſequens*, quod eſt veritas illata. Antecedens quandoque conſiſtit in duabus propoſitionibus, ſeu præmiſſis, quarum una vocatur *major*, altera *minor* : quandoque conſiſtit tantum in una, quæ vocatur ſimpliciter *antecedens*. Connexio autem utriuſque veritatis, antecedentis, & conſequentis, dicitur *conſequentia*, & indicatur per particulam *ergo*. Ubi nota, antecedens, & conſequens poſſe vel concedi, vel negari, vel etiam diſtingui ; conſequentiam vero tantum poſſe concedi, vel negari, non autem diſtingui ; quia non poteſt eſſe ambigua ; cum ejus leges ſint evidentes, ut infra oſtendetur.

117. Dividitur jam diſcurſus (ſeu argumentatio) in *materialiter*, & *formaliter bonum* : quamvis hæc diviſio ſit tantum analogica. *Materialiter bonus* eſt, quando antecedens, & conſequens eſt verum, ſed non datur conſequentia, ſeu connexio : e. g. ſi dico : *Ariſtoteles eſt homo : ergo eſt doctus* ; quia, licet Ariſtoteles vere ſit, & homo, & doctus, tamen antecedens non habet connexionem cum conſequente, neque hoc ex eo ſequitur. *Diſcurſus formaliter bonus* eſt, quando talis eſt diſpoſitio termi-

norum, ac propositionum, ut ea servata nunquam in ulla materia ex vero antecedente inferatur consequens falsum: e. g. si dico: *Omne animal est vivens: sed omnis homo est animal: ergo omnis homo est vivens.* Potest tamen esse bona, seu legitima forma discursus, & consequentia, attamen consequens esse falsum, quando scilicet in antecedente ponitur aliquid falsum: e. g. si dico: *Omnis equus hinnit: sed omnis homo est equus: ergo omnis homo hinnit.*

118. Dividitur iterum discursus, seu argumentatio, in *syllogismum*, *enthymema*, *exemplum*, *inductionem*, & *soritem*: licet forte hæc divisionis membra non sint sibi omnia sufficienter opposita: de syllogismo postea, prius de aliis. *Enthymema* est argumentatio constans tantum una præmissa: e. g. si dico: *Omnis homo est animal: ergo Petrus est animal.* At *Exemplum* est argumentum a pari, ut illud: *Licuit otioso esse Themistocli: ergo licuit & Epaminondæ.* Jam *Inductio* est, si a pluribus particularibus sufficienter enumeratis, deducitur conclusio universalis: e. g. si quis dicat: *Petrus est risibilis: Paulus est risibilis &c. ergo omnis homo est risibilis.*

Tandem *Sorites* est continua series plurium propositionum, in quibus semper prædicatum præcedentis fit subjectum subsequentis, donec tandem prædicatum ultimum attribuatur subjecto primæ propositionis: e. g. si dico: *Omnis homo est animal: omne animal est vivens: omne vivens est substantia: omnis substantia est ens: ergo omnis homo est ens.* Captiosa est hæc argumentatio; ad quam reduci possunt aliquo modo syllogismi, pluribus propositionibus conditionalibus ita constantes, ut conditionatum prioris fiat conditio posterioris: & in utrisque suaviter attendendum, ac caute distinguendum.

119. His etiam a quibusdam apponitur *Dilemma*, quod tamen, cum reipsa sit syllogismus, ab aliis omittitur; eo quod membra divisionis debeant inter se pugnare, seu sibi opponi: at, quia, ut jam diximus, in hac divisione, dubia est ista oppositio, atque adeo non videtur stricte attendi, licebit breviter dicere, dilemma esse syllogismum cornutum, ideo ita dictum; quia adversarium, quidquid is dicat,

cat, semper ferit: & tale est illud S. Augustini *tract. in psalm.* 63. contra Judæos dicentes, discipulos Christi Domini corpus e sepulchro abstulisse dormientibus custodibus, sic argumentantis: *Si dormiebant, quid videre potuerunt? si nihil viderunt, quomodo testes sunt?* unde sic contra Judæos licet argumentari: *Vel dormierunt custodiæ, vel non: si dormierunt, testantur, quod non viderunt, suntque falsi testes: si non dormierunt, discipuli iis dormientibus non potuerunt auferre corpus, & ipsi vigiles utique prohibuissent.*

120. Jam *Syllogismus*, qui est præcipua species discursus, seu argumentationis, ex Aristotele 1. *priorum* 1. definitur *oratio, in qua quibusdam positis, aliud quidquam ab his, quæ posita sunt, ex necessitate accidit; eo quod hæc sunt*: vel, ut habet alia versio: *est ratio, in qua positis quibusdam alterum quid a positis necesse est contingere; eo quod hæc sint*: sive paulo clarius: *Syllogismus est oratio, in qua ex duabus positis, id est, concessis propositionibus, seu præmissis, necessario colligitur tertia propositio, seu conclusio.*

Alius autem dicitur *syllogismus communis*, qui constat medio termino communi. Alius dicitur *singularis*, seu *expositorius*, qui constat medio termino singulari, ac propterea clarissimus est, & hinc etiam propter claritatem dicitur expositorius, tanquam rem clarissime intellectui exponens, seu proponens. Alius item dicitur *categoricus*, qui scilicet constat propositionibus categoricis, seu *de inesse*: alius *modalis*, qui constat saltem una propositione modali.

121. Alius *compositus*, qui constat propositionibus compositis, e. g. syllogismus, cujus major propositio est disjunctiva, vel copulativa. Alius *hypotheticus stricte talis*, sive *conditionalis*, qui constat saltem una propositione conditionali. Alius *exponibilis*, qui constat una saltem propositione exponibili, de qua *num.* 71. Rursus alius syllogismus dicitur *demonstrativus*, cujus præmissæ sunt evidentes: & hic quidem, si demonstret effectum per causam, dicitur *demonstratio a priori*, vel *propter quid*: sin vero demonstret causam per effectum, dicitur *demonstratio a posteriori*, seu *quia*. Alius *topicus*, seu *dialecticus*, vel etiam *probabilis*, cujus vel utra-

utraque, vel saltem una præmissa, est tantum probabilis, vel tantum probabiliter inferens conclusionem. Demum alius est syllogismus *sophisticus*, seu *deceptorius*, qui peccat, vel in materia, vel in forma.

ARTICULUS II.

Quænam sint Principia Extrinseca Syllogismi.

122. UT res omnis creata alia, ita & syllogismus, habet sua principia extrinseca, & intrinseca: per illa intelliguntur causæ, vel, saltem reductive, etiam alia, actum primum proximum, ad productionem rei requisitum, constituentia: per ista intelliguntur partes, seu physicæ, seu metaphysicæ rei. Unde etiam explicanda a nobis sunt hæc principia syllogismi: & hoc quidem articulo agendum de principiis extrinsecis, dirigentibus ad conficiendum syllogismum: sequenti vero articulo de principiis, seu partibus etiam intrinsece constituentibus. Quatuor autem communiter assignant Philosophi principia, syllogismos regulantia, duo logica, duo metaphysica.

123. Duo priora sunt ista: *Dictum de omni*: &: *Dictum de nullo*: quæ dicuntur logica; quia logica considerat affirmationem, & negationem. Duo posteriora sunt ista: *Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: &: *Quæcumque distinguuntur in uno tertio, distinguuntur inter se*: quæ dicuntur metaphysica; quia metaphysica considerat identitatem, & distinctionem. Prima duo affert Aristoteles 1. *Prior.* 1. & sane sunt evidentissima, si penetrentur. Sensus primi, quod regulat syllogismos affirmativos, est: *Quidquid dicitur de aliquo termino, distributive, & universaliter sumpto, dicitur etiam de quovis ejus inferiore, in ipso contento, seu cum ipso identificato*. Sensus secundi, quod regulat syllogismos negativos, est: *Quidquid negatur de aliquo termino, distributive, & universaliter sumpto, negatur etiam de quovis ejus inferiore, in ipso contento, seu cum ipso identificato.*

Sane, si hæc principia in hoc sensu explicata vera non essent, sequeretur aperte, contradictoria esse vera; nam e. g. si vera est propositio: *Omnis homo est animal*: & tamen sub homine, de quo prædicatur animal, aliquod inferius esset contentum, quod non esset animal, evidenter etiam vera esset hæc propositio: *Aliquis homo non est animal*: quæ est contradictoria prioris. Pariter si vera esset hæc propositio: *Nullus homo currit*: & tamen aliquod sub homine contentum curreret, evidenter vera esset etiam hæc propositio: *Aliquis homo currit*: quæ eodem modo est contradictoria præcedentis. Unde hæc principia plane evidentia sunt.

124. Duo secunda principia indicat Aristoteles 7. *Topic.* 1. Ea Vasquez *in* 1. *p. tom.* 2. *disp.* 123. *c.* 2. & Casilius *l.* 2. *tr.* 2. *c.* 2. ac alii, videntur satis deprimere, certe primis, seu logicis multum postponere. Aeriter autem ea ut evidentia defendit Arriaga *disp.* 3. *in Summul. sect.* 4. *n.* 20. Hurtadus *disp.* 10. *Log. sec.* 16. Haunoldus *Log. pract. p.* 2. *c.* 2. *a.* 1. & communissime recentiores. Et sane evidentia sunt, si applicentur rebus creatis, in quibus non admittitur distinctio virtualis: quamvis ad mysteria divina, quæ prorsus omne lumen naturale superant, se non extendant: id quod etiam probabiliter dicendum de principiis logicis.

Sensus primi est: *Quando duo identificantur omnimode cum aliquo (quod tertium vocatur) identificantur etiam inter se.* Hoc certe in creatis est evidens; nam ponamus, quod aliquis homo habeat tria nomina, & vocetur Joannes Franciscus Antonius, certe, si Joannes idem est cum Francisco, & Antonius etiam idem est cum eodem Francisco, etiam evidenter idem est Joannes cum Antonio; alias verificarentur contradictoria inter Joannem, & Franciscum realiter identificatos, scilicet Franciscum esse identificatum cum Antonio, Joannem autem cum eodem non esse identificatum. Secundi principii sensus est: *Quando unum identificatur cum aliquo, & ab hoc alterum distinguitur, distinguuntur etiam inter se illud unum, & hoc alterum.* Hoc iterum in creatis est evidens; nam si e. g. sint duo, quorum unus vocetur Petrus, & alter Philippus Jacobus: si Petrus est distinctus a Philippo, etiam est distinctus a Jacobo.

125. Ad-

125. Advertendum tamen hic est, aliud esse *distingui in tertio*, aliud *distingui a tertio*. Sic in dato exemplo Philippus, & Jacobus distinguuntur a tertio, seu Petro, non tamen distinguuntur inter se; nam duo *distingui a tertio* nihil aliud est, quam neutrum illi identificari, ex quo nec infertur identitas, nec distinctio eorum inter se; possunt enim duo identificata distingui a tertio, ut in exemplo superiore Philippus Jacobus a Petro: & possunt duo realiter inter se distincta etiam distingui a tertio, e. g. leo, & homo a lapide. At *distingui in tertio* est unum tertio identificari, & alterum ab hoc distingui, ex quo infertur distinctio hujus alterius ab illo uno; alias verificarentur contradictoria de illo uno, & tertio, realiter identificatis; cum hoc tertium esset distinctum, & illud unum realiter identificatum non esset distinctum. Addendum, duo principia posteriora, seu metaphysica, magis clare elucere in syllogismis secundæ, & tertiæ figuræ, atque etiam in syllogismis expositoriis: at vero principia priora, seu logica, magis elucere in syllogismis primæ figuræ, præsertim directis, vide Haunoldum *Log. pract. p. 2. c. 2. a. 1.*

126. Ob. Hic syllogismus: *Deus est Pater: sed Filius est Deus: ergo Filius est Pater*: est malus, & tamen regulatur principiis logicis, & metaphysicis: ergo ista non sunt evidentia. Confirm. Etiam malus est iste syllogismus: *Essentia divina est Filius: sed Pater est essentia divina: ergo Pater est Filius*: & tamen eodem modo principiis illis regulatur: ergo. Resp. neg. ant. Hic syllogismus, cum non agat de rebus creatis, sed de inscrutabili divino mysterio, ad quod se non extendunt ista principia *ex n.* 123. non nititur illis principiis: adeoque licet sit malus, & conclusio ejus contra fidem, tamen manent principia ista intra suam lineam evidentia. Verbo: in divinis inter Patrem, & naturam divinam, verificari possunt prædicata contradictoria; quia datur distinctio virtualis, de qua inferius in logica *n.* 415. non autem datur hæc distinctio in creatis: adeoque, licet non procedant ea principia de illis, procedunt tamen de istis. Eadem responsio servit etiam ad confirmationem; quia syllogismus, in ea allatus, iterum agit de mysterio divino.

Respon-

Responderi etiam potest, in his syllogismis non distribui medium terminum *Deus*, & *essentia divina* (qua de re infra *n.* 138.) adeoque non regulari principio: *Dictum de omni*; non enim vera est hæc propositio. *Omnis, qui est Deus, est Pater*: neque etiam vera est ista: *Omnis qui est essentia divina, est Filius*. Et ex simili ratione falsus etiam est iste syllogismus: *Hæc aqua nunc præterfluens Ingolstadium, est Danubius: sed Danubius præterfluit Viennam: ergo hæc aqua, nunc præterfluens Ingolstadium, præterfluit Viennam*; nam terminus singularis *Danubius*, qui est medius terminus, non distribuitur æquivalenter, prout requiritur; cum non sit verum, hanc aquam hic Ingolstadii fluentem esse totum Danubium.

ARTICULUS III.

Quanam sint Principia Intrinseca Syllogismi.

127. PEr principia intrinseca, ut diximus *n.* 122. intelliguntur partes, ex quibus res componitur: & hæ communiter in *materiam*, & *formam* dividuntur. *Materia* alia dicitur *remota*, alia *proxima*: illa est, quæ nondum est proxime determinata ad eam denominationem, sub qua dicitur proxime pars: ista est, quæ jam est ita determinata: e. g. materia remota domus sunt ligna, calx, lapides &c. proxima sunt muri, tectum &c. Pariter in syllogismo *materia remota* sunt termini, *proxima* sunt propositiones: & quidem propositiones in omni syllogismo sunt *major*, *minor*, & *conclusio*. Est autem *major*, in qua est majus extremum: *minor*, in qua minus extremum: de quibus mox plura: & *conclusio* est propositio, quæ ultimo infertur: inter disputandum tamen solet semper major vocari, quæ prima pronunciatur, quamvis revera sæpe major non sit.

128. Termini in omni syllogismo sunt tres, nempe *majus extremum*, *minus extremum*, & *medius terminus*. Lis est inter Hurtadum, Casilium, & Conimbricenses, quid intelligatur per majus extremum. Quæstio est potissimum de voce. Dicimus cum Conimbricensibus, illud esse *majus extremum*, quod

est

est dignius, seu, quod in præmissis prædicatur de medio termino (quod etiam videtur colligi ex Aristotele *1. Prior. c. 4. vel juxta aliam divisionem cap. 5.*) quia prædicatum est nobilius subjecto; cum subjectum se habeat ut materia, prædicatum autem ut forma. Si vero utrumque extremum in præmissis prædicetur, vel utrumque subjiciatur, dicemus, illud esse *majus extremum*, quod prædicatur in conclusione; alterum vero erit *minus extremum*. Juxta omnes autem *medius terminus* est, qui bis ponitur in præmissis. Sic in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal:* majus extremum est terminus *animal:* minus extremum est terminus *Petrus:* medius terminus est terminus *homo*.

129. Jam *forma syllogismi* est artificiosa terminorum, & propositionum dispositio. Hujus duæ sunt partes, *figura*, & *modus*. Illa, seu *figura* est quasi forma terminorum, seu ordinatio terminorum, secundum prædicationem, & subjectionem: *modus* autem est quasi forma propositionum, seu earum dispositio secundum quantitatem, & qualitatem: ex qua dispositione sequitur, quod syllogismus, vel directe, vel indirecte concludat. Communiter auctores ex Aristotele. *1. Prior. cap. 4. & seq.* tres assignant figuras syllogismorum categoricorum (de aliis hic non agitur) cui Galenus quartam addidisse dicitur ab Averroe: sed fides sit penes auctorem; cum nulla hujus rei mentio inveniri dicatur in scriptis Galeni, quæ extant: fertur tamen etiam Galenus scripsisse aliquam logicam, quæ interierit.

Merito autem triplex assignatur figura; quia triplex potest esse terminorum dispositio. Prima est, si medius terminus in præmissis semel subjicitur, semel prædicatur, ut in hoc syllogismo: *Omne animal est sensitivum: Omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensitivus.* Secunda est, si medius terminus bis prædicatur: e. g. si dico: *Omne animal est sensitivum. Nullus lapis est sensitivus: ergo nullus lapis est animal.* Tertia figura est, si medius terminus bis subjicitur, e g. in hoc syllogismo: *Omnis homo est rationalis: Omnis homo est animal: ergo aliquod animal est rationale.* Dicta hæc de triplici figura continentur hoc versu dialectico: *Sub præ prima: secunda*

cunda bis præ: tertia bis sub, ubi *sub*, & *præ* significant subjici, & prædicari medium terminum.

130. Longe plures sunt modi syllogismorum; scilicet novendecim; quia plures sunt combinationes propositionum, & earum varietates ad probandum utiles. Modi isti indicantur his versibus.

Barbara Celarent Darii Ferio Baralipton
Celantes Dabitis Fapesmo Frisesomorum
Cesare Camestres Festino Baroco Darapti
Felapton Disamis Datisi Bocardo Ferison.

Ex his vocibus primæ novem spectant ad primam figuram: quatuor sequentes ad secundam: reliquæ sex ad tertiam. Unde ad primam figuram spectant novem modi, ex quibus primi quatuor dicuntur *directi*, id est, tales, ut statim appareat, eos rite concludere, nec indigere reductione, de qua *n.* 165. reliqui vocantur *indirecti*. Quatuor modi sequentes, *Cesare Camestres Festino Baroco* spectant ad secundam figuram: reliqui ad tertiam.

131. In his autem vocibus istorum quatuor versuum in ordine ad modos syllogismorum, de quibus nunc agitur, attendendæ sunt tres primæ vocales, quarum quælibet significat aliquam propositionem, eadem ratione, sicut in versibus de conversione propositionum (de quibus *n.* 107.) nempe *A* significat propositionem universalem affirmativam, *E* universalem negativam, *I* particularem affirmativam, *O* particularem negativam: reliquæ vocales in vocibus plusquam trisyllabis negliguntur, e. g. in *Frisesomorum* alterum *O*, & *U*.

Quare, si scire velis, ad quam figuram spectet syllogismus, considerandus est medius terminus: si autem scire velis, ad quem modum spectet, attendendum est ad quantitatem, & qualitatem propositionum, item ad hoc, quænam propositio sit major, quæ minor: e. g. ponatur hic syllogismus: *Aliqua virtus est delectabilis: Nullum vitium est virtus: Ergo aliquid delectabile non est vitium:* cum videas medium terminum semel subjici, semel prædicari, recte infers, syllogismum spectare ad primam figuram: cumque ulterius videas, majorem esse particularem affirmativam, minorem autem universalem negativam, & conclusionem esse particularem

nega-

negativam, iterum recte infers, eum spectare ad modum *Frisesomorum*.

132. Obji. 1. Pro figura dicta Galenica. Datur quadruplex dispositio termini medii: ergo dantur quatuor figuræ. ant. prob. nam primo potest medius terminus bis prædicari, secundo potest bis subjici: tertio potest prædicari in majore, & subjici in minore: quarto potest prædicari in minore, & subjici in majore: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. 3. membrum ant. nam, nisi medius terminus bis prædicetur, non potest prædicari in majore; illa enim propositio, in qua subjicitur, erit major, sive primo, sive secundo loco ponatur; quia illa habebit majus extremum *ex n.* 127. & 128.

Nec dicas 1. illud universaliter esse majus extremum, quod prædicatur in conclusione; nam si, non idem prædicetur in conclusione, quod prædicatum est in præmissis, tunc istud prædicatum in præmissis est nobilius prædicato in conclusione, eo quod nobiliorem obtineat locum; nam præmissæ utpote veritates immediatæ, vel certe notiores conclusione, sunt etiam ista nobiliores.

Nec dicas 2. mutationem terminorum facere aliam figuram, adeoque etiam mutationem propositionum; nam mutatio propositionum, quæ ab adversariis hic affertur, est prorsus tantum accidentalis: & in ordine ad illationem, ac sensum, prorsus perinde est, an propositio primo, an secundo loco ponatur: at mutatio terminorum est essentialis, intrinseca propositionibus; longe enim alia est propositio, & alius ejus modus tendendi, si ex subjecto fiat prædicatum, vel vicissim: & propositio convertens, ac conversa intrinsece differunt.

133. Obji. 2. Hic syllogismus: *Omnis virtus est amplectenda: Omnis pietas est virtus: ergo aliqua pietas est amplectenda*: directe concludit, & tamen non pertinet ad aliquem ex quatuor modis directis: ergo dantur plures modi. Resp. neg. 2. partem ant. spectat enim hic syllogismus ad *Barbara*; nam in omni syllogismo, in quo potest inferri propositio universalis, potest etiam inferri particularis subalterna, ut colligitur facile ex dictis *num.* 82. & auctores in divisione modorum syllogisticorum tantum attenderunt ad syllogismos, in quibus inferretur, quantum inferri posset: alios autem, in quibus minus inferretur, ad eos reduxerunt. Quod autem dictum est de hoc syllogismo objecto, idem dicendum de similibus aliis, ob quos Linceus *lib.* 5. *tract.* 1. *cap.* 4. *dialect.* quinque alios modos, superflue tamen, admitti; nam omnes eodem modo reduci possunt.

Dices. Omnes prorsus syllogismi possunt reduci ad quatuor modos directos primæ figuræ: ergo, si propterea non admittuntur novi modi a Lynceo asserti, etiam debent non admitti reliqui præter dictos quatuor primos. Resp. dist. ant. possunt omnes reduci ad quatuor ea ratione, qua modi a Lynceo asserti. neg. ant. longe diversa ratione. conc. ant. & neg. conseq. Modi Lynceï reducuntur ad alios præcise per hoc, quod loco propositionis universalis subalternantis ponatur propositio particularis subalternata, quæ est mutatio valde levis: e contra alii syllogismi non possunt reduci ad illos quatuor, nisi mutentur propositiones per conversionem, aut variam terminorum transmutationem, de qua inferius *a num.* 165.

134. Objic. 3. Juxta Aristotelem, & communem etiam aliorum, conclusio debet esse similis præmissis: sed in *Baralipton*, ubi præmissæ sunt universales, & conclusio particularis, ista non est similis illis: ergo. Confir. Hic syllogismus: *Omnis homo currit: sed Petrus est homo: ergo Petrus currit*: non spectat ad ullum ex novendecim modis, & tamen est bonus: ergo debent admitti plures modi. Resp. neg. min. licet enim illa conclusio differat a præmissis in quantitate, seu non sit universalis, non tamen differt in qualitate; quia etiam est affirmativa, adeoque est similis; nam similitudo desumitur a qualitate. Ad confir. neg. ant. Quidam auctor revocat hunc syllogismum ad *Darii*, vultque, propositionem singularem æquivalere particulari: mihi vero videtur revocandus ad *Barbara*; quia terminus singularis supponit æquivalenter distributive, adeoque universaliter, ut diximus *n.* 36. Alia leviora, qua adhuc objici possent, omitto: nam hucusque allata forte jam sunt nimia de materia,

teria, quæ vix ullam habet utilitatem in Philosophia, aut Theologia.

ARTICULUS IV.

Statuuntur Regulæ Generales Syllogismi Categorici.

135. Regula 1. In syllogismo debent esse tres termini, & non plures. Prob. 1. pars. Ut detur identitas, vel distinctio duorum in tertio, necessaria utique sunt tria, seu tres termini: ergo. Prob. etiam 2. pars. Si essent e. g. quatuor termini, & omnes ponerentur in præmissis, non affirmaretur identitas duorum cum tertio, sed tantum singulorum duorum inter se: nec ullus esset terminus medius, cum quo utrumque extremum identificaretur. Si autem non omnes ponerentur in præmissis, inferretur aliquid in conclusione, quod non fuit positum in præmissis, adeoque duo identificarentur inter se, quæ non fuerant identificata cum tertio.

136. Ope hujus regulæ solvuntur plura sophismata: e. g. *Omnes mei domini sunt honorandi: sed isti equi sunt mei domini: ergo isti equi sunt honorandi.* item: *Omnis homo est animal: sed hæc statua est homo: ergo hæc statua est animal.* rursus: *Quod non amisisti, habes: sed hircocervum non amisisti: ergo habes hircocervum.* iterum; *Omnis, qui te dicit esse hominem, verum dicit: sed omnis, qui te dicit esse furem, dicit te esse hominem: ergo omnis, qui te dicit esse furem, verum dicit;* in his enim omnibus syllogismis sunt quatuor termini. In primo verba *mei domini* semel sunt terminus totalis, semel sunt tantum partialis, & quidem obliquus; nam in minore terminus, seu prædicatum totale, est *res propria mei domini*: qui est longe alius terminus, quam prior. In secundo terminus *homo* semel accipitur univoce, semel analogice, quæ diversa acceptio facit duplicem terminum. In tertio verba *non amisisti* semel sunt terminus tantum partialis; nam subintelligitur, *quod prius possedisti*: altera vice sunt terminus totalis, nec quidquam subintelligitur: adeoque sunt iterum duplex terminus. In quarto vox *hominem* semel est terminus, ut ita dicam,

dicam, restrictus, & significat idem, ac *tantum hominem*: altera vice non est ita restrictus, adeoque est rursus terminus duplex.

137. Regula 2. Medius terminus non potest ingredi conclusionem. Prob. Alias probatur idem per idem, & est potius conversio, quam discursus: e. g. per hunc syllogismum: *Omnis homo est animal: sed Petrus est homo: ergo aliquis homo est Petrus:* nihil probatur novi, sed tantum secunda propositio convertitur per tertiam. Confirmatur. Si medius terminus ingreditur conclusionem, conclusio non differt a præmissis, nec habetur finis syllogismi; hic enim est identificare extrema inter se, quod non fit, nisi extrema ponantur in conclusione: si autem ea ponantur in hac, non est locus medio termino.

138. Regula 3. Medius terminus debet saltem in una præmissa distribui. Prob. Alias syllogismus, nec regulatur principiis logicis, nec metaphysicis: ergo. prob. 1. pars. Dictum de omni, & Dictum de nullo, non habent locum, nisi in suppositione universali, & distributiva: atqui his dictis vel maxime debet affici medius terminus: ergo hic debet saltem semel distribui. prob. min. si aliquid non convenit omni medio termino, non potest id affirmari de qualibet ejus parte, seu inferiore: & si aliquid non disconvenit omni medio termino, iterum non potest illud negari de omni ejus parte, seu inferiore: ergo.

Prob. jam 2. pars de principiis metaphysicis. Tunc tantum medius terminus est ratio infallibilis connexionis duorum extremorum inter se, quando ista ipsi nectuntur secundum idem, seu secundum eandem partem: atqui, si medius terminus non sumitur universaliter, seu distributive, potest unum extremum ei necti secundum unam partem, & alterum secundum alteram partem: ergo, si medius terminus non sumitur universaliter, non est ratio infallibilis connexionis duorum: e. g. in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal: aliquod animal est equus: ergo omnis homo est equus:* conclusio est aperte falsa: & ratio est; quia, cum medius terminus *animal* non distribuatur, una ejus pars, seu unum membrum inferius, scilicet *animal rationale*, identificatur cum homi-

homine: & altera ejus pars, nempe *animal irrationale*, identificatur cum equo: cum ergo homo, & equus, non identificentur eidem parti, seu inferiori animalis, non identificantur inter se.

139. Eadem est ratio de distinctione; tunc enim tantum medius terminus est ratio infallibilis distinctionis duorum extremorum inter se, quando unum ex his extremis identificatur eidem parti tertii, seu medii termini, & alterum ab eadem distinguitur; alias, si unum extremum identificatur uni parti, & alterum distinguitur ab alia, nihil rite infertur: e. g. in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal: Aliquod animal non est rationale: ergo omnis homo non est rationalis:* conclusio est falsa; quia scilicet *homo* identificatur uni parti animalis, nempe potenti ratiocinari: e contra *rationale* distinguitur ab altera parte animalis, scilicet a non potente ratiocinari; & hinc non sequitur, hominem, & rationale distingui inter se.

At vero, si medius terminus distribuatur, tunc in syllogismo affirmativo nectuntur extrema eidem parti tertii, id est, medii termini, & in syllogismo negativo distinguuntur in eadem parte tertii, adeoque inter se, e. g. in his syllogismis: *Omnis homo est animal. Omne animal est vivens: ergo omnis homo est vivens:* item: *Omnis equus est hinnibilis: Nullus homo est hinnibilis: ergo nullus homo est equus.*

140. Regula 4. Nihil potest distribui in conclusione, quod non fuit distributum in præmissis. Prob. Medius terminus est mensura identitatis, & distinctionis extremorum inter se; in tantum enim ista inter se connectuntur aut distinguuntur, in quantum connectuntur cum medio termino, vel ab eo distinguuntur: ergo non debent extrema in majori latitudine inter se connecti, vel distingui in conclusione, quam fuerint in præmissis connexa cum medio termino, vel ab eo distincta: atqui hoc fieret, si in conclusione aliquid distribueretur, quod non fuit distributum in præmissis: ergo.

Prob. min. Sic enim extremum, quod in præmissis cum medio termino erat connexum, vel ab eo distinctum, tantum secundum unam partem, connecteretur,

tur, vel distingueretur in conclusione ab altero extremo secundum se totum: e. g. in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal: Nullus leo est homo: ergo nullus leo est animal:* animal in præmissis tantum inadæquate fuit identificatum cum medio termino *homo;* quia non omne animal, sed tantum aliquod, scilicet rationale, est homo: quæ inadæquata identitas non exigit, aut infert adæquatam distinctionem animalis a leone: nec impedit, quo minus etiam leoni identificetur inadæquate animal, scilicet secundum alteram suam partem, seu animal irrationale: adeoque, cum in conclusione modo posita asseratur adæquata distinctio omnis animalis a leone, aperte asseritur major distinctio, quam fuerit asserta in præmissis.

141. Regula 5. Non possunt ambæ præmissæ esse negativæ. Prob. Ex duabus negativis nihil legitime infertur: ergo. prob. ant. vel enim in conclusione extrema deberent identificari, vel distingui: neutrum potest dici: ergo. prob. mi. non potest dici primum; quia ad hoc necesse est, ut identificentur in præmissis: hoc autem non potest fieri; cum propositiones omnes sint negativæ, ut patet. Neque potest dici secundum; quia, ut distinguerentur in tertio, & non tantum a tertio, deberet tertium cum uno extremo in præmissis identificari *ex nu.* 125. hoc autem non potest fieri, nisi saltem una propositio sit affirmativa, per quam affirmetur tertium de uno extremo, vel unum extremum de tertio; ergo; unde male concludit hic syllogismus: *Nullus homo est lapis: nullus lapis est rationalis: ergo nullus homo est rationalis.*

142. Regula 6. Præmissæ non possunt ambæ esse particulares. Prob. Vel enim utraque esset affirmativa, & medius terminus non distribueretur, contra dicta *nu.* 138. Vel una esset negativa, altera affirmativa (utraque negativa esse non posset *ex n.* 141.) & tunc is terminus solus distribueretur, qui afficeretur particula negativa: ergo, vel medius terminus non distribueretur, vel nullum extremum distribueretur in præmissis; quia unicus tantum terminus afficeretur particula negativa: si primum, conclusio erit mala *ex num.* 138. si secundum, tunc distribueretur aliquid in conclusione, scilicet aliquod ex-

trenum, quod non fuit distributum in præmissis; quia conclusio talis debet esse negativa, ut mox dicemus *n. seq.* adeoque particula negativa debet afficere, & consequenter *ex n.* 35. distribuere aliquod extremum, scilicet prædicatum conclusionis: ergo conclusio iterum erit mala *ex nu.* 140. Ubi tamen advertendum, aliud esse propositionem particularem, aliud esse propositionem singularem, quæ nempe habet subjectum singulare: e.g. hæc: *Petrus est homo*; nam, cum hi termini singulares sint æquivalenter distributivi *ex num.* 36. etiam propositio singularis est æquivalenter distributiva, & consequenter etiam eodem modo universalis.

143. Regula 7. Conclusio debet sequi debiliorem partem, saltem quod quantitatem, & qualitatem, ita, ut, si una præmissa sit particularis, etiam conclusio debeat esse particularis, &, si una præmissa sit negativa, etiam conclusio sit negativa. Prob. 1. p. Si aliqua præmissa est particularis, & conclusio universalis, tunc vel distribuitur aliquid in conclusione, quod non fuit distributum in præmissis, vel medius terminus non distribuitur: utrumque facit, ne conclusio sit legitima *ex num.* 138. & 140. ergo.

Prob. ma. Si præmissæ sunt affirmativæ, & una est particularis, tunc unus tantum terminus, qui nempe est subjectum propositionis universalis, & afficitur signo universali *omnis* distribuitur: ergo, vel medius terminus non distribuitur in præmissis, vel si hic in præmissis distribuitur, nullum extremum distribuitur: cumque conclusio sit universalis, debet necessario in ea aliquod extremum affici signo universali *omnis*, adeoque distribui, quod non fuit distributum in præmissis; hinc malus est syllogismus: *Omnis leo est rugibilis: sed aliquod animal est leo: ergo omne animal est rugibile.*

144. Idem contingit, si una ex præmissis sit negativa; nam, vel iterum medius terminus non distribuitur, si scilicet in propositione universali affirmativa sit prædicatum, & in particulari negativa sit subjectum, ut in hoc syllogismo malo: *Omnis homo est animal: Aliquod animal non est rationale: ergo omnis homo non est rationalis:* vel unum ex extremis,

mis, scilicet subjectum propositionis particularis, non distribuitur in præmissis, quod tamen dein distribuitur in conclusione; cum conclusio debeat esse negativa, (ut mox probabimus,) & ex supposito adversariorum insuper debeat esse universalis, in qua tam subjectum, utpote affectum signo universali *nullus*, & prædicatum, utpote etiam affectum negatione distribuitur: & hic non concludit hic syllogismus: *Nullus lapis est animal: sed aliquod animal est substantia: ergo nullus lapis est substantia.*

Quod autem conclusio debeat esse negativa, si una præmissa sit negativa, (quæ est 2. pars) probatur facile. Si una præmissa est negativa, tunc duo distinguuntur in tertio in præmissis: ergo non possunt identificari in conclusione: quod tamen fieret, si conclusio esset affirmativa; nam assereret, duo extrema esse identificata. Nota autem, dictum esse, conclusionem sequi debiliorem partem quoad quantitatem, & qualitatem; nam, an etiam sequatur debiliorem partem quoad alia, est alia quæstio, a qua abstrahimus: & certe est una ex legibus bonæ consequentiæ, de quibus infra, quod ex falso possit sequi verum: adeoque conclusio non debet sequi præmissas quoad falsitatem. Hoc tamen existimo, conclusionem etiam debere sequi debiliorem partem quoad certitudinem; nam conclusio deducta ex una præmissa evidenti, sed altera tantum probabili, non est plus, quam probabilis. Sane non videtur posse intellectus firmius, aut, quod idem est, certius, assentiri consequenti, quam antecedenti; cum hoc sit unica ratio, & unicum fundamentum, cui innititur assensus consequentis.

145. Regulæ hucusque allatæ sunt generales pro omnibus syllogismis categoricis: sunt & aliæ cuivis ex tribus figuris propriæ, quæ comprehenduntur his tribus versibus, quorum primus respondet figuræ primæ, secundus secundæ, & tertius tertiæ.

Sit minor affirmans, nec major sit specialis:
Una negans præeat, nec major sit specialis:
Sit minor affirmans, conclusio sit specialis.

de quibus (quia earum usus vix est deinceps ullus) hæc breviter dicta sufficiant. In prima figura major debet esse universalis, & minor affirmativa: in se-

cunda iterum major debet esse universalis, & una ex præmissis debet esse negativa: in tertia autem figura minor debet esse affirmativa, & conclusio debet esse particularis. Qui plura cupit, adeat Casilium *l. 3. tr. 2. c. 7.* vel Du Trieu *tr. 3. p. 2. c. 1. a 3. 4. & 5.* vel Haunoldum *Log. pract. p. 2. c. 3.*

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

146. OB. 1. contra 1. regulam. Hic syllogismus: *Omnis homo est animal: sed Petrus est homo doctus: ergo Petrus est animal:* est bonus, & tamen habet quatuor terminos: ergo. Resp. dist. ant. est bonus materialiter. conc. ant. bonus formaliter. neg. ant. & conseq. *Homo doctus* est terminus restrictus, & vere alius terminus, quam *homo*, se solo positus; & hinc syllogismus non est formaliter bonus; quia in simili dispositione terminorum, & propositionum, non semper rite concludit: id est, si disyonantur eodem modo propositiones veræ, conclusio sæpe est falsa, quod patet in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal: sed hæc imago est homo pictus: ergo hæc imago est animal.*

Quin etiam difficulter tolerari potest hic syllogismus: *Omnis homo est animal rationale: sed Petrus est homo: ergo Petrus est animal:* quia per se debet totus terminus, cum sua restrictione, vel determinatione &c. in conclusione inferri; alias non universaliter rite concluditur: e. g. claudicat hic syllogismus: *Omnis imago hominis est homo pictus: sed effigies Cæsaris est imago hominis: ergo effigies Cæsaris est homo:* quæ conclusio est manifeste sophistica.

147. Ob. 2. Hic syllogismus: *Deus compensabit omne opus bonum; sed eleemosyna est opus bonum: ergo Deus compensabit eleemosynam:* est bonus, & tamen habet quatuor terminos, scilicet *Deus*, *compensans*, *eleemosyna*, *opus bonum:* ergo. Resp. dist. ant. habet quatuor terminos, æquivalentes tamen tribus, & facile reducibiles ad tres. conc. ant. non ita æquivalentes, aut ita reducibiles. neg. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. cons. Syllogismus objectus æqnivalet huic: *Omne bonum est compensandum a Deo: sed eleemosyna est aliquod opus bonum: ergo eleemosyna est compensanda a Deo:* in quo sunt tantum tres termini: scilicet duobus terminis *Deus compensabit* æquivalet hic unus *a Deo compensandum.*

148. Ob. 3. contra 5. regulam. Hic syllogismus: *Omne, quod non est spiritus, non est Angelus: sed lapis non est spiritus: ergo non est Angelus:* est bonus, & tamen ambæ præmissæ sunt negativæ: ergo. Resp. neg. ant. Vel enim syllogismus non est formaliter bonus; quia habet quatuor terminos, scilicet *lapis*, *Angelus*, *spiritus*, *& omne quod non est spiritus*, sive *non spiritus;* nam terminus habens conjunctam negationem, seu infinitans, est alius a termino finitante, eandem negationem non habente. Vel, si hic syllogismus non habet quatuor terminos, tunc minor est affirmativa, & debet sumi infinitanter, ut sensus sit: *sed lapis est aliquid, quod non est spiritus*, seu, *est non spiritus.*

Dices. Omnis propositio negativa potest aliquo modo reduci ad infinitantem: ergo omnis syllogismus, constans duabus præmissis negativis, erit bonus. Resp. neg. cons. quia, si fiat ista reductio, aliud vitium sæpe habebit syllogismus, ex. gr. hic syllogismus: *Nullus equus est homo: Nullus equus est rationalis: ergo nullus homo est rationalis:* si reducatur ad propositiones affirmativas, ex. gr. ad has: *Omnis homo est distinctus ab equo: Omnis equus est distinctus a rationali: ergo omnis homo est distinctus a rationali:* habet clare quatuor terminos, nempe *homo*, *equus*, *distinctus a rationali*, *distinctus ab equo.*

Quod si alteram relinquas negativam, & dicas: *Nullus equus est homo: Omnis equus est distinctus a rationali: ergo nullus homo est distinctus a rationali:* imprimis est alius sensus conclusionis, priori omnino contrarius: dein tamen adhuc terminus *distinctus a rationali* distribuitur in conclusione, qui non fuit distributus in præmissis. Unde ex præmissis pure negativis nihil sequitur, saltem, nisi una præmissa possit sumi infinitanter, seu verti aliter in affirmativam, salvis omnibus aliis regulis syllogismorum.

149. Ob. 4. contra 6. regulam. Hic syllogismus:

Aliquis Logicus est Petrus: Aliquis homo est Petrus: ergo aliquis Logicus est homo: est bonus, & tamen habet utramque præmissam particularem: ergo. Resp. om. quod præmissæ sint particulares; quia saltem habent prædicatum singulare. dist. 2. partem ant. & tamen habent prædicatum æquivalenter distributivum. conc. ant. hoc non habent. neg. ant. & conseq. Regula septima, uti & aliæ, loquuntur de prædicatione ordinata, qualis hæc non est, & loquuntur de syllogismis constantibus prædicato singulari, vel alio prædicato distributive supponente.

150. Ob. 5. contra 7. regulam. Bonus est hic syllogismus: *Omnes stellæ, quæ non scintillant, sunt prope nos: Sed planetæ non scintillant: ergo sunt prope nos:* & tamen, quamvis major sit negativa, conclusio est affirmativa: consequenter non sequitur debiliorem partem: ergo. Resp. neg. 2. p. ant. seu nego, minorem esse negativam: nam debet necessario ita explicari: *Sed planetæ sunt stellæ, quæ non scintillant:* quæ propositio ratione copulæ principalis est affirmativa. Si minor non ita explicetur, syllogismus est malus, utpote habens quatuor terminos; nam primus est *stellæ, quæ non scintillant*, secundus *planetæ*, tertius *prope nos*, seu *propiores*, quartus *non scintillant*; utique enim diversum est tantum *non scintillare*, & *esse stellam non scintillantem*: nam equi, & leones, non scintillant, quin sunt stellæ non scintillantes.

ARTICULUS VI.

Statuuntur Leges, seu Regulæ bonæ consequentiæ.

151. Leges istæ, seu regulæ, non tantum ut priores locum habent in solis syllogismis categoricis, sed etiam in aliis argumentationibus.

Regula 1. Ex vero non potest sequi falsum, sed tantum verum. Prob. Ab illo non potest dari consequentia ad aliquod aliud, quod non habet necessariam connexionem cum isto: atqui verum non habet connexionem necessariam cum falso, sed tantum cum vero: ergo a vero non potest dari consequen-

quentia ad falsum, sed tantum ad verum, & hoc solum potest ex vero sequi. prob. mi. si verum haberet necessariam connexionem cum falso, tunc in antecedente vero contineretur aliquod consequens falsum; sed hoc manifeste repugnat; quia, quod continetur in vero, manifeste est verum: ergo. ma. est certa; quia consequens, seu conclusio, debet præcontineri in antecedente, seu in præmissis: videatur etiam *num.* 159. mi. quoque est clara, ut patet expendenti.

152. Regula 2. Ex falso potest sequi falsum, & verum, ut docet Aristoteles *Topic. 8. text. 76.* Ut hæc regula rite intelligatur, sciendum est, eam non velle, quod ex falso ut falso, sive clare cognito qua tali, aliquid sequatur; nam intellectus, si quid cognoscat clare esse falsum, non movetur, ut ulterius progrediatur discutiendo; unde regula tantum vult, ex falso, quod supponitur esse verum, posse sequi verum, & falsum.

Addendum est ulterius, quod, si consequens, seu conclusio se debeat reflectere in antecedens, seu præmissas (de qua re infra in logica *nu.* 937.) tantum possit ex falso sequi consequens verum quoad objectum materiale, non autem quoad objectum formale, seu quoad motivum, quod juxta eam opinionem iterum affirmat, &, ut ponitur, falsum est. Imo, cum juxta hanc sententiam conclusio sit propositio causalis, & ista affirmans rationem falsam, sit simpliciter falsa *ex n.* 75. etiam talis conclusio erit simpliciter falsa, & tantum secundum quid vera. Rursus hæc regula non vult, quod veritas alicujus objecti pendeat ab aliqua falsitate, vel habeat veram connexionem cum illa: sed tantum, quod, admissa per aliquem errorem connexione aliqua veri cum falso, possit ex falso inferri verum.

Prob. jam hujus regulæ 1. pars. Intellectus sæpe in suis discursibus, etiam formaliter bonis, fallitur, & infert falsum: sed hoc non potest inferri ex vero *ex n.* 151. ergo debet inferri ex falso. Prob. jam 2. pars. Possunt duo extrema, vere inter se connexa, connecti fictitie per errorem cum aliquo medio termino, cum quo reipsa nullam habent connexionem: sed, posita, & admissa per errorem tali connexione, rite infertur, vel sequitur verum ex falso: ergo.

Sic e. g. in hoc syllogismo : *Omnis homo est lapis : Omnis lapis est animal : ergo omnis homo est animal :* duo extrema *homo* , & *animal* , quæ jam aliunde erant connexa , connectuntur per errorem cum lapide in præmissis , & in consequenti inferuntur connexa inter se , prout revera connexa sunt.

153. Regula 3. Ex necessario non potest sequi , nisi necessarium . Prob. 1. Antecedens debet habere connexionem cum consequente , & hoc debet contineri in illo : atqui necessarium , adeoque necessario , & ab æterno verum , non habet connexionem cum contingente , seu contingenter vero ; alias enim , vel necessarium posset etiam deficere cum contingente , vel contingens non posset deficere : quod utrumque implicat : ergo necessarium non potest esse antecedens respectu contingentis. Prob. 2. Consequens debet contineri in antecedente *ex num.* 151. atqui contingens non potest contineri in necessario , ut omnes fatentur : ergo. Prob. 3. Quæcumque necessario nectuntur cum tertio , etiam necessario nectuntur inter se : sed extrema in præmissis necessariis , seu in antecedente necessario , nectuntur necessario in tertio : ergo etiam in conclusione , seu in consequente , necessario nectuntur inter se . Confir. Si ex necessario posset sequi contingens , vel impossibile , posset ex vero sequi falsum : hoc repugnat *ex n.* 151. ergo. prob. ma. impossibile semper est falsum : contingens potest esse falsum : ergo , si ex necessario posset sequi impossibile , vel contingens , posset sequi id , quod vel esset necessario falsum , vel saltem posset esse falsum : ergo.

154. Regula 4. Ex contingente potest sequi contingens , & necessarium . Prob. 1. pars. Datur aliquod verum contingens : sed hoc non potest sequi ex necessario : neque debet per se , & necessario sequi ex falso : ergo debet posse sequi ex contingente vero . Prob. etiam 2. pars . Possunt duo extrema , necessario inter se connexa , connecti cum aliquo medio termino contingenter , sicut possunt apparenter , & fictitie connecti cum aliquo medio falso : sed sic sequitur necessarium ex contingente : ergo . Exemplum est in hoc syllogismo . *Omne currens est animal : Omnis homo est currens : ergo omnis homo est animal .*

Con-

Confir. Contingens debet tandem reduci ad necessarium , tanquam ad suam causam : ergo ex contingente tanquam effectu potest inferri necessarium tanquam causa : & sic ex creaturis contingentibus demonstratur existentia Dei necessaria .

155. Regula 5. Ex affirmatione antecedentis legitime infertur affirmatio consequentis : non vero vicissim ex affirmatione consequentis legitime infertur affirmatio antecedentis : sic valet : *Datur creatura : ergo datur Deus :* non vero valet : *Datur Deus : ergo datur creatura :* item valet : *Illud currens est homo : ergo est animal :* non autem valet : *Illud currens est animal : ergo est homo .* Probatio primæ partis hujus regulæ habetur ex præcedentibus regulis . Probatio vero secundæ partis est ista . Connexio antecedentis cum consequente , vel est physica , vel est logica : si est physica , sæpe non est mutua : e. g. effectus connectitur cum causa , non vero causa cum effectu : quando autem connexio mutua non est , tunc ex non connexo , e. g. causa , non infertur alterum , e. g. effectus : patent hæc in primo exemplo Dei , & creaturæ . Si vero connexio est logica , tunc est identitas : hæc autem sæpe est tantum inadæquata cum termino latius patente , & tunc iterum non est bona illatio , ut patet in secundo exemplo animalis , & hominis. Ad hanc regulam revocatur argumentatio ab actu ad potentiam , quæ si affirmativa sit , est bona ; quia actus est antecedens , ex quo infertur legitime potentia : non vero vicissim bona etiam est argumentatio affirmativa a potentia ad actum ; quia potentia est consequens , ex quo affirmato non infertur legitime antecedens : patet res in exemplis : sic bene infertur : *Petrus currit : ergo potest currere :* non autem : *Petrus potest currere : ergo currit .*

156. Regula 6. Ex negatione , vel , ut alii dicunt , ex opposito consequentis legitime infertur negatio , vel oppositum antecedentis : non vero vicissim . Sic legitima est illatio : *Non datur Deus : ergo non datur creatura :* non autem vicissim : *Non datur creatura : ergo non datur Deus .* item legitime infertur : *Illud a longe visum non est animal : ergo non est homo :* non autem vicissim : *Non est homo : ergo*

go non est animal. Prob. 1. pars. Non potest esse falsum consequens, nisi etiam falsum sit antecedens; alias ex vero posset sequi falsum, contra dicta *n.* 151. ergo, si legitime negatur consequens, legitime etiam tanquam falsum negatur antecedens.

Prob. etiam 2. pars regulæ. Ex falso antecedente potest sequi verum consequens *ex n.* 152. ergo, licet cum veritate possit negari antecedens, non sequitur, etiam cum veritate posse negari consequens: in exemplo, si dicam: *Bucephalus est homo: ergo est animal*: licet antecedens sit falsum, adeoque recte negetur, quod ille equus sit homo, tamen verum est consequens, quod sit animal, nec poterit hoc legitime negari. Ratio etiam ulterior est; quia consequens sæpissime dicit minus, & antecedens plus; unde, licet plus non sit verum, potest tamen verum esse minus: ergo non universaliter negato antecedente potest negari consequens. Sic plus est esse hominem, quam esse animal; & hinc, licet possit negari illud de Eucephalo, non tamen potest negari istud.

Huc revocatur argumentatio a potentia ad actum, quæ si negativa sit, bona est; nam potentia est consequens respectu actus: & certe, si non detur potentia, actus dari non poterit. At non vicissim bona est argumentatio negativa ab actu ad potentiam; quia actus est antecedens, respectu potentiæ, quo negato non statim potest negari consequens: patet res in exemplis. Sic recte infertur: *Petrus non potest currere: ergo non currit*: non vero vicissim: *Petrus non currit: ergo non potest currere*.

157. Regula 7. Ex impossibili sequitur quodlibet necessarium, contingens, & impossibile. Hæc tamen regula non debet intelligi, nisi de impossibili sumpto quidditative, sive secundum utramque partem contradictionis, quam involvit; nam, quid sequatur ex hypothesi impossibili aliter accepta, discutiemus infra *a n.* 179. Prob. jam hæc regula sic. Impossibile quidditative acceptum involvit duo contradictoria, e. g. currum, & non currum Petri, sive concessionem utriusque hujus propositionis tanquam veræ: *Petrus currit, & Petrus non currit*: ex hac autem propositione inferri potest quodlibet consequens, e. g. *ergo baculus est in angulo*.

Prob.

Prob. ant. Ad veritatem propositionis disjunctivæ sufficit veritas unius membri *ex n.* 75. fiat ergo hæc propositio disjunctiva: *Vel Petrus currit, vel baculus est in angulo*: hæc erit vera; quia primum ejus membrum est verum: jam in syllogismo disjunctivo, si in minore cum veritate negatur unum membrum majoris, vel ponitur ejus contradictoria, legitime infertur alterum membrum: atqui majori disjunctivæ modo positæ potest cum veritate subjungi minor ista: *Sed Petrus non currit*: quæ est contradictoria primi membri majoris: ergo legitime infertur alterum membrum, dicendo: *Ergo baculus est in angulo*.

158. Nec video, quid huic discursui, qui æquivalenter est Scoti contra Sotum, possit efficaciter opponi. Quod autem sequitur ex propositione supra allata: *Petrus currit, & non currit*: idem sequitur ex quolibet alio impossibili; nam omne impossibile implicite saltem est compositum ex duobus contradictoriis, & hæc propositio: *Petrus est equus*: æquivalet huic: *Petrus est equus, & non est equus*; quia habet humanam naturam, quæ excludit equinam. Plures adhuc possent afferri regulæ variarum argumentationum, e. g. argumentationis a sensu distributivo ad collectivum, a simultate potentiæ ad simultatem actus: sed hæ melius explicabuntur in decursu Philosophiæ, ubi ipsa materia occasionem dabit; neque enim istæ paucis possunt sufficienter ad captum explicari, neque Summulæ fusiorem explicationem videntur admittere.

ARTICULUS VII.

Solvuntur Objectiones.

159. OB. 1. contra 1. regulam. Ex contingente vero potest sequi aliud contingens: ergo ex vero potest sequi falsum. prob. conseq. contingens potest esse falsum: ergo, si ex vero sequitur contingens, potest sequi falsum. Resp. neg. conseq. ad prob. dist. ant. contingens potest esse falsum absolute nulla facta suppositione. conc. ant. facta suppositione, quod sequatur ex contingente vero. neg. ant. &

conseq. Ratio est ; quia consequens debet contineri in antecedente , ut dictum *n.* 151. Nec dicas , hoc non esse universaliter verum ; cum e. g. in hac argumentatione ; *Sol adest : ergo dies est :* dies non contineatur in antecedente , seu in sole ; nam respondetur , in hoc enthymemate , uti & in aliis , non poni explicite totum antecedens , sed alteram partem subintelligi : si autem ponatur totum antecedens , seu totus syllogismus : *Quando sol adest , dies est : sed sol adest : ergo dies est :* satis patet , consequens contineri in toto antecedente .

160. Dices . Juxta istam responsionem posset etiam contingens sequi necessario : hoc est contra regulam certiam : ergo . prob. ma. sicut contingens illatum ex contingente vero non potest esse falsum , ita etiam posset dici , contingens illatum ex necessario non posse esse falsum : ergo nostra ratio allata *nu.* 153. non probat , quod ex necessario non possit sequi contingens . Resp. 1. nos *num. cit.* tres alias rationes primarias attulisse pro ea regula , quæ eam sufficienter probarent , etsi confirmatio addita non firmissime subsisteret. Resp. 2. neg. ma. ad prob. neg. ant. Verum quidem est , quod , si contingens sequeretur ex necessario , non posset esse falsum : at non potest ex eo sequi ; quia necessarium non connectitur cum illo , nec continet illud : e contra contingens sæpe connectitur cum aliquo alio contingente , & continet illud .

161. Ob. 2. In hoc syllogismo : *Omne currens est homo : omnis equus est currens : ergo omnis equus est homo :* antecedens , seu præmissæ sunt contingentes , & possunt esse veræ : attamen conclusio est impossibilis : ergo ex contingente vero potest sequi impossibile , adeoque falsum . Resp. dist. 1. p. ant. antecedens , seu præmissæ sunt contingentes , & possunt esse veræ , seorsim sumptæ , conc. ant. simul sumptæ , neg. ant. & conseq.

Licet istæ præmissæ seorsim sumptæ possint esse veræ ; cum aliquando possint soli homines currere , aliquando etiam equi : tamen casu , quo omne currens est homo , impossibile est , etiam equos currere ; unde istæ propositiones non possunt esse simul veræ . Requiritur autem ad quamvis argumentationem bo-

nam , ut præmissæ sint simul veræ , vel certe simul probabiles , seu comprobabiles , nec una evertat alteram , seu eam reddat aperte falsam ; alias enim totum antecedens , seu complexum ex utraque propositione erit impossibile , utpote implicite saltem involvens duo contradictoria , vel contraria : nec jam amplius erit contingens .

162. Ex hoc capite peccat argumentatio , quæ vocatur *a sensu diviso ad compositum :* quando scilicet ex eo , quod duo seorsim possint esse , infertur , quod possint esse simul : vel ex eo , quod duo seorsim sumpta sint probabilia , infertur , quod etiam sint comprobabilia , sive simul probabilia ; unde malæ sunt hæ argumentationes : *Contingens est , Petrum currere : contingens est , Petrum non currere : ergo contingens est , Petrum currere , & simul non currere :* &: *Probabile est , quantitatem identificari materiæ primæ : probabile etiam est , quantitatem esse accidens Eucharisticum : ergo probabile est , accidens Eucharisticum identificari materiæ primæ ;* utraque enim conclusio est aperte falsa .

163. Ob. 3. Istæ præmissæ sunt veræ : *Omnes electi sunt vocati : sed pauci sunt electi :* & tamen conclusio legitima : *ergo pauci sunt vocati* , est falsa : ergo ex vero potest sequi falsum . Resp. neg. ant. Vel enim conclusio est vera , vel non est legitima . Si sensus est præcisivus , sive paucos esse vocatos , præscindendo , an præter eos adhuc alii vocati sint , conclusio est vera . Si sensus sit exclusivus , sive , tantum paucos esse vocatos , conclusio non est legitima ; quia ponitur novus terminus *tantum pauci* . Dein ista propositio : *Tantum pauci sunt vocati :* est implicite copulativa , & facit hunc sensum : *Pauci sunt vocati , & non sunt multi vocati :* adeoque particula negativa in secundo membro propositionis afficit terminum *vocati* , eumque distribuit *ex n.* 35. unde illegitime distribuitur hic terminus in conclusione ; cum non fuerit distributus in præmissis . vide *n.* 140. Accedit , quod ex præmissis simplicibus , & categoricis , non possit legitime inferri conclusio composita , seu copulativa .

164. Ob. 4. contra 3. regulam . Hic syllogismus : *Omne currens est animal : omne animal est sensitivum : ergo*

ergo aliquod sensitivum est currens: est bonus in *Darapti*: sed in hoc syllogismo ex antecedente necessario infertur consequens contingens: ergo. Resp. neg. mi. vel enim hæc conclusio non habet sensum contingentem, sed etiam necessarium: vel non legitime sequitur: quia in conclusione infertur implicite terminus *existens* (quia verbum *est* sumitur in vi verbi) qui non erat positus in præmissis, in quibus omnino abstrahebatur ab existentia: at hoc non licet ex dictis *n.* 135. Quare, quotiescumque in *Darapti* infertur conclusio ex præmissis necessariis, debet etiam ipsa censeri esse necessaria. vide dicta *numer.* 110.

ARTICULUS VIII.

Quomodo fiat Reductio Syllogismorum Imperfectorum.

165. MOdi syllogismorum perfectorum, seu directorum, sunt tantum quatuor in prima figura, scilicet *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*, ad quos reduci debent omnes alii indirecti: hoc est, debent ex syllogismis indirectis, quibusdam mutatis, fieri syllogismi directi aliqui ex illis quatuor. *Reductio* autem alia est *ostensiva*, alia *per impossibile*. Prior, seu *ostensiva* datur, quando per solam conversionem, aut transpositionem propositionum, ex syllogismo indirecto fit directus. *Reductio per impossibile* datur, quando adversario ostenditur, quod ex contradictoria conclusionis negatæ, tanquam malæ, inferatur formaliter contradictoria præmissæ, vel propositionis jam concessæ: atque adeo adversarius, vel debeat eam conclusionem admittere, vel negare, quod jam concessit.

166. Jam in ordine ad reductionem ostensivam, notandum est 1. omnes voces in versibus *Barbara*, *Celarent &c.* quos adduximus *n.* 130. incipere, vel a *B*, vel a *C*, vel a *D*, vel a *F*, ut incipiunt primæ quatuor voces *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*. Unde modi syllogismorum, respondentes voci incipienti a *B*, reducuntur ad *Barbara*: respondentes vero voci incipienti a *C. D. F.* ad *Celarent*, *Darii*, *Ferio*.

No-

Notandum 2. in vocibus, exprimentibus modos indirectos, post vocales, quæ, ut diximus *n.* 131. significant propositiones) reperiri aliquam ex his consonantibus *S. P. M. C.* de quibus constructi sunt hi versus: *S vult simpliciter verti: P vero per acci. M vult transponi: C per impossibile duci:* id est: Propositio, quæ denotatur per vocalem immediate præcedentem ante *S*, debet converti simpliciter: quæ vero denotatur per vocalem immediate præcedentem ante *P*, debet converti per accidens: quæ autem denotatur per vocalem immediate præcedentem ante *M*, debet transponi: id est: ex majore debet fieri minor, vel vicissim: & tandem quæ denotatur per vocalem immediate præcedentem ante *C*, non potest reduci, nisi per impossibile.

167. Sic iste syllogismus in *Baralipton: Omne animal est vivens: omnis homo est animal: ergo aliquod vivens est homo:* debet reduci ad *Barbara*; quia *Baralipton* etiam incipit a *B*: &, quia post duas primas vocales, seu duo *A*, non sequitur nec *S*, nec *P*, nec *M*, nec *C*, primæ duæ propositiones, seu præmissæ manent immutatæ: quia vero post tertiam vocalem *I* sequitur *P*, debet conclusio converti per accidens, & syllogismus fieri: *Omne animal est vivens: omnis homo est animal: ergo omnis homo est vivens:* qui syllogismus est in *Barbara*: & sic proportionaliter *Celantes* reducitur ad *Celarent*, *Dabitis* ad *Darii* &c.

Dices. Non licet, propositionem particularem convertere per accidens in universalem: ergo hæc reductio syllogismi in *Baralipton*, ad syllogismum in *Barbara*, non est bona. prob. ant. non est bona consequentia: *Aliquis homo currit: ergo omne currens est homo:* potest enim simul currere equus: ergo. Resp. dist. ant. non licet ita convertere propositionem in omni casu. conc. ant. non licet in isto casu. neg. ant. & conseq. ad prob. conc. ant. neg. conseq. In hoc casu, quo syllogismus fit in *Baralipton*, tales sunt præmissæ, ut ex iis possit inferri conclusio universalis in *Barbara*: adeoque licita est ea conversio.

168. In ordine ad reductionem per impossibile compositi sunt alii versus dialectici: & quidem pro

prima

ergo aliquod sensitivum est currens: est bonus in *Darapti*: sed in hoc syllogismo ex antecedente necessario infertur consequens contingens: ergo. Resp. neg. mi. vel enim hæc conclusio non habet sensum contingentem, sed etiam necessarium: vel non legitime sequitur: quia in conclusione infertur implicite terminus *existens* (quia verbum *est* sumitur in vi verbi) qui non erat positus in præmissis, in quibus omnino abstrahebatur ab existentia: at hoc non licet ex dictis *n.* 135. Quare, quotiescumque in *Darapti* infertur conclusio ex præmissis necessariis, debet etiam ipsa censeri esse necessaria. vide dicta *numer.* 110.

ARTICULUS VIII.

Quomodo fiat Reductio Syllogismorum Imperfectorum.

165. MOdi syllogismorum perfectorum, seu directorum, sunt tantum quatuor in prima figura, scilicet *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*, ad quos reduci debent omnes alii indirecti: hoc est, debent ex syllogismis indirectis, quibusdam mutatis, fieri syllogismi directi aliqui ex illis quatuor. *Reductio* autem alia est *ostensiva*, alia *per impossibile*. Prior, seu *ostensiva* datur, quando per solam conversionem, aut transpositionem propositionum, ex syllogismo indirecto fit directus. *Reductio per impossibile* datur, quando adversario ostenditur, quod ex contradictoria conclusionis negatæ, tanquam malæ, inferatur formaliter contradictoria præmissæ, vel propositionis jam concessæ: atque adeo adversarius, vel debeat eam conclusionem admittere, vel negare, quod jam concessit.

166. Jam in ordine ad reductionem ostensivam, notandum est 1. omnes voces in versibus *Barbara*, *Celarent &c.* quos adduximus *n.* 130. incipere, vel a *B*, vel a *C*, vel a *D*, vel a *F*, ut incipiunt primæ quatuor voces *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*. Unde modi syllogismorum, respondentes voci incipienti a *B*, reducuntur ad *Barbara*: respondentes vero voci incipienti a *C. D. F.* ad *Celarent*, *Darii*, *Ferio*.

No-

Notandum 2. in vocibus, exprimentibus modos indirectos, post vocales, quæ, ut diximus *n.* 131. significant propositiones) reperiri aliquam ex his consonantibus *S. P. M. C.* de quibus constructi sunt hi versus: *S vult simpliciter verti: P vero per acci. M vult transponi: C per impossibile duci:* id est: Propositio, quæ denotatur per vocalem immediate præcedentem ante *S*, debet converti simpliciter: quæ vero denotatur per vocalem immediate præcedentem ante *P*, debet converti per accidens: quæ autem denotatur per vocalem immediate præcedentem ante *M*, debet transponi: id est: ex majore debet fieri minor, vel vicissim: & tandem quæ denotatur per vocalem immediate præcedentem ante *C*, non potest reduci, nisi per impossibile.

167. Sic iste syllogismus in *Baralipton: Omne animal est vivens: omnis homo est animal: ergo aliquod vivens est homo:* debet reduci ad *Barbara*; quia *Baralipton* etiam incipit a *B*: &, quia post duas primas vocales, seu duo *A*, non sequitur nec *S*, nec *P*, nec *M*, nec *C*, primæ duæ propositiones, seu præmissæ manent immutatæ: quia vero post tertiam vocalem *I* sequitur *P*, debet conclusio converti per accidens, & syllogismus fieri: *Omne animal est vivens: omnis homo est animal: ergo omnis homo est vivens:* qui syllogismus est in *Barbara*: & sic proportionaliter *Celantes* reducitur ad *Celarent*, *Dabitis* ad *Darii* &c.

Dices. Non licet, propositionem particularem convertere per accidens in universalem: ergo hæc reductio syllogismi in *Baralipton*, ad syllogismum in *Barbara*, non est bona. prob. ant. non est bona consequentia: *Aliquis homo currit: ergo omne currens est homo:* potest enim simul currere equus: ergo. Resp. dist. ant. non licet ita convertere propositionem in omni casu. conc. ant. non licet in isto casu. neg. ant. & conseq. ad prob. conc. ant. neg. conseq. In hoc casu, quo syllogismus fit in *Baralipton*, tales sunt præmissæ, ut ex iis possit inferri conclusio universalis in *Barbara*: adeoque licita est ea conversio.

168. In ordine ad reductionem per impossibile compositi sunt alii versus dialectici: & quidem pro

prima

prima figura isti: *Majorem oppositum pellit, majorque minorem: Excipe Celantes, in quo contraria res est; Nam minor oppositio cedit, majorque minori:* id est: loco majoris ponitur contradictoria negatæ conclusionis, & loco minoris illa propositio, quæ prius fuit major: e. g. in hoc syllogismo in *Dabitis*, indirecto primæ figuræ: *Omnis homo est rationalis: aliquod animal est homo: ergo aliquod rationale est animal:* si neget adversarius conclusionem, adigetur ad negandam etiam minorem jam concessam per hunc syllogismum in *Celarent: Nullum rationale est animal: Omnis homo est rationalis: ergo nullus homo est animal:* & per legitimam conversionem: *Nullum animal est homo:* quæ est contradictoria minoris prius concessæ.

Pro secunda figura constructus est hic versus: *Stat major: trahit oppositum de sede minorem:* id est: manente majore, contradictoria, conclusionis negatæ ponitur loco minoris, atque colligitur contradictoria, vel contraria minoris jam concessæ: e. g. in hoc syllogismo in *Camestres: Omnis homo est rationalis: nullum brutum est rationale: ergo nullum brutum est homo;* reducitur per impossibile ad *Darii* sic: *Omnis homo est rationalis: aliquod brutum est homo: ergo aliquod brutum est rationale:* quæ est contradictoria minoris prius concessæ.

169. Pro tertia figura editus est hic versus. *Stat minor: oppositum scandit majoris in edem:* id est: minor manet immutata: loco majoris autem ponitur contradictoria conclusionis negatæ: atque colligitur contradictoria majoris prius concessæ: e. g. in hoc syllogismo in *Datisi: Omnis avarus est miser: aliquis avarus est dives: ergo aliquis dives est miser:* sic reducitur per impossibile in *Ferio: Nullus dives est miser: aliquis avarus est dives: ergo aliquis avarus non est miser:* quæ est contradictoria majoris prius concessæ. Hæc sufficiant pro aliqua notitia reductionis syllogismorum, quæ vix usum aliquem habet, adeo, ut Arriaga in *proœmio ad summulas* dicat, se per viginti annos in celeberrimis Academiis versatum nunquam audivisse aliquem in disputando uti reductione ad impossibile. Si quis plura curiositatis gratia cupiat, Casilium, & alios adeat.

AR-

ARTICULUS IX.

Quid notandum circa Syllogismos non Categoricos.

170. PRæter syllogismos categoricos dantur varii alii *ex num.* 120. & 121. nempe *modales*, *copulativi*, *disjunctivi*, *expositorii*, *conditionales*, *exponibiles:* prout scilicet variis constant propositionibus, seu præmissis, de quibus aliqua diximus *cit. num.* 120. & 121. Syllogismi isti non sequuntur in omnibus leges syllogismorum categoricorum, sed habent proprias regulas, quas tamen omnes afferre nimis longum, & forte non satis utile esset. De quibusdam tamen, quia frequentius occurrunt, hic breviter agemus.

171. Syllogismus *expositorius*, qui scilicet habet medium terminum singularem, etsi constituatur ex duabus præmissis particularibus, rite concludit: e. g. si dico: *Aliquis homo est Petrus: Aliquis Logicus est Petrus: ergo aliquis Logicus est homo.* Ratio est; quia terminus singularis, cum sit indivisibilis, debet cuique extremo identificari secundum se totum, adeoque utrique secundum idem, & non secundum unam partem subjectivam uni, & secundum alteram alteri, ut fit, si terminus est particularis.

172. Syllogismus *disjunctivus* est, cujus major propositio est disjunctiva: propositio autem disjunctiva *ex n.* 75. est duplex, una stricte dicta, & constans membris oppositis, ut, si dico: *Vel dies est, vel nox est:* aut: *Vel Petrus currit, vel non currit:* altera minus stricte dicta, quæ constat membris non oppositis, ut, si dico: *Vel Petrus currit, vel Paulus currit:* qui ambo possunt simul currere. Quando igitur syllogismus disjunctivus pro majore habet propositionem stricte disjunctivam, tunc, si in minore negetur cum veritate unum membrum majoris, in conclusione legitime infertur alterum: si vero unum affirmetur in conclusione, legitime negatur alterum.

Ratio est, quia in tali propositione unum membrum debet esse verum *ex num.* 75. non tamen potest utrumque membrum oppositum simul esse verum: ergo, si unum cum veritate negetur, adeo-

que

que sit falsum, necessario alterum est verum, & vicissim. Sic e. g. rite concludunt hi syllogismi: *Vel dies est, vel nox est: sed non est nox: ergo est dies:* item: *Vel dies est, vel nox est: sed est dies: ergo non est nox.*

Male autem concludit iste: *Vel es doctus, vel non es doctus: sed non es doctus: ergo es doctus;* nam infertur ex negatione primæ partis propositionis disjunctivæ non, ut deberet fieri, ejus contradictoria, sed ipsamet prima pars; unde deberet inferri: *ergo non es doctus;* quæ tamen illatio cum sit ipsissima pars secunda, aut etiam ipsa minor, hinc syllogismi constantes propositione disjunctiva, composita ex duabus contradictoriis, sunt ordinarie nugatorii, nisi quandoque addita minor, aliud quid innuens, faciat inferri conclusionem minime ridiculam.

173. Si autem syllogismus disjunctivus habeat pro majore propositionem disjunctivam, minus stricte dictam, tunc quidem ex falsitate, sive legitima negatione unius membri, infertur veritas alterius; at non infertur ex affirmatione unius falsitas alterius. Ratio est; quia unum membrum quidem debet esse verum, adeoque, si unum est falsum, alterum necessario est verum: at potest simul etiam alterum membrum esse verum, consequenter non infertur ex veritate unius membri falsitas alterius. Sic recte infero: *Vel Petrus currit, vel Paulus currit: sed Petrus non currit: ergo Paulus currit:* non autem recte infero: *Vel Petrus currit, vel Paulus currit: sed Petrus currit: ergo Paulus non currit;* nam possunt ambo currere.

174. Syllogismus *exponibilis* est, qui constat propositione, vel præmissa exponibili, id est, vel exclusiva, vel exceptiva, vel reduplicativa, de quibus *n.* 71. De *reduplicativo* syllogismo hoc notandum, quod reduplicatio non debeat separari a suo termino, quem afficit; alias enim mutatur appellatio, qua de re *num.* 55. hinc mala est argumentatio: *Petrus ut musicus cantat: sed Petrus est Logicus: ergo ut Logicus cantat.* De syllogismo *exceptivo* notandum, quod distributio termini, a quo sit exceptio, sit accommoda (de qua *num.* 28.) unde male quis sic argumentaretur: *Omnis homo, præter Petrum currit: sed Petrus est homo: ergo Petrus currit.*

De

De syllogismo *exclusivo* notandum, quod in eo ex duabus negativis possit rite deduci conclusio, & quidem affirmativa: e. g. si quis dicat: *Tantum indocti non æstimant scientias: Petrus non est indoctus: ergo æstimat scientias;* nam tales propositiones æquivalent duabus affirmativis, ad quas etiam per æquipollentiam reduci possunt, e. g. ad has: *Omnis doctus æstimat scientias: Petrus est doctus:* ex quibus clare fluit conclusio affirmativa: *ergo Petrus æstimat scientias.*

175. Syllogismus *conditionalis* est, qui habet unam, vel duas præmissas conditionales, (de quibus *num.* 70.) pro quo notandum istud. Si major propositio conditionalis est vera, & in minore affirmatur etiam cum veritate conditio, tunc in conclusione legitime infertur conditionatum; quia veritas conditionata per purificationem conditionis, seu ejus adimpletionem, transit in veritatem absolutam: & inter veram conditionem, ac conditionatum, debet dari talis connexio, ut conditio sine conditionato esse, seu existere non possit; & hinc recte quis argumentatur: *Si sol adest, dies est: sed sol adest: ergo dies est.*

176. Non tamen vicissim, si in minore negetur conditio, potest universaliter in conclusione negari conditionatum; quia non semper datur connexio mutua: & potest quandoque esse conditionatum sine conditione; hinc non est bona argumentatio: *Si datur creatura, datur Deus: sed non datur creatura: ergo non datur Deus;* potest enim Deus esse sine creatura. At vero, si in minore negetur conditionatum, potest in conclusione negari conditio; quia, ut dictum, conditio non potest dari sine conditionato; hinc bona est argumentatio: *Si sol adest, dies est: sed dies non est: ergo sol non adest.* Confirmantur hæc ex dictis supra *num.* 155. & 156. de antecedente, & consequente; nam conditio reipsa est aliquod antecedens, & conditionatum aliquod consequens.

177. Si autem syllogismus conditionalis habeat utramque præmissam conditionalem, tunc, de quo verificatur primum consequens, debet verificari etiam ultimum, sicut scilicet diximus *num.* 118. *de Sorite:* e. g. si dico: *Si homo est animal, est vi-*

vens:

vens : si est vivens , est substantia : ergo , si homo est animal , est substantia. Et talis syllogismus, præsertim , si constet , ut sæpe fit , tribus præmissis , reipsa non *differt a Sorite*. Sed & eodem modo , ut in *Sorite* , ita & in tali syllogismo , attendendum est, ne quis captiose decipiatur . Lydius lapis respectu *Sorites* , & talis syllogismi est , si reducatur totus discursus ad unum , vel plures syllogismos categoricos , & dein videatur, an tandem in istis legitime, vel non , inferatur conclusio : imo hæc regula est universaliter optima pro examinandis omnibus syllogismis non categoricis.

178. Plura adhuc dici possent similia , ad Summulas spectantia : sed , qui hucusque dicta rite perceperit , contra sophismata in disputationibus se satis tueri valebit : nec consultum videtur accumulare difficultates non necessarias . Hinc etiam *de inventione medii termini* (a quibusdam solet famose vocari *pons asinorum*) nihil affero ; nam ingenium , harum disciplinarum capax , poterit independenter ab hujusmodi regulis argumenta excogitare : incapax autem nec centum locis dialecticis satis juvabitur . Si quis tamen cupiat , hunc pontem transire , ducem sibi sumat Casilium , *lib. 3. tract. 2. cap. 9.* vel Petrum a S. Josepho, aut similem , & transitum tentet . De hypothesibus tamen impossibilibus adhuc aliquid addendum est; quia ab his argumentatio frequens est, &, nisi rite instituatur, est fallax.

ARTICULUS X.

An, & quando Argumentatio ab Hypothesi Impossibili sit bona.

179. EX hypothesi impossibili posse, saltem sæpe, legitimam argumentationem fieri , videntur supponere Theologi , & Philosophi ; quia sane frequenter ea utuntur, præsertim , si quæstio agitur, an aliquid sit pars alicujus rei, an tantum connotatum extrinsecum : vel etiam si quæritur, an aliquid sit possibile, an non : & certe passim apud auctores invenire est similes propositiones hypotheticas : *Si daretur animal rationale , & non daretur Deus , daretur homo : Si non daretur Deus , & tamen daretur mundus , hic esset a se : Si Petrus existeret sine ubicatione , neque esset vicinus Paulo , neque ab eo distans.*

Quin S. Thomas , citatus *num. 76.* ait, hanc propositionem esse veram : *Si homo est asinus , habet quatuor pedes* . Sed & Patres Latini in Concilio Florentino *sess. ultima , in primis suis litteris ad Græcos*, adhibuerunt argumentationem ex hypothesi impossibili, dum reipsa sic concluserunt: *Si Spiritus S. non procedit a filio , non est distinctus a filio ;* vel potius : *non datur filius :* ut verba apertius videntur sonare; unde Vasquez *tom. 2. in 1. part. disput. 147. cap. 1. num. 1.* ait , esse admodum utilem hunc modum disputandi , & arguendi.

180. Attamen, ut utilis sit hic modus argumentandi (ut recte cum aliis ait hic auctor) debet fieri *per locum intrinsecum* , & non *per locum extrinsecum*. Argumentari autem per locum intrinsecum est argumentum immediate ducere a formali conceptu rei immediate proposito : argumentari vero per locum extrinsecum , est argumentum ducere , non a formali conceptu rei , sed ex prædicatis tantum realiter identificatis , & hic , & nunc , non immediate sub conceptu formali propositis . Exemplum hujus rei ponit Vasquez *loc. cit. num. 2.* istud : *Si homo non esset animal , sed tamen rationalis , specie distingueretur ab equo.*

In hac hypothesi impossibili per locum intrinsecum probatur una pars contradictionis, seu distinctio hominis ab equo; quia hæc infertur ex conceptu rationalis immediate proposito : at vero altera pars contradictionis , seu negatio diversitatis specificæ , tantum probaretur per locum extrinsecum , seu tantum ratione identitatis realis inter animalitatem , & rationalitatem , ex eo , quod, ablata animalitate , etiam auferretur realiter rationalitas , seu ratio diversitatis specificæ inter hominem , & equum , qua sublata etiam tolleretur ipsa diversitas. Unde, si argumentatio ex hypothesi impossibili fiat, tam per locum intrinsecum , quam per extrinsecum , utrumque infertur contradictorium : quod utique ineptum est ad aliquam partem præ oppositam probandam.

181. Sed

181. Sed necdum videtur sufficere ad legitimam, & utilem argumentationem, a tali hypothesi deductam, si fiat per locum intrinsecum; nam potest ex parte hypothesis immediate, & explicite, poni talis conceptus rei, in quo involvatur, ut ajunt, *implicantia in adjecto*: seu possunt poni tales termini, qui non tantum realiter sumpti implicent, sed etiam formaliter se excludant, ita, ut ex parte hypothesis eadem res ponatur, & simul tollatur, e. g. in his propositionibus: *Si Petrus esset homo, & non homo, non posset ratiocinari: Si simul essent lux, & tenebræ, tunc nemo posset videre*; nam ex his formalibus conceptibus, aperte se mutuo tollentibus, seu excludentibus, immediate, & explicite ex parte hypothesis positis, tam bene sequitur una, quam altera pars contradictionis: consequenter neutra præ altera legitime infertur, ut facile patet consideranti, adeoque talis argumentatio inutilis est.

182. Quare Haunoldus *Log. pract. part. 2. cap. 4. art. 4. num. 10.* cum aliis vult, ut etiam servetur *constantia subjecti*: hoc est, ut in hypothesi nullus ponatur terminus, qui auferat ipsum subjectum, vel aliquod ejus constitutivum, ut fieret in his hypothesibus: *Si darentur lux simul, & tenebræ: si daretur homo sine anima rationali*; quia per tenebras aufertur lux, & per ablatam animam rationalem auferetur homo: adeoque simul in eadem hypothesi poneretur lux, & non poneretur: & pariter etiam poneretur, & non poneretur homo; unde daretur *implicantia in adjecto*, de qua *num. prac.* & hinc videtur sequi utrumque contradictorium; atque argumentatio est inutilis.

183. Verum per hæc nondum videntur omnia esse complanata: nam non male Vasquez citatus, *num. 179.* docet, hanc argumentationem: *Si daretur homo sine animalitate, modo haberet rationalitatem, specie distingueretur ab equo*: bonam esse; quamvis enim non videatur servari constantia subjecti; eo quod auferatur animalitas, quæ tamen est metaphysicum constitutivum hominis: tamen per locum intrinsecum, seu formaliter, non sequitur contradictorium alterum, scilicet hominem non distingui ab equo; nam hoc non sequitur, nisi valde mediate,

diate, & per locum extrinsecum, ut ait Vasquez *loc. cit.* de qua re vide *num. 180.*

Licet autem possent ex ista hypothesi formaliter sequi alia contradictoria, si poneretur aliud conditionatum: e. g. *Si daretur homo sine animalitate, non esset sensitivus*; quia tunc ex posito termino *homo*, qui essentialiter est sensitivus, inferretur, quod esset sensitivus, & ex adjecta negatione animalitatis inferretur, quod non esset sensitivus, adeoque esset, & non esset: attamen in priori hypothesi nec ex termino *homo*, nec ex negatione animalitatis, minus ex rationalitate infertur, quod homo non distingueretur specie ab equo.

184. Quare videtur optime dici cum Casilio *l. 3. tract. 2. cap. ult.* tunc argumentationem, ab hypothesi impossibili ductam, esse bonam, quando in hypothesi tali non ponuntur talia principia, ex quibus tam conditionatum, quam ejus contradictorium, immediate, formaliter, & per locum intrinsecum possit inferri; tunc enim jam una pars sequitur præ altera: & siquidem conditionatum est hypothesi bene subjunctum, sequitur potius istud, quam ejus oppositum.

Ratio autem, a Casilio *loc. cit.* bene assignata, est ista. Propositio conditionalis, seu stricte hypothetica, est vere implicita argumentatio, cujus conditio est antecedens, & conditionatum est consequens: prædicatum autem in conditione appositum subjecto est ratio, ex qua infertur conditionatum, seu est quasi medius terminus: e. g. ista propositio: *Si Petrus est homo, est animal rationale*: est implicite hæc argumentatio: *Petrus est conditionate homo: ergo est conditionate animal rationale*: vel, ut clarius appareat, quod prædicatum sit ratio, seu medius terminus, fiat integer syllogismus, cujus præmissæ, cum sint in materia necessaria de creatura, sunt implicite conditionatæ (ne replicetur, propositiones conditionales non posse æquivalere absolutis) fiat, inquam, hic syllogismus: *Omnis homo est animal rationale: Petrus est homo: ergo Petrus est animal rationale*: ubi clare videtur, terminum *homo*, qui est prædicatum hypothesis, seu conditionis, esse medium terminum.

Eodem

Eodem modo discurrere possumus de hypothesi impossibili, adhibita a Patribus Latinis contra Græcos (de qua *num.* 179.) faciendo hunc syllogismum: *Omnis in Divinis, a quo non procedit Filius, & qui non procedit a Filio, non est distinctus a Filio: Sed Spiritus S.* (ut ponunt Græci) *est aliquis, a quo non procedit Filius, & qui non procedit a Filio: ergo Spiritus S. non est distinctus a Filio:* item de altera hypothesi, qua dicitur, mundus existens sine Deo esse a se, faciendo hunc syllogismum: *Omne, quod datur sine Deo, est a se: sed mundus* (ut ponitur) *datur sine Deo: ergo est a se.*

185. Sicut ergo, quando in syllogismo, vel alia argumentatione, tantum ponitur medius terminus, inferens ex se dumtaxat unam propositionem, vel conclusionem, hæc sola infertur, & non ejus opposita: ita etiam, quando in hypothesi tantum ponitur principium, ex se inferens dumtaxat unum conditionatum, seu unam partem contradictionis, etiam legitime tantum ista infertur, & non simul ejus oppositum, seu utrumque contradictorium: quæ doctrina si applicetur aliis hypothesibus impossibilibus *num.* 179. allatis, videbitur, eas legitime unum, nempe suum conditionatum inferre, non vero oppositum, aut utrumque contradictorium.

186. At, si ex parte hypothesis ponantur principia, ex quibus infertur utrumque contradictorium, tunc, si etiam ex tali propositione fiat syllogismus, poterit utrumque inferri, adeoque neutrum præ altero, & consequenter argumentatio est inutilis: e. g. si ex hac propositione: *Si Petrus esset homo, & non homo, non posset ratiocinari:* fiat syllogismus: *Omnis homo, & simul non homo, non potest ratiocinari: sed Petrus* (ut ponitur) *est homo, & non homo: ergo non potest ratiocinari:* hæc argumentatio est inutilis; quia ex majore æque bene infertur oppositum; nam tam bene ex termino *homo* infertur potentia ratiocinandi in actu primo, homini essentialis, quam bene ex termino *non homo* infertur negatio illius potentiæ: & non magis est vera hæc major: *Omnis homo, & non homo potest ratiocinari:* quam ejus opposita.

187. Ex dictis inferunt quidam, utilem esse eam hypothe-

thesin impossibilem, qua plures auctores utuntur ad probandam connexionem rerum omnium immediatam cum Deo, & mediatam inter se: *Si implicaret musca, implicaret Deus;* neque enim, ut ajunt, sensus est: *Si musca possibilis esset impossibilis &c.* nam sic ponerentur explicite duo principia inferentia utrumque contradictorium, scilicet possibilitas, inferens etiam possibilitatem, vel existentiam Dei, & impossibilitas, inferens impossibilitatem Dei, sed sensus est: *Si musca præscindens a possibilitate, & impossibilitate, fieret impossibilis &c.* qua ratione ajunt, non poni ex parte hypothesis utrumque contradictorium.

Sed difficultas adhuc est in eo, quod ex implicantia muscæ ita præscindentis non videatur posse inferri implicantia Dei; quia tunc etiam præscinditur, an contineatur inter objecta omnipotentiæ divinæ: sed implicantia Dei videtur tantum posse inferri ex transitu muscæ a statu possibilitatis ad statum impossibilitatis, ita, ut prius ponatur contineri inter objecta omnipotentiæ, non autem postea, ut adeo omnipotentia perdat aliquod prædicatum, quod prius habuit, scilicet vim producendi eam muscam: adeoque debet ad hoc argumentum præsupponi possibilitas muscæ, & ista tanquam possibilis poni ex parte hypothesis: nisi forte possit dici, quod possibilitas muscæ prius, seu præterita, & impossibilitas, nunc, seu præsens, non sibi immediate, & formaliter opponantur, sed tantum arguitive, quatenus ex immutabilitate essentiæ arguitur, possibilitatem a musca semel habitam debere ei semper inesse.

188. Melius ex dictis infertur legitimam esse argumentationem S. Thomæ citati *n.* 179. *Si homo est asinus habet quatuor pedes;* neque enim per asinum formaliter tollitur homo, ut lux per tenebras; nam asinus non est formalis negatio hominis, alias, si non daretur homo, deberet dari asinus: sed tantum est radicalis negatio, seu est aliquid incompossibile; unde in hac hypothesi non datur implicantia in adjecto, sed servatur constantia subjecti: neque etiam ponuntur principia, quæ inferant utrumque contradictorium; nam homo non essentialiter, vel necessario excludit quatuor pedes; cum homo monstrosus

possit quatuor pedes habere. Etsi autem etiam asinus non essentialiter exigat quatuor pedes, tamen naturaliter eos exigit: cui exigentiæ si Deus velit se accommodare, & præsertim, si nolit se accommodare exigentiæ hominis (quæ conditiones possunt in ea propositione S. Doctoris subintelligi) habebit ille homo asinus quatuor pedes.

189. Infertur ulterius cum Haunoldo *Log. pract. p. 2. c. 4. a. 4. n. 13.* utilem esse hanc hypothesin; *Si animalitas hominis daretur sine rationalitate, non differret a bruto*; nam animalitas non constituitur ex rationalitate, & hinc in hac hypothesi non tollitur constitutivum animalitatis: neque etiam ponitur ullum principium, ex quo inferri possit alterum contradictorium per locum intrinsecum; nam, quod animalitas sit identificata cum rationalitate, est, ut dictum *n.* 180. tantum locus extrinsecus: neque etiam terminus *hominis*, seu *homo* in obliquo, infert alterum contradictorium; quia, ut ait Haunoldus *loc. cit.* non intelligitur, quod maneat ea animalitas sub conceptu hominis, seu humanæ animalitatis, sed tantum, quod illa animalitas, quæ juncta rationalitati constituit hominem, nunc fingatur per impossibile ab ea separari.

190. Hæc de hypothesibus impossibilibus dicta sint, ex quibus quarundam utilitas, & inutilitas aliarum, satis colligi poterit: qui plura cupit, adeat, quos citavimus, Haunoldum, atque Casilium, item Buhon *tom. 4. seu metaph. q. 8. c. 5. §. An legitima:* & Casilius præcipue quæstionem hanc fusius exponit. Mihi non est visum, plura de his, similibusque summulisticis addere, & subtilitatibus, ac difficultatibus non necessariis tempus insumere, præsertim, cum (ut notat Arriaga *disp. 3. in Summul. sect. 6. in fine*) tot propositionum conversionibus videatur caput inverti, & tot vocalium, ac consonantium, in variis dialecticis versibus adductarum, mysteriis, atque earum repetitione, & comparatione, memoria vix non penitus opprimi. Unde pro introductione in Logicam, seu pro Logica parva, hactenus allata sufficiunt, ut adeo liceat, auspice ter optimo Deo, ad Logicam majorem gradum facere.

LO-

LOGICA, SIVE DISPUTATIONES LOGICÆ.

191. SCientia rite ratiocinandi *Logica*, seu *Dialectica* dicitur: quæ voces origine græcæ sunt, & artem sermocinandi, aut disputandi significant. Nomenclationes istæ acceptæ sunt ab Aristotelis posteris, qui iis usi sunt; nam ipse Philosophus priorem vocem, seu Logicæ appellationem, nunquam adhibuit: Dialecticæ autem nomen soli Topicæ tribuit: totam autem scientiam, quam septendecim libris complexus est, *Organum* dixit, seu *Instrumentum*, scilicet aliarum scientiarum; quippe has Logicas adjuvat ad eliciendos circa propriam earum materiam scientificos actus. Hanc scientiam plurimum dilaudat S. Augustinus *l. 2. de Ordine c. 13.* ubi eam vocat *disciplinam disciplinarum*: & addit: *Hæc docet docere: hæc docet discere: in hac seipsa ratio demonstrat, atque aperit, qua sit, quid velit, quid valeat. Scit scire: sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest.*

Cum autem Angelicus doceat *1. p. q. 94. a. 3. in corp.* Adamo fuisse infusas a Deo omnes scientias, *in quibus homo natus est instrui*, absque dubio etiam Logica, præ multis aliis homine digna, & vel maxime necessaria, ei fuerit divinitus infusa, ab ipso vero in posteros propagata; quamvis dein injuria temporum, & incuria hominum, tot erroribus fuerit deformata, ut, qui eam pristino nitori restituerunt, non tam antiquatam innovasse, quam novam invenisse sint creditI. Qua in re utilem reipublicæ litterariæ operam navarunt Socrates, & Plato, ille definitionem, hic divisionem, & inductionem, excogitando.

192. Sed præ omnibus grates debentur Aristoteli,

possit quatuor pedes habere. Etsi autem etiam asinus non essentialiter exigat quatuor pedes, tamen naturaliter eos exigit: cui exigentiæ si Deus velit se accommodare, & præsertim, si nolit se accommodare exigentiæ hominis (quæ conditiones possunt in ea propositione S. Doctoris subintelligi) habebit ille homo asinus quatuor pedes.

189. Infertur ulterius cum Haunoldo *Log. pract. p. 2. c. 4. a. 4. n. 13.* utilem esse hanc hypothesin; *Si animalitas hominis daretur sine rationalitate, non differret a bruto*; nam animalitas non constituitur ex rationalitate, & hinc in hac hypothesi non tollitur constitutivum animalitatis: neque etiam ponitur ullum principium, ex quo inferri possit alterum contradictorium per locum intrinsecum; nam, quod animalitas sit identificata cum rationalitate, est, ut dictum *n.* 180. tantum locus extrinsecus: neque etiam terminus *hominis*, seu *homo* in obliquo, infert alterum contradictorium; quia, ut ait Haunoldus *loc. cit.* non intelligitur, quod maneat ea animalitas sub conceptu hominis, seu humanæ animalitatis, sed tantum, quod illa animalitas, quæ juncta rationalitati constituit hominem, nunc fingatur per impossibile ab ea separari.

190. Hæc de hypothesibus impossibilibus dicta sint, ex quibus quarundam utilitas, & inutilitas aliarum, satis colligi poterit: qui plura cupit, adeat, quos citavimus, Haunoldum, atque Casilium, item Buhon *tom. 4. seu metaph. q. 8. c. 5. §. An legitima:* & Casilius præcipue quæstionem hanc fusius exponit. Mihi non est visum, plura de his, similibusque summulisticis addere, & subtilitatibus, ac difficultatibus non necessariis tempus insumere, præsertim, cum (ut notat Arriaga *disp. 3. in Summul. sect. 6. in fine*) tot propositionum conversionibus videatur caput inverti, & tot vocalium, ac consonantium, in variis dialecticis versibus adductarum, mysteriis, atque earum repetitione, & comparatione, memoria vix non penitus opprimi. Unde pro introductione in Logicam, seu pro Logica parva, hactenus allata sufficiunt, ut adeo liceat, auspice ter optimo Deo, ad Logicam majorem gradum facere.

LO-

LOGICA, SIVE DISPUTATIONES LOGICÆ.

191. SCientia rite ratiocinandi *Logica*, seu *Dialectica* dicitur: quæ voces origine græcæ sunt, & artem sermocinandi, aut disputandi significant. Nomenclationes istæ acceptæ sunt ab Aristotelis posteris, qui iis usi sunt; nam ipse Philosophus priorem vocem, seu Logicæ appellationem, nunquam adhibuit: Dialecticæ autem nomen soli Topicæ tribuit: totam autem scientiam, quam septendecim libris complexus est, *Organum* dixit, seu *Instrumentum*, scilicet aliarum scientiarum; quippe has Logicas adjuvat ad eliciendos circa propriam earum materiam scientificos actus. Hanc scientiam plurimum dilaudat S. Augustinus *l. 2. de Ordine c. 13.* ubi eam vocat *disciplinam disciplinarum*: & addit: *Hæc docet docere: hæc docet discere: in hac seipsa ratio demonstrat, atque aperit, qua sit, quid velit, quid valeat. Scit scire: sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest.*

Cum autem Angelicus doceat *1. p. q. 94. a. 3. in corp.* Adamo fuisse infusas a Deo omnes scientias, *in quibus homo natus est instrui*, absque dubio etiam Logica, præ multis aliis homine digna, & vel maxime necessaria, ei fuerit divinitus infusa, ab ipso vero in posteros propagata; quamvis dein injuria temporum, & incuria hominum, tot erroribus fuerit deformata, ut, qui eam pristino nitori restituerunt, non tam antiquatam innovasse, quam novam invenisse sint creditI. Qua in re utilem reipublicæ litterariæ operam navarunt Socrates, & Plato, ille definitionem, hic divisionem, & inductionem, excogitando.

192. Sed præ omnibus grates debentur Aristoteli,

argumentationis, & syllogismi præsertim inventori: qua de causa eum semper antiquitas ut præcipuum Philosophum, & antonomastice talem, est venerata: quodque majori adhuc laudi ipsi est, successu temporis eum præ aliis juventuti prælegendum elegit Ecclesia. Et certe ejus methodus disputandi revincendis hæreticis aptissima est, ejusque etiam principia physica melius, quam aliorum, cum dogmatibus fidei conciliantur: qua de re in Physica pluribus erit agendum. Licet autem & ipse, utpote fidei lumine destitutus, quandoque a veritate aberraverit, e. g. adstruendo mundi æternitatem, vel etiam, ut quidam volunt, actionis creativæ impossibilitatem, aut similia, ita tamen erravit, ut nemo facile ab eo in errorem inducatur; eo quod opposita veritas apertis fidei principiis mox commonstretur.

193. Organum autem suum Aristoteles in septendecim, ut jam dictum est, libros divisit, quorum primus inscribitur *de Prædicamentis*, seu *Categoriis*; nam de his agit: duo sequentes libri *Perihermenias* vocantur, seu *de Interpretatione*; nam de hac in iis tractat, seu de enunciatione, ut merito volunt Conimbricenses *in præfat. ad hos libros*. Istis subjungit Philosophus quatuor libros *Analiticorum*, seu *Resolutoriorum*, in quorum duorum prioribus agit de syllogismo in genere, in duobus vero posterioribus de syllogismo in specie, nempe de demonstrativo. His subtexit octo libros *Topicorum*, in quibus de locis argumentorum, potissimum probabilium, fusius disputat. Tandem addit duos libros *Elenchorum*, iisque tradit, per se quidem modum solvendi, per accidens vero etiam modum construendi sophismata.

194. Ex his jam multa in Summulis, quantum necesse est, pertractavimus: de aliis autem per Logicæ ipsius decursum agemus, de iis nempe, de quibus ex diuturna consuetudine in nostris Universitatibus solent prælectiones haberi: quam consuetudinem semper præ oculis habebimus, non tantum quoad delectum materiæ, sed etiam quoad ordinem ejusdem, ita, ut aliqua prius, aliqua post ponamus: imo quædam ex Metaphysica in Logicam, alia contra ex Logica in Metaphysicam transferamus; nec enim censendum est, nostros majores temere hunc ordinem in

in Philosophiam introduxisse, sed ex gravi ratione, & intuitu majoris profectus a disciplinarum istarum candidatis faciendi: qui etiam finis est hujus lucubrationis.

DISPUTATIO I.

De Prolegomenis logicæ.

195. SOlent auctores jam longo tempore, & more, nostris præsertim Universitatibus usitatissimo, quæstionibus Organo Aristotelis magis intrinsecis, prætermittere disputationem de Prolegomenis Logicæ, sive de natura, proprietatibus, & objecto hujus scientiæ. Sane decet, Dialectices studiosum nosse penitius artem, & habitum, cui se impendit. Dein etiam ideo hæc de Logica paulo fusius examinantur, ut postea in aliarum scientiarum, Physicæ, Metaphysicæ &c. tractatione tuto possit iis supersederi; eo quod, quæ hic de Logica dicuntur, facile ad alias disciplinas, juxta suam proportionem, & materiæ capacitatem, transferantur.

Huic disputationi solet subnecti altera de identitate, & distinctione, quæ, quamvis ad Metaphysicam spectet, tamen jam hic anticipato instituitur: eo quod sine notitia distinctionum oppido difficile sit, ad argumenta, præsertim captiosa, & involuta, convenienter respondere. Post hæc disputatione tertia agi solet de Universalibus, in Porphyrii Isagoge expositis; nam & ista prius intelligi debent ab eo, qui doctrinam, in Aristotelis organo propositam, rite vult penetrare.

Tum enim vero quarta disputatione in primum Philosophi librum de prædicamentis, & præcipue de relatione, commentationes præleguntur: inde quinta, & sexta disputatione de objectis librorum Perihermenias, & Analyticorum, ac Topicorum, nempe de signis, & veritate, ac syllogismo, tam demonstrativo, quam probabili, agitur: quibus sex disputationibus etiam nos hunc de Logica tractatum circumscribemus. Itaque sit

QUÆSTIO PRIMA.

De Essentia, & Proprietatibus Logicæ.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Logica.

196. LOgica dicitur a græca voce λόγος, quæ sermonem significat, & recte a Conimbricensibus *quæst. proœm. 4. art. 1.* ex Cicerone definitur *Ars disserendi*. Hoc autem verbum *disserere* apud eosdem Conimbricenses *loc. cit.* quadruplicem habet significationem, nempe 1. uti sermone. 2. probabiliter disputare 3. argumentari. 4. ignotum ex noto patefacere, nempe ex aliquo modo sciendi, sive dein definitio, sive divisio, sive argumentatio fuerit, & in hac significatione hoc verbum in hac definitione accipitur; quia nempe Logica eatenus disserit, quatenus modos sciendi producit; unde etiam appellata est *Modus sciendi*, appellatione metonymica, sumendo effectum pro causa.

197. Dividitur autem Logica in *naturalem*, & *artificialem*. Prior, seu *naturalis*, videtur, non esse ipse intellectus, potens naturaliter discurrere; quia hic est potentia identificata animæ, & non habitus ei superadditus: sed (ut vult Comptonus *disp. 1. log. sec. 2.* cui consentiunt Conimbricenses *quæst. proœm. 6. a. 2.*) esse generalia quædam principia, vel notitiæ aliquæ modorum disserendi, seu sciendi, quas ipsa ratio sine ullo præceptore, ordine, & methodo, sibi comparat, atque sic acquirit aliquam facilitatem in aliquibus saltem materiis discurrendi. Altera Logica, seu *artificialis*, est ipse habitus Logicæ, ex regulis, & præceptis rite disserendi constitutus, cui proprie convenit definitio *num. præc.* tradita, scilicet *Ars disserendi*.

Logica hæc *artificialis* dividitur in tres partes physicas, ex quibus quælibet potest dici *Logica partialis*, complexum autem omnium trium *Logica totalis*. Tres autem istæ partes sunt *Analytica*, *Topica*, & *Sophistica*: quarum prima præcipue agit de syllogismo

gismo scientifico, seu demonstrativo, altera de probabili, ac tertia de Sophistico, prout scilicet de his agunt libri Analyticorum, Topicorum, & Elenchorum, de quibus *num. 193.* locuti sumus.

198 Præ cæteris autem celebris est divisio Logicæ in *docentem*, & *utentem*: in quibus tamen explicandis, præsertim in explicanda Logica utente, auctores plus, quàm par est, disentiunt; cum quæstio, si non tota de nomine sit, saltem de quæstione nominis plurimum habeat. Communiter dicitur *Logica docens* esse complexum ipsarum regularum Logicarum, quæ tradunt in genere methodum conficiendi modos sciendi; hac ratione enim docemur rite disserere, quod pro fine suo Logica habet.

At *Logica utens* a variis varie explicatur. Giatinus *q. 1. Log. a. 6. §. Dico secundo.* vult, Logicam utentem esse ipsas alias scientias particulares, quæ in ordine ad suos actus Logicæ præceptis utuntur. Oviedo vero *Log. controv. 2. p. 2. n. 6.* & multi recentiores docent, Logicam utentem esse omnes actus, seu Logicos, seu Physicos, aut Metaphysicos, aut aliarum etiam scientiarum, directos a Logica, atque adeo Physicam, Metaphysicam &c. esse Logicam, non quidem simpliciter dictam, sed cum restrictione *utentem*. Equidem Arriaga *disp. 3. Log. sec. 1. n. 2.* ait, alias scientias non debere dici Logicam utentem, sed utentes Logica: sed hæc est grammaticalis objectio, quam Philosophi sæpe negligunt, dum nolunt legibus grammaticæ arctari, & sæpe activum passivo substituunt: & sicut dicunt *supponit* pro *supponitur* (quamvis non dicant *substituit* pro *substituitur*) ita etiam possunt dicere *Logica utens* pro *Logica*, ut ita dicam passive *usa*, vel *adhibita*: quamvis non dicant *malleus utens*, quando eo artifex utitur: scilicet in quæstionibus de nomine, aut voce, argumentum a pari est nullum.

199. Alii volunt, quod *Logica utens* sit Topica, ad quam reducuntur omnes actus probabiles, etiam circa objecta aliarum scientiarum versantes; cum enim actus probabiles ratione materiæ ad nullam scientiam spectent, ratione formæ autem ad solam Logicam pertineant, videntur non immerito Topicæ debere attribui: & sane Aristoteles *1. Topic. 1.* ait; *Propositum*

tum quidem negotii est, methodum invenire, per quam poterimus syllogizare de omni proposito problemate ex probabilibus: id est: propositum est, artem docere, de omnibus probabilibus discurrendi: quibus verbis sane videntur omnes actus probabiles ad Topicam reduci. Utraque sententia probabilis est.

200. Conimbricenses *quæst. proœm. 4. a. 2.* volunt, Logicam docentem, & utentem, esse easdem regulas Logicæ, quæ dum in genere tradunt methodum conficiendi modos sciendi, adeoque docent, istos conficere (quod sine omni actuali confectione illius modi sciendi fieri potest) merito dicantur Logica docens: dum vero in particulari juvant, & dirigunt ad actus, seu modos sciendi conficiendos, atque in istos directive influunt, dicantur Logica utens, seu Logica in usum deducta, sive adhibita: ut adeo Logica utens a docente, saltem quoad rectum, non nisi formaliter differat, seu, ut *loc. cit.* ajunt Conimbricenses, non aliter differat, quam *differentia divisiva*, & *constitutiva*; nam sicut eadem realiter differentia, e. g. *rationale*, est divisiva respectu animalis tanquam generis, & est constitutiva respectu hominis tanquam speciei: ita eædem regulæ, ut in genere hominem docent conficere modos sciendi, sunt Logica docens, & ut cum eodem in particulari influunt in actus directos, sunt Logica utens.

201. Hac ratione salvatur, quod Logica utens non tantum sit congeries variorum actuum, sed sit aliquis habitus, qualem eam esse videtur a pluribus supponi, certe convenientius dici. Salvatur etiam illud commune dictum Philosophorum, Logicam docentem esse a rebus avulsam, seu abstractam: at vero utentem esse cum iis concretam, seu connexam; nam, cum regulæ ut docentes loquantur tantum in genere, & abstrahendo ab omni modo sciendi in particulari, vel saltem a modorum objectis, recte Logica docens dicitur a rebus avulsa, seu abstracta.

Cum autem regulæ ut utentes, seu influentes in productionem modorum sciendi, hos ipsos modos in particulari immediate, & consequenter etiam eorum objecta, tanquam res, circa quas illi versantur, mediate attingant, recte Logica utens cum rebus,

rebus, seu cum actibus in particulari productis immediate, & cum eorum objectis, saltem mediate, concreta, seu connexa poterit dici. Et hæc sententia mihi præ aliis placet; si quis tamen aliter sentiat, de hac quæstione vocabularia, nolim multum litigare.

ARTICULUS II.

Quid, & Quotuplex sit Potentia, Habitus, & Actus.

202. Ut rite intelligantur tum essentia, tum proprietates Logicæ, præmittenda est explicatio quorundam terminorum, quid nempe in genere vocetur potentia, habitus, aut actus, de quibus præsenti articulo agendum; nam, quid sit & quotuplex virtus, sequenti articulo paulo fusius exponemus. Itaque *potentia* latissime sumpta est *aptitudo ad aliquid*: alia autem est *activa*, seu *aptitudo* ad aliquid efficiendum: alia est *passiva*, seu aptitudo ad aliquid recipiendum. Sic sol est potentia activa respectu caloris, quem producit: & terra est potentia passiva respectu ejusdem caloris, quem recipit, & per quem calefit.

203. *Habitus* est *qualitas difficulter mobilis potentiæ superaddita, in ordine ad producendos ejus actus.* Dividitur autem habitus in *infusum*, & *acquisitum*. Prior, seu *infusus*, est, qui absque prævio exercitio infunditur a Deo: & quidem alius est *per se infusus*, seu qui per frequentatos actus non potest naturaliter acquiri: & tales sunt omnes habitus supernaturales, e. g. fidei, spei, charitatis &c. Alius est habitus *per accidens infusus*, qui scilicet naturaliter per frequentatos actus potest quidem acquiri, sed hic, & nunc absque tali frequentatione a Deo infunditur: quales plures habitus scientiarum, & artium, primo parenti Adamo fuerunt infusi.

204. Alter, seu habitus *acquisitus*, est, qui nempe per frequentatos actus acquiritur, & potentiam ad similes actus facilitat; hinc definitur *qualitas difficulter mobilis potentiæ superaddita, eamque facilitans ad suos actus:* in quo discrepat ab habitibus per

se infusis, qui juxta communem Theologorum non dant facile posse, sed tantum simpliciter posse. Habitus autem per accidens tantum infusi facilitant, ut acquisiti. Scilicet quivis magister in aliqua arte, hanc frequenter exercendo, seu actus ejus faciendo, acquirit facilitatem aliquam in perficiendis operibus artis, quam tyro nondum habet: pariter, qui sæpe fuit intemperans in bibendo, acquirit vitiosam inclinationem, seu facilitatem ad bibendum, ut singulis momentis sitiat, & bibat. Dicuntur autem omnes habitus *difficulter mobiles*; quia non ex natura sua transeunt, sicut actus: sed ordinarie per aliquod contrarium cum aliqua difficultate destrui debent.

205. Jam *habitus acquisitus* alius est *intellectualis*, alius *moralis*. Prior facilitat ad actus intellectus, alter ad actus voluntatis: de hoc tamen ulterius disserere non spectat ad Logicam, quæ utique non ad actus voluntatis, sed intellectus disponit, seu facilitat. Habitus autem *intellectualis* dividitur rursus in *speculativum*, & *practicum*. Ille, seu *speculativus* est, cujus finis est veritas, seu qui quiescit in consideratione objecti, nec dirigit ad opus faciendum: & talis est Physica, ac Metaphysica: *practicus* est, qui dirigit ad praxin, seu, ut nostri communius explicant, ad opus faciendum, nec sistit in consideratione objecti, aut notitia de eo: & talis est Architectonica, Musica, Grammatica, &c.

Ex quo facile infertur, quod etiam *actus speculativus* sit ille, qui quieseit in consideratione sui objecti: *actus practicus* autem, qui dirigit ad opus faciendum. Subdividitur autem habitus *practicus* iterum, & alius dicitur *Factivus*, alius *Activus*. Ille est, qui relinquit aliquod opus post se, seu post suam operationem: e. g. Architectonica relinquit domum, pictoria picturam: alter vero non relinquit opus post se, seu post suam operationem, e. g. musica saltatoria; nam finito istarum exercitio non remanet quidquam; quia cessante exercitio, seu operatione, cessat sonus, & saltus.

206. *Actus* jam aliud non sunt, quam operationes, a potentiis, vel habitibus productæ: & sunt duplicis generis; nam aliqui actus dicuntur *eliciti*, alii *directi*. Illi immediate profluunt ab habitu: isti profluunt mediate, seu fiunt juxta directionem actuum elicitorum. Sic actus elicitus pictoriæ est ejus regula: e. g. *Colores debent subtiliter teri*: actus directus est ipsa subtilis colorum attritio juxta præscriptum regulæ facta. In habitibus speculativis dantur tantum actus eliciti: in practicis præter elicitos dantur etiam directi: & potest idem actus respectu diversorum habituum esse simul elicitus, & directus: sic definitio: *Omnis homo est animal rationale*: est actus elicitus respectu Physicæ, & directus respectu Logicæ.

Imo videtur quibusdam, etiam idem actus posse respectu ejusdem habitus esse simul actus elicitus, & directus: e. g. regula illa primæ figuræ: *Nec major sit specialis*: videtur esse actus directus, ac elicitus respectu ejusdem Logicæ: & quidem elicitus, quia tanquam regula immediate, ut volunt, profluit a Logica: directus autem, quia regulatur per aliam regulam, scilicet, quod medius terminus debeat in præmissis distribui, vel, quod a non distributo non debeat procedi ad distributum. Tantum difficultas aliqua videtur in hoc modo loquendi esse quoad illud, quod tales actus dicantur immediate profluere a Logica; cum non videantur procedere, nisi mediantibus aliis actibus directivis.

Forte tamen poterit dici, tales actus immediate profluere a Logica ratione materiæ, quæ immediate a Logica, & a nulla alia scientia suppeditatur: & mediate profluere ratione formæ, quæ mediantibus aliis actibus logicis introducitur. Et sane actus a Logica, etiam aliquo modo directi, attamen ratione materiæ ad nullam aliam scientiam, sed ad ipsam Logicam pertinentes, videntur satis communiter vocari actus eliciti Logicæ. Sed non est opus, huic liti de nomine diutius immorari.

ARTICULUS III.

Quid, & Quotuplex sit Virtus.

207. VIrtus in genere ab Aristotele 2. *Moral. Nicom.* 6. dicitur *habitus, ex quo, & bonus homo*

homo ipse efficietur, & bene opus suum reddet: quod communiter ita explicatur: *Virtus est habitus, qui facit bonum habentem, & opus ejus bonum reddit.* Idem Philosophus 7. *Physic. text.* 17. ait: *Dispositiones enim quædam ejus, quod præstantissimum est, ad optimum sunt:* ubi, quamvis videatur tantum loqui de pulchritudine, & robore, tamen ex hoc textu communiter desumunt auctores definitionem virtutis in genere, quod scilicet sit *dispositio perfecti ad optimum:* intellige *perfecti*, non antecedenter talis, sed talis formaliter redditi per ipsam virtutem in linea virtutis: intellige etiam *optimum* non simpliciter, sed in linea virtutis, seu ad finem virtuti præfixum; unde sensus hujus definitionis est: *Virtus est habitus, quo potentia perficitur, & ad finem eidem virtuti præfixum, seu ad optimum in linea ejusdem virtutis, disponitur.*

208. *Bonum* autem quodlibet est, si est bene dispositum ad suum finem: & siquidem bene dispositum est ad finem suum primarium, & ultimum, dicitur *bonum simpliciter:* sic simpliciter bonus est homo, si constitutus sit in gratia Dei, & bene dispositus ad vitam æternam: simpliciter etiam bonus est calamus, si bene aptatus est ad scribendum &c. Si vero aliquid non sit bene dispositum ad suum ultimum, aut primarium finem, sed tantum ad aliquem secundarium, non est bonum simpliciter, sed tantum *bonum secundum quid:* & sic, si homo sit tantum bonus Logicus, aut bonus Musicus, non autem sit præditus gratia Dei, est tantum bonus secundum quid.

209. Jam *virtus*, dividitur (sicut habitus) in *infusam*, & *acquisitam*, quorum terminorum explicatio prorsus similis est illi, quæ *n.* 203. & 204. data est de habitibus: item dividitur in *intellectualem*, & *moralem*. Hæc, seu *moralis* (cujus ulterior examinatio ad nostrum scopum non facit) est habitus, qui perficit voluntatem, & opera ejus bona, in ordine ad voluntatem, id est, honesta reddit. *Intellectualis* vero (de qua plura nobis dicenda) est habitus, qui perficit intellectum, & operæ ejus bona in ordine ad intellectum, id est, vera reddit: & hoc est, quod Aristoteles vult, dum 6. *Ethicor.* 3. ait, virtutes intellectuales esse *ea, quibus anima affirmando, aut negando, verum dicit:* ubi juxta communem subintelligi debet particula *semper;* nam statim ibidem excludit e numero harum virtutum opinionem, ac existimationem: & rationem addit: *Nam existimatione, & opinione fieri potest ut mentiamur:* quare, cum per istas etiam aliquando verum dicamus, & tamen virtutes non sint, ad has requiritur, ut semper per ipsas verum dicamus.

210. Ibidem Philosophus dividit virtutes intellectuales in quinque species, nempe *artem*, *scientiam*, *prudentiam*, *sapientiam*, *intellectum*. Ex his *intellectus*, prout hic sumitur, non est potentia intellectiva, sed est *habitus primorum principiorum*, quibus debemus assentiri sine probatione, ne debeamus in infinitum disputare: & ista principia cognoscimus perfecta terminorum penetratione; hinc Aristoteles 1. *Topic.* 1. ait: *Sunt autem vera, & prima* principia, *qua non per alia, sed per seipsa fidem habent:* hoc est, assensum pariunt.

Ex his *principia* aliqua sunt *universalissima:* id est: scientiis omnibus communia, ut: *Idem non potest simul esse, & non esse:* alia sunt *particularia*, seu particularibus scientiis propria, ut: *Dictum de omni:* quod pertinet ad Logicam: alia sunt *principia primi generis*, quæ sunt omnibus nota, & dicuntur etiam *axiomata*, vel *dignitates*, ut est illud geometricum: *Quæ sunt æqualia eidem tertio, sunt æqualia inter se:* alia sunt *secundi generis*, & tantum sapientibus nota, vocanturque *postulata*, ut est illud postulatum geometriæ: *Recta linea terminata semper potest produci.*

211. Altera virtus intellectualis *sapientia*, si stricte sumatur, est *scientia rerum per causas altissimas:* ex qua ratione Theologi, & Metaphysici, præ aliis sapientes sunt, utpote qui per rationes sublimissimas agunt de Deo, qui etiam est causa altissima, de quo videatur Angelicus 1. *p. q.* 1. *a.* 6. *in corp.* Tertia virtus intellectualis, seu *scientia*, est *habitus demonstrativus rei per causas evidentes:* ut autem distinguatur a sapientia, intelligi debent, nec res, nec causæ altissimæ. De quarta prudentia dicit Aristoteles 6. *Ethicor.* 5. quod *habitus sit vera cum ratione activus circa ea, quæ & bona, & mala, homi-*

homini sunt : ab aliis in eundem ferme sensum definitur *habitus directivus operationum moralium in particulari ad ultimum finem*. Tandem quinta, seu *ars*, a Philosopho 6. *Ethicor.* 4. dicitur *habitus cum ratione vera effectivus* : hoc est (saltem, ut plures, recentiores præsertim, explicant) directivus operationum non moralium.

212. Hoc Giatinus *q.* 2. *a.* 4. vult ulterius colligere ex Philosophi dictis 6. *Ethic.* 5. ubi ait : *Artis est virtus, prudentia autem minime* : & post pauca : *Prudentiam non artem, sed virtutem quandam esse, manifestum est* : quasi diceret (ut interpretatur hic auctor) prudentiam esse virtutem, dirigentem actiones morales, artem vero non esse talem virtutem : posse tamen aliquam virtutem esse artis : hoc est : directivam artis, aut actionum ipsius ad finem moralem. Equidem (ut verum fatear) videtur *hic*, seu 6. *Ethic. c.* 4. & 5. uti & 1. *Magn. Moral.* 33. Aristoteles per artem intelligere habitum, effectivum operis distincti ab operatione, seu post operationem permanentis ; nam *cit. c.* 5. expresse dicit : *Effectionis finis diversum quid ab ea est : actionis vero non semper ; ipsa enim bona actio finis est* : id est : Finis habitus effectivi est distinctus ab effectione, seu operatione, e. g. finis ædificatoriæ, ut eam vocat *c.* 4. seu architectonicæ, est domus : at vero habitus activi finis est ipsa actio, seu operatio, e. g. prudentiæ est ipsa bona electio : quæ iterum videtur docere 1. *Magnor. Moral. c.* 33.

Unde, attendendo saltem sensum strictiorem, non videntur habitus activi ab Aristotele computari inter artes. Cum autem neque sint scientiæ, e. g. saltatoria, gladiatoria, mulica : neque etiam sint partes prudentiæ ; eo quod non sint habitus directivi operationum moralium (qualis juxta omnes debet esse prudentia, aut ejus partes subjectivæ) deberent juxta Aristotelem generico tantum nomine dici habitus activi : quod non videtur placuisse auctoribus ; unde maluerunt, eos reducere ad artem, saltem minus stricte dictam, & per hanc intelligere habitum directivum operationum non moralium : in quo sensu etiam nos de arte loquimur. vide etiam *num.* 302.

213. Di-

213. Dividitur autem *ars* ita accepta, vel explicata, in *factivam*, & *activam*. Prior, seu *factiva* est, quæ relinquit opus post suam operationem : tales sunt e. g. *pictoria*, & *architectonica*, quarum prior relinquit imaginem, posterior domum. Altera, seu *activa* est, quæ non relinquit opus post suam operationem : tales sunt e. g. *musica*, *saltatoria*, quæ post editum sonum, aut saltum, nihil relinquunt. Ex quo etiam habetur, quod *actio*, in hoc sensu accepta, significet operationem, quæ non producit opus a se distinctum, & postea permanens : *factio* vero sit operatio, quæ tale permanens opus producit.

Dividitur rursus *ars* in *liberalem*, & *mechanicam* : Illa, sive *liberalis* est, quæ excolit liberum hominis animum, & cujus actiones non censentur serviles. Altera, seu *mechanica* est ignobilior, ejusque actiones serviles censentur. De hac duplici classe artium compositi sunt duo versiculi, quorum primus liberales, alter mechanicas indicat : *Lingua*, *tropus*, *ratio*, *numerus*, *sonus*, *angulus*, *astra* : *Rus*, *nemus*, *arma*, *rates*, *vulnera*, *lana*, *faber* : id est : artes liberales sunt *Grammatica*, *Rhetorica*, *Logica*, *Arithmetica*, *Musica*, *Geometria*, *Astronomia* : e contra mechanicæ sunt *Agricultura*, *Venatoria*, *Militaris*, *Nautica*, *Chirurgia*, *Textoria*, *Fabrilis* : quamvis utique nec omnes liberales, nec omnes mechanicæ, tam stricto numero comprehendantur.

ARTICULUS IV.

An Logica sit Virtus Intellectualis.

214. DE Logica docente hæc quæstio determinate agitatur, uti & sequentes ; quamvis enim in sententia n. 201. adducta, (in quam multum inclino) sint realiter identificatæ Logica docens, & utens, tamen identificatæ non sunt juxta aliorum opinionem ; unde, ut in omnium sententia hæc quæstio procedat, a Logica utente abstrahitur. Jam Logicam non esse virtutem moralem, est indubitatum ; non enim actus voluntatis, sed intellectus, dirigit, & hunc, non illam perficit : imo voluntatem in multis Logicis pessimam relinquit : adeoque tantum est quæstio,

an

an Logica sit virtus intellectualis, præsertim, an quoad omnes partes, scilicet Analyticam, Topicam, & Sophisticam.

215. Dico cum communi Philosophorum; Logica est secundum omnes partes virtus intellectualis. Prob. conclusio. Virtus intellectualis est, per quam anima semper verum dicit, seu quæ habet actus elicitos semper veros; ergo Logica secundum omnes suas partes est virtus intellectualis. ma. est Aristotelis citati *n.* 209.

Prob. mi. Actus eliciti Logicæ sunt regulæ Logicæ: sed regulæ Logicæ, tam Analyticæ, quam Topicæ, ac Sophisticæ, sunt semper veræ: ergo per istas Logica semper verum dicit, & eas eliciendo semper elicit actus veros. prob. mi. illæ regulæ sunt semper veræ, quas sequendo semper obtinetur finis intentus a regulis: sed sequendo regulas Logicæ, sive Analyticæ, sive Topicæ, sive Sophisticæ, semper obtinetur finis ab eis intentus, scilicet modus sciendi, vel syllogismus, seu Analyticus, seu Topicus, seu Sophisticus: ergo. ma. est clara; quia sic regulæ sunt conformes objecto, adeoque veræ. mi. patet a posteriori; nam sequendo regulas Analyticæ semper producitur syllogismus vere evidens: & sequendo regulas Topicæ semper producitur syllogismus vere probabilis: itemque vere sophisticus sequendo regulas Sophisticæ.

216. Ob. 1. Virtus est, quæ facit bonum habentem: sed Logica non facit bonum habentem: ergo non est virtus. prob. mi. multi insignes Logici sunt homines vitiosi: ergo per Logicam non fiunt eam habentes boni. Confir. S. Augustinus *l. 2. de liber. arbitr. c. 19.* ait: *Virtutibus nemo male utitur*: sed multi male utuntur Logica: ergo hæc non est virtus. Resp. dist. ma. Virtus facit habentem bonum, vel simpliciter, vel secundum quid. conc. ma. semper simpliciter. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. neg. conseq. Possunt homines esse simpliciter mali, hoc est, peccatores etiam graves, & neutiquam bene ordinati ad suum finem ultimum: & tamen simul esse boni secundum quid, seu boni Logici, pictores, geometræ &c.

Ad confirm. dist. ma. Virtute morali nemo male utitur.

tur. om. maj. virtute intellectuali. neg. maj. & conc. min. dist. conseq. ergo Logica non est virtus moralis. conc. conseq. non est virtus intellectualis. neg. conseq. Virtute quidem morali nemo potest male uti, tanquam causa, eliciendo per illam actum malum; quamvis quis possit ea abuti tanquam objecto, e. g. concipiendo de ipsa vanam gloriam. At vero virtute intellectuali potest quis male uti; nam utique arte militari, & gladiatoria, vel arte saltatoria, aut musica, quæ indubitato sunt virtutes intellectuales, multi abutuntur ad homicidia, ad inanem gloriam, vel etiam impudicitiam. S. Augustinum *loc. cit.* loqui de virtutibus moralibus, patet legenti citatum caput; nam aperte nominat temperantiam, fortitudinem &c. imo *l. 1. Retract. c. 9.* per virtutem intelligit actum elicitum bonæ voluntatis, seu virtutis ad voluntatem spectantis, adeoque moralis.

217. Objic. 2. Logica per suos actus non semper verum dicit: ergo non est virtus intellectualis. prob. ant. plures actus Logicæ, e. g. de ejus objecto, vel necessitate, de relatione &c. sunt tantum probabiles, & in utramque partem disputabiles: ergo. Resp. dist. ant. Logica non semper verum dicit, per illos actus, a quibus denominatur virtus intellectualis. neg. ant. a quibus denominatur tantum habitus opinativus. conc. ant. & neg. conseq. ad prob. conc. ant. & neg. conseq. Quilibet ferme habitus scientificus præter actus certos, & veros, a quibus denominatur scientia, habet etiam alios tantum probabiles: sic in Physica, Metaphysica, atque etiam in Theologia, dantur plures conclusiones tantum probabiles, quæ ab aliis probabiliter negantur: & sic etiam se habet Logica.

Unde quilibet talis habitus dividendus est in duas partes, unam scientificam, quæ suis actibus constituit virtutem intellectualem, alteram tantum probabilem, quæ suis actibus tantum constituit habitum opinativum. Aliter respondent Conimbricenses *quæst. proœm. 4. art. 2.* asserentes, omnes actus tantum probabiles, de quacumque materia tractent, revocandos esse ad Topicam; cum ad nullam scientiam revocari possint: sed iidem negant *eadem quæst. art. 3.* Dialecticam stricte dictam, id est, Topicam, esse scientiam. Mihi præplacet prior responsio,

etiam

etiam ideo ; quia juxta eam facilius defenditur ; quod etiam Topica sit virtus intellectualis , præsertim, si Topica utens , & docens , juxta dicta *num.* 201. sint realiter identificatæ.

218. Objic. 3. Virtus ex Aristotele , citato *num.* 207. est, cujus opus semper est bonum: ergo saltem Topica , & Sophistica , non sunt virtus intellectualis . prob. conseq. opus Topicæ , & Sophisticæ , seu syllogismus probabilis , & sophisticus , non est semper bonum : ergo . prob. ant. syllogismus probabilis sæpe , sophisticus semper est falsus : ergo neuter semper est bonus. Resp. dist. ant. Virtus est , cujus opus immediatum , & elicitum semper est bonum . conc. ant. cujus opus tantum mediatum , & directum , semper est bonum . neg. ant. & conseq. ad prob. dist. iterum ant. opus immediatum , & elicitum Topicæ , & Sophisticæ , non semper est bonum . neg. ant. opus mediatum , & directum . conc. ant. & neg. conseq. ad prob. dist. denuo ant. & syllogismus probabilis , vel sophisticus est opus immediatum , aut elicitum . neg. ant. est opus tantum mediatum , & directum . conc. ant. & neg. conseq.

Opus elicitum , & immediatum , seu actus immediati , & eliciti Topicæ , ac Sophisticæ , sunt regulæ , & istæ sunt infallibiles : opus vero mediatum , & directum sunt actus regulati , seu directi , scilicet syllogismi probabiles , & Sophistici , qui possunt esse falsi ; quia quælibet virtus procurat in suis actibus , non omnem bonitatem , sed tantum sibi propriam , nempe conformitatem cum suis regulis. Sic grammatica non facit , ut propositio non sit mendax , sed tantum , ut sit emendata constructio : imo actus directi saltatoriæ , & musicæ , nec sunt veri , nec falsi.

Dices 1. Etiam regulæ Logicæ non sunt semper veræ : ergo . prob. ant. regula de conversione per contrapositionem aliquando fallit : ergo . Confir. Vi regulæ de conversione propositionis affirmativæ universalis potest ex propositione necessaria , e. g. ista : *Omne currens est animal* : inferri contingens , e. g. ista . *Aliquod animal est currens* : quæ potest esse falsa : ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. suppos. Illa regula non est vere regula Logicæ , ut satis jam dictum *num.* 109. Ad confir. neg. ant. In eo casu propositio conversa , etsi apparenter sit absoluta , reipsa est conditionata , de quo vide dicta *n.* 110. unde in eâ verbum *est* non sumitur pro statu , sed per ampliationem , vel alienationem (de quibus terminis vide *n.* 53.) neque hoc est contra dicta *n.* 39. nam ibi egimus tantum de propositionibus contingentibus stricte absolutis.

219. Dices 2. Virtus nec mediate potest disponere ad malum suæ potentiæ : ergo nec actus directi virtutis intellectualis possunt esse falsi . ant. videtur esse aliquod axioma . conseq. prob. malum intellectus est falsum : ergo , si Logica per actus directos disponit ad falsum , disponit ad malum intellectus , sive suæ potentiæ . Resp. dist. ant. virtus nec mediate potest disponere ad malum suæ potentiæ ex intentione sua . conc. ant. præter intentionem suam , & per accidens . neg. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. conseq. ad prob. conc. totum : nego tamen , id fieri ex intentione Logicæ . Sic etiam ars militaris , dum disponit ad invadendum hostem , sæpe per accidens disponit ad mortem sui subjecti . Et eadem ratione Logica , dum disponit ad assensum probabilem , qui sæpius est verus , per accidens aliquando disponit ad assensum falsum ; quia probabilia quandoque sunt falsa.

220. Dices 3. Saltem Sophistica ex intentione sua disponit ad falsum , scilicet sophisma : ergo saltem hæc non est virtus . Resp. dist. ant. Sophistica ex intentione sua disponit ad falsum , seu sophisma affirmandum . neg. ant. ad illud apprehendendum , negandum , aut solvendum . conc. ant. & neg. conseq. Non est intellectui malum , si sophisma apprehendat , ac dein neget , vel solvat : & ad hoc inclinat Sophistica : non vero ad sophisma , præsertim cognitum qua tale , affirmandum ; quia impossibile est , intellectum assentiri falso , ut falso . Si quis autem putaret , regulas sophisticas disponere al falsum affirmandum , is non intelligeret regulas , nec haberet virtutem intellectualem , sed habitum erroneum .

Dices 4. Opus virtutis moralis etiam directum non potest esse moraliter malum : ergo etiam opus virtutis intellectualis directum non potest esse intellectualiter malum , sive falsum . Resp. neg. conseq. & paritatem . Malitia operis moralis consistit in difformi-

formitate cum regulis virtutis moralis: ergo implicat, opus esse malum, & simul conforme illis regulis: at malitia intellectualis, seu falsitas, non consistit in difformitate cum regulis Logicæ, sed in difformitate cum objecto: ergo opus directum Logicæ potest esse conforme hujus regulis, & tamen esse intellectualiter malum, seu falsum.

221. Dices 5. Est axioma: *Bonum ex integra causa, malum ex quacumque defectu:* ergo ille habitus non est simpliciter bonus, adeoque neque virtus intellectualis dicendus, qui non ex omni parte, consequenter etiam ex parte actuum directorum, est bonus. Resp. om. ant. neg. conseq. Axioma illud tantum applicari debet actibus moraliter bonis; ad hos enim requiritur, ut eos nulla circumstantia vitiet: & de his actibus loquitur S. Thomas 1. 2. *qu.* 18. *art.* 4. *ad.* 3. non vero de actibus intellectus, ut patet legenti corpus articuli. Forte etiam hoc axioma suo modo applicari potest toti, quod deficiente parte necdum est perfectum. Cæterum ad bonum tantum in aliqua speciali ratione virtutis intellectualis sufficit, ut habeat bonitatem ab ea virtute intentam: sic bona est pictura hominis, etsi careat vita; quia hæc non est bonitas intenta ab arte pingendi: & pariter veritas actuum directorum non est bonitas intenta a Topica, vel Sophistica.

222. Dices 6. Si sufficit ad virtutem intellectualem bonitas actuum elicitorum, etiam ars furandi erit virtus intellectualis: hoc est absurdum: ergo. prob. min. nemo propter virtutem suspenditur: ergo ars furandi non est virtus. Resp. 1. Aristoteles 6. *Topic.* 3. dicit, furem esse bonum, ut Rhetorem bonum: ergo videtur agnoscere, artem furandi, ut artem perorandi, esse virtutem. Resp. 2. dist. maj. ars furandi erit virtus intellectualis, si habeat regulas infallibiles. conc. maj. secus. neg. maj. & sic. dist. min. neg. conseq. ad prob. neg. suppositum, quod aliquis propter artem furandi suspendatur; nam tantum quis suspenditur propter ejus usum moraliter malum: sic ars scribendi est certissime ars, adeoque virtus & tamen multi propter mala scripta puniuntur. Si quis autem sciret optime artem furandi, eam autem non exerceret, non posset puniri: certe Deus sine omni inde-

indecentia scit perfectissime omnes modos furandi: quod autem aliquando aliquæ virtutes intellectuales prohibeantur, ideo fit; quia facile a scientia transitur ad ejus exercitium reipublicæ noxium.

223. Objic. 4. Habitus, & actus specificantur ab objecto: ergo, si objectum est malum, etiam habitus est malus: sed objectum Topicæ, nempe syllogismus probabilis, est malus: ergo etiam ipse habitus est malus. Confir. Medium non est bonum, nisi ratione finis: ergo, si finis non est bonus, neque medium est bonum: sed syllogismus probabilis, qui est finis Topicæ, quæ est medium, non est bonus; nam sæpe est falsus: ergo. Resp. neg. conseq. Argumentum est simile huic: Cognitio specificatur ab objecto: ergo, si objectum est corpus, etiam cognitio est corpus. Scilicet, etsi habitus, & actus specificentur ab objecto, non debent habere omnia prædicata istius; alias fierent idem: quid autem sit specificari ab objecto, non est hic explicandum, sed alibi.

Ad confir. om. ant. (quod negari posset, nam medium desumit suam bonitatem, non tam a fine, quam ab aptitudine ad finem) dist. conseq. si finis non est bonus in ea ratione, ad quam tendit medium. conc. conseq. si tantum non est bonus in alia ratione. neg. conseq. & dist. subsumptum. syllogismus probabilis non est bonus in ratione formæ, vel artefacti, ad quam bonitatem tendit Topica. neg. subsum. non est semper bonus in ratione veritatis, & quidem per accidens respectu Topicæ docentis, quæ non tendit absolute ad veritatem, sed ad legitimam formam, & probabilitatem: insuper non est semper malus, etiam in ratione veritatis, sed sæpius bonus. conc. subsumptum, & neg. conseq.

224. Objic. 5. Si aliqua qualitas, e. g. lumen, disponeret oculum ad visionem, ex qua dein oriretur cæcitas, non esset ea qualitas bona oculo: ergo, si Topica disponit intellectum ad actus elicitos, ex quibus sequuntur actus directi mali, non est bona intellectui. Resp. dist. ant. si ex illa visione oriretur cæcitas per se, & quidem cæcitas habitualis. conc. ant. si tantum oriretur per accidens, & quidem cæcitas aliqua tantum transiens. neg. antec. & conseq. Calor stomachi, & frigus cerebri, sunt bona hominis; licet

licet per accidens ob pugnam contrariorum lente hominem disponant ad mortem; quia bonum, quod per se conferunt homini, est longe majus, quam sit malum, quod per accidens causant.

Sic etiam Topica est bona intellectui; quia per se ex intentione sua causat imprimis formam syllogismi legitimam, & bonam, item probabilitatem sui actus, dein etiam sæpius veritatem: & hanc saltem semper intendit, quamvis ea aliquando per accidens, & raro excidat, & quidem tantum actualiter, non autem habitualiter, aut stabiliter. Quare non est paritas cum visione, quæ stabilem cæcitatem afferret, sed ad summum est paritas cum alia quadam visione, quæ unum objectum clare repræsentaret, sed dein unam, aut alteram visionem impediret, ita tamen, ut postea visus rediret, quod non esset malum æstimabile, præsertim, si illa ipsa res, cujus visio prius impedita fuisset, postea videri posset, ut contingit in veritate, quæ si hodie non invenitur, cras ex melioribus argumentis erui potest.

ARTICULUS V.

An Logica sit Scientia, & Ars.

225. Scientia ab Aristotele varie definitur, aut describitur, & hinc cum aliquæ descriptiones Logicæ non conveniant, quidam auctores negant, eam esse scientiam; unde hæc quæstio plurimum habet de nomine; & juxta varias scientiæ acceptiones est decidenda, adeoque istæ primo in medium afferendæ sunt. Itaque Aristoteles primo accipit scientiam latissime pro quacumque cognitione, etiam non evidente, ut quandoque etiam a vulgo solet accipi: & in hoc sensu *tract. 1. de prædicam. c. 2.* grammaticam, quæ certe nihil demonstrat, vocat scientiam, ajens: *Scientia in subjecto quidem est in anima: de subjecto vero dicitur, ut de grammatica:* id est, ut explicant Conimbricenses *in hunc locum*, scientia prædicatur de grammatica tanquam de inferiori.

226. Secundo accipit Philosophus scientiam pro solis habitibus speculativis, quorum objectum est necessa-

cessarium. Intellige necessarium, non in existendo, qua ratione solus Deus est necessarius: neque etiam tantum necessarium in essendo, sive, ut ei prædicata essentialia necessario conveniant, qua ratione quævis res est necessaria, atque adeo etiam objectum cujuslibet artis: sed necessarium in operando, ita, ut naturaliter res aliter fieri non possit, nec sit libere producta, etiam tantum mediata libertate: & in hoc sensu Aristoteles accipit scientiam 6. *Ethic. 3.* ubi ait: *Quod scimus, non posse aliter se habere existimamus:* & post pauca: *Scibile igitur necessario est: ergo æternum:* dein *cap. 4.* in hoc distinguit artem a scientia, quod objecta artis non sint ita necessaria, ajens: *Neque enim eorum est ars, quæ ex necessitate vel sunt, vel fiunt, neque eorum, quæ sunt secundum naturam.*

Cum igitur etiam objecta artium sint necessaria in essendo, juxta Philosophum hæc necessitas non sufficit pro objecto scientiæ, in hoc secundo sensu acceptæ, sed debet esse major, nempe, ut producatur a causa non libera, nec mediate; quia etiam, quæ producuntur a causa mediate libera, seu subordinata alicui principio immediate libero, non magis necessaria sunt, quam objecta, seu opera multarum artium, quæ applicant activa passivis, a quibus dein necessario agentibus prodit effectus: verbo: Philosophus vult, objectum scientiæ ita acceptæ non debere ulli principio libero quoad suam productionem subjacere, & a scientia tali tantum speculative considerari.

227. Tertio accipit Aristoteles scientiam pro quavis notitia certa, & evidente, per demonstrationem comparata: & sic eam accipit 1. *Poster. 2.* dum ait: *Scire autem arbitramur unumquodque simpliciter, sed non sophistico modo, qui est secundum accidens, cum causam existimamus cognoscere, propter quam res est, quod illius causa est, & non contingere, hoc aliter se habere:* id est: scire (præsertim per demonstrationem *a priori*, sive *propter quid*) est cognoscere causam rei, & per causam rem, ac necessariam utriusque connexionem.

Hinc communiter etiam est recepta definitio scientiæ; quod sit *cognitio evidens rei per causam:* vel etiam *cognitio evidens causæ per rem*, sive effectum: si nem-

si nempe sit demonstratio *a posteriori*, sive *quia*: nisi quis cum De Benedictis *l.4. Log. qu.2. c.1.* velit dicere, quod cognitio rei per causam sit duplex: una, in qua res, quæ assumitur ad aliquid probandum, est causa hujus: quod convenit soli demonstrationi a priori: altera, in qua tantum una notitia est causa alterius notitiæ: quod convenit etiam demonstrationi a posteriori. Et hæc quidem est scientia actualis, seu actus scientificus: habitus vero inclinans ad tales cognitiones, seu actus, est scientia habitualis. Juxta hanc acceptionem dividit Aristoteles 2. *Metaph. tex.* 3. scientiam, in practicam, & speculativam, & 6. *Metaphys. text.* 1. in factivam, & activam. His positis,

228. Dico 1. Logica est scientia in hoc tertio sensu accepta; ita communis: nec facile aliqui Logicam negant esse scientiam, nisi in secundo sensu acceptam, in quo sensu nec nos eam scientiam esse defendimus. Prob. conclusio. Logica est habitus inclinans ad actus scientificos: ergo est scientia, seu habitus scientificus. prob. ant. Logica inclinat ad actus ex principiis certis, & evidentibus, per demonstrationem deductos, seu ad cognitiones evidentes per causam: sed hi actus sunt scientifici: ergo. maj. prob. Logica inclinat ad suas regulas: hæ sunt actus evidentes, non quidem immediate per se nobis noti, sed tamen ex principiis evidentibus deducti, ut patet consideranti Summulas, & magis Organum Aristotelis: ergo. Confirm. In regulis Logicæ fundantur demonstrationes aliarum scientiarum: ergo si illæ regulæ non sunt evidentes, neque erunt istæ demonstrationes: hoc admitti non potest: ergo.

229. Dico 2. Logica etiam est ars, saltem minus stricte dicta, juxta explicationem *num.* 212. datam, ita nostri communiter. Prob. conclusio. *Ars* juxta Aristotelem 6. *Ethic.* 4. est *habitus cum ratione vera effectivus*: hoc est, ut communiter exponunt, est habitus infallibili ratione, seu methodo productivus operationum non moralium: sed talis habitus est Logica: ergo est ars. prob. min. Logica est habitus productivus modorum sciendi, & quidem infallibili methodo, seu per regulas certas, ac demonstratas: atqui modi sciendi sunt operationes non morales, sed intellectuales: ergo.

230. Ob.

230. Ob. 1. contra 1. concluf. Idem non potest simul esse ars, & scientia: sed Logica est ars: ergo non potest esse scientia. prob. ma. membra dividentia debent esse opposita: sed ars, & scientia, sunt membra dividentia virtutis intellectualis: ergo debent esse opposita, consequenter idem non potest esse simul ars, & scientia. Resp. 1. dist. ma. idem non potest simul esse ars, & scientia secundo modo accepta. conc. ma. scientia tertio modo accepta. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq. ad prob. om. ma. dist. mi. ars, & scientia secundo modo accepta, sunt membra dividentia. conc. mi. scientia tertio modo accepta. neg. mi. & conseq.

Aristoteles 6. *Ethic.* 3. in ea divisione artis, scientiæ, & prudentiæ accipit scientiam secundo modo, ut jam notavimus *num.* 226. Respondent alii 2. neg. ma. ad probat. dist. ma. membra dividentia debent esse opposita præcisive. conc. ma. exclusive. neg. ma. & conc. mi. sub priori distinctione conc. vel neg. conseq. Exclusive opponuntur, quæ se mutuo excludunt: at vero præcisive, quæ ita se habent, ut neutrum per se ex conceptu suo includat alterum: & sic opponuntur scientia, & ars.

231. Ob. 2. Est effatum Aristotelis 2. *Metaph.* 3. *Absurdum est, simul scientiam, & modum scientiæ quærere*: ergo scientia, & modus sciendi non sunt idem: sed Logica est modus sciendi: ergo non est scientia. Resp. dist. conseq. scientia, & nullus modus sciendi sunt idem. neg. conseq. scientia, & aliquis modus sciendi, de quo ibi agit Aristoteles. conc. conseq. & dist. subsumptum. Logica est modus sciendi talis, de quale ibi agit Aristoteles. neg. subsumptum. est alius modus sciendi. conc. subsumptum. & neg. conseq.

Aristoteles *loco citato* non intelligit per modum sciendi cognitionem aliquam, seu manifestationem ignoti per notius, vel habitum ad tales cognitiones inclinantem, ut *ex num.* 56. communiter solet intelligi: sed potius intelligit argumenta, seu probationes, quæ adhiberi debeant; nam ait, aliquos nolle admittere, *nisi mathematice loquentes*, hoc est, afferentes argumenta mathematice certa, vel ex Matheſi petita; alios nolle argumenta, nisi ab exem-

plis petita : alios non nisi a testimoniis Poetarum accepta : e contra alios nolle argumenta certa ; eo quod non facile ea consequi possint ; unde ait, primo statuendum modum scientiæ, hoc est, quibus argumentis utendum : sed hæc non impediunt, quo minus modus sciendi alius, qualem Logicam esse diximus, possit simul esse scientia.

232. Ob. 3. Objectum scientiæ non sunt singularia : objectum Logicæ sunt singularia : ergo Logica non est scientia. 1. p. ant. constat ex axiomate Philosophico : *Scientia non agunt de singularibus.* 2. p. ant. patet ex eo, quod Logica producat operationes singulares, definitiones, argumentationes &c. ergo . Resp. dist. 1. p. ant. objectum scientiæ non sunt singularia singulariter considerata . conc. ant. universaliter considerata . neg. ant. & dist. etiam 2. p. objectum Logicæ sunt singularia universaliter considerata . conc. ant. singulariter considerata . neg. ant. & consequ.

Ad prob. concedo, quod Logica producat operationes singulares : attamen producit eas per regulas universales, & universaliter de operationibus logicis loquentes : non enim dicit regula : *Hic syllogismus debet habere tres terminos &c.* sed dicit : *Omnis syllogismus &c.* Aliud est, quod hæ regulæ universaliter loquentes dein in particulari syllogismis singularibus applicentur.

233. Ob. 4. Logica est instrumentum scientiarum : ergo non est scientia . prob. conseq. malleus, qui est instrumentum fabri, non est faber : ergo Logica, quæ est instrumentum scientiarum, non est scientia. Resp. neg. conseq. ad prob. neg. iterum conseq. Inductio est manca ; licet enim aliqua instrumenta non sint similia iis, quorum sunt instrumenta, tamen alia instrumenta ipsis similia sunt. Sic sæpe homo est instrumentum alterius hominis, qui per priorem aliquid exequitur : item ars pharmacopœa, & frænofactoria, sunt instrumentum artis medicæ, & equestris, licet utraque sit ars . Si fors dicas, has artes non esse instrumenta aliarum artium, sed tantum conficere earum instrumenta, respondeo, etiam Logicam non alia ratione esse instrumentum aliarum scientiarum, nisi quatenus in earum gratiam producit modos, seu instrumenta sciendi.

234. Ob.

234. Ob. 5. Juxta nos etiam artes mechanicæ essent scientiæ : hoc est absurdum : ergo. prob. ma. etiam demonstrant suas regulas : sed hoc juxta nos sufficit ad scientiam : ergo . ma. prob. Aristoteles 1. *Metaphys.* 1. inter veros artifices, & puros empiricos, seu sola experientia præditos, ponit discrimen his verbis : *Illi quidem sciunt causam, hi vero minime :* ergo . Resp. neg. ma. ad prob. neg. ma. ad hujus prob. neg. conseq. Verbum *sciunt* ibi sumitur latissime in primo sensu, explicato *num.* 225. neque enim sutores, aut sartores, suis tyronibus regulas per demonstrationes proponunt reducendo eas ad prima principia, sed tantum dicunt, hoc ita, illud aliter faciendum : & tyrones credunt . Si quis autem regulas demonstraret, id non faceret ut mechanicus artifex, sed ut aliunde scientificus, & sæpius ut peritus Mathematices.

235. Ob. 6. contra 2. conclus. Logica est scientia : ergo non est ars . prob. conseq. objectum scientiæ est necessarium : & objectum artis non est necessarium : ergo non potest idem habitus esse ars, & scientia ; alias haberet, & non haberet objectum necessarium. Confirm. Scientia versatur circa universalia : ars versatur circa singularia : ergo non potest idem habitus esse scientia, & ars : ergo nec Logica . Resp. dist. ant. Logica est scientia secundo modo accepta . neg. ant. tertio modo accepta . conc. ant. & neg. conseq. ad prob. dist. ant. objectum scientiæ secundo modo acceptæ debet esse necessarium aliquo modo, quo modo non debet esse necessarium objectum artis. conc. ant. objectum scientiæ tertio modo acceptæ . neg. ant. & conseq. videantur dicta *num.* 226. *& seq.* Ad confirm. dist. 2. p. ant. Ars versatur circa singularia, ea singulariter producendo . conc. ant. ea singulariter considerando . neg. ant. & conseq. vide dicta *num.* 232.

ARTICULUS VI.

Quid sit Cognitio Practica.

236. Antequam decidatur, an Logica sit practica, an speculativa, decidendum est, quid

requiratur ad cognitionem practicam, a qua elicita possit habitus dici practicus. Communiter quidem dicitur esse *cognitio practica, cujus finis est opus*, seu quæ per se dirigit ad effectionem operis: e contra *cognitio speculativa, cujus finis est veritas*: seu quæ quiescit in veritate cognita, nec per se dirigit ad opus. Sed lis est de nomine, præsertim cum Scotistis, quid nempe intelligatur nomine *operis*, vel, ut ex græco dicitur, *praxis*. Equidem hæc vox *actionem* significat, eamque Aristoteles contraponit sæpe *factioni*, de quibus *num.* 213. At certe etiam hæc vox, saltem latius sumpta, factionem aliquando significare debet; cum etiam artes factivæ, e. g. pictoria, architectonica, juxta omnes sint practicæ: sed de hoc non hic quæritur.

237. Quæstio hic est, quid sit *praxis*, sive, an per praxin intelligatur actio, vel operatio quæcumque, sive sit actus intellectus, sive alterius potentiæ, vel, an actus intellectus excludatur ab hac appellatione. Hoc secundum dicitur tenere Scotus, licet Mastrius *disp.* 12. *Log. qu.* 5. *a.* 1. *num.* 106. velit, subtilem Doctorem non esse intelligendum de actu intellectus, a voluntate imperato. Consentiunt plerique Scotistæ, & non pauci etiam alii. De mente S. Thomæ ajunt Conimbricenses *quæst. proœm.* 4. *a.* 5. non constare, E contra prius, seu etiam actum intellectus posse esse praxin, cum Suarezio *tom.* 2. *Metaph. disp.* 44. *sec.* 13. *num.* 26. Vasquezio *tom.* 1. *in* 1. *p. disp.* 8. *c.* 4. & 5. Conimbricensibus *quæst. proœm.* 4. *a.* 5. tenent communissime nostri, atque etiam communiter alii, adeo, ut Semeri *dispur.* 1. *Logic. qu.* 5. *a.* 1. dicat, oppositam Scoti sententiam habere infinitos adversarios, inter quos velit etiam ipse esse.

238. Dico 1. Cognitio practica est illa, quæ dirigit ad opus, seu ad operationem, sive intellectus, sive alterius potentiæ. Prob. conclus. Cognitio, quæ dirigit ad opus, etiam intellectus, non sistit in cognitione, vel contemplatione objecti, nec ejus finis est sola veritas, sed opus: ergo non est speculativa: ergo practica. ant. patet. conseq. 1. prob. ex Aristotele, qui 2. *Metaphys.* 1. sic ait: *Speculativæ scientiæ etenim finis veritas: practicæ autem opus*. prob. etiam

etiam 2. conseq. ex eo, quod non dentur cognitiones humanæ, mediæ inter speculativas, & practicas. Confirm. 1. Actus a prudentia imperatus est praxis; nam prudentia est innegabiliter practica: sed actus hic sæpe est actus intellectus, e. g. actus fidei, vel bona existimatio de proximo &c. ergo actus etiam intellectus est praxis: ergo cognitio ad eum tanquam ad opus dirigens, est practica.

Confir. 2. præcipue contra Mastrium. Actus intellectus imperatus ab actu voluntatis est praxis, ut fatetur Mastrius, citatus *n.* 237. ergo etiam non imperatus, sed directus ab alia prævia cognitione. prob. conseq. talis actus imperatus non est minus actus intellectus, quam alius non imperatus, nec intellectus ad illum magis extenditur, quam ad alium: ergo. Quod enim Mastrius ait, intellectum, ut vocat, imperatum, seu voluntatis imperio determinatum, distingui ab intellectu non imperato, & actum intellectus imperati non esse actum intellectus, sed voluntatis, est gratis dictum: & eodem jure dici poterit, intellectum tendentem ad opus distingui ab intellectu quiescente in sola cognitione veritatis.

239. Dico 2. Cognitio practica debet dirigere ad opus factibile ab habente eam cognitionem. ita teste Arriaga *disp.* 1. *Log. sec.* 4. *n.* 52. communis omnium: & prob. Imprimis opus tale, seu praxis, debet esse aliquid absolute factibile, seu possibile; nam non datur cognitio ad faciendam Chimæram: & si quis putaret, se habere hac de re cognitionem practicam, & ea motus adhiberet etiam media putatitia ad producendam Chimæram, deciperetur, & haberet tantum cognitionem speculativam falsam. Dixi, opus debere esse factibile; non enim requiritur, ut opus fiat in actu secundo, seu, ut habeatur intentio illud faciendi; nam sine his tamen cognitio erit practica in actu primo: si autem ipsa executio operis accedat, erit practica in actu secundo.

Ulterius debet opus illud etiam esse aliquo modo factibile ab habente cognitionem; nam cognitio practica debet esse principium agendi: sed nequit esse tale, nisi respectu habentis ipsam: ergo. prob. mi. cognitio talis est principium agendi eatenus, quatenus dirigit repræsentando objectum factibile,

requiratur ad cognitionem practicam, a qua elicita possit habitus dici practicus. Communiter quidem dicitur esse *cognitio practica, cujus finis est opus*, seu quæ per se dirigit ad effectionem operis: e contra *cognitio speculativa, cujus finis est veritas*: seu quæ quiescit in veritate cognita, nec per se dirigit ad opus. Sed lis est de nomine, præsertim cum Scotistis, quid nempe intelligatur nomine *operis*, vel, ut ex græco dicitur, *praxis*. Equidem hæc vox *actionem* significat, eamque Aristoteles contraponit sæpe *factioni*, de quibus *num.* 213. At certe etiam hæc vox, saltem latius sumpta, factionem aliquando significare debet; cum etiam artes factivæ, e. g. pictoria, architectonica, juxta omnes sint practicæ: sed de hoc non hic quæritur.

237. Quæstio hic est, quid sit *praxis*, sive, an per praxin intelligatur actio, vel operatio quæcumque, sive sit actus intellectus, sive alterius potentiæ, vel, an actus intellectus excludatur ab hac appellatione. Hoc secundum dicitur tenere Scotus, licet Mastrius *disp.* 12. *Log. qu.* 5. *a.* 1. *num.* 106. velit, subtilem Doctorem non esse intelligendum de actu intellectus, a voluntate imperato. Consentiunt plerique Scotistæ, & non pauci etiam alii. De mente S. Thomæ ajunt Conimbricenses *quæst. proœm.* 4. *a.* 5. non constare, E contra prius, seu etiam actum intellectus posse esse praxin, cum Suarezio *tom.* 2. *Metaph. disp.* 44. *sec.* 13. *num.* 26. Vasquezio *tom.* 1. *in* 1. *p. disp.* 8. *c.* 4. & 5. Conimbricensibus *quæst. proœm.* 4. *a.* 5. tenent communissime nostri, atque etiam communiter alii, adeo, ut Semeri *dispur.* 1. *Logic. qu.* 5. *a.* 1. dicat, oppositam Scoti sententiam habere infinitos adversarios, inter quos velit etiam ipse esse.

238. Dico 1. Cognitio practica est illa, quæ dirigit ad opus, seu ad operationem, sive intellectus, sive alterius potentiæ. Prob. conclus. Cognitio, quæ dirigit ad opus, etiam intellectus, non sistit in cognitione, vel contemplatione objecti, nec ejus finis est sola veritas, sed opus: ergo non est speculativa: ergo practica. ant. patet. conseq. 1. prob. ex Aristotele, qui 2. *Metaphys.* 1. sic ait: *Speculativæ scientiæ etenim finis veritas: practicæ autem opus*. prob. etiam

etiam 2. conseq. ex eo, quod non dentur cognitiones humanæ, mediæ inter speculativas, & practicas. Confirm. 1. Actus a prudentia imperatus est praxis; nam prudentia est innegabiliter practica: sed actus hic sæpe est actus intellectus, e. g. actus fidei, vel bona existimatio de proximo &c. ergo actus etiam intellectus est praxis: ergo cognitio ad eum tanquam ad opus dirigens, est practica.

Confir. 2. præcipue contra Mastrium. Actus intellectus imperatus ab actu voluntatis est praxis, ut fatetur Mastrius, citatus *n.* 237. ergo etiam non imperatus, sed directus ab alia prævia cognitione. prob. conseq. talis actus imperatus non est minus actus intellectus, quam alius non imperatus, nec intellectus ad illum magis extenditur, quam ad alium: ergo. Quod enim Mastrius ait, intellectum, ut vocat, imperatum, seu voluntatis imperio determinatum, distingui ab intellectu non imperato, & actum intellectus imperati non esse actum intellectus, sed voluntatis, est gratis dictum: & eodem jure dici poterit, intellectum tendentem ad opus distingui ab intellectu quiescente in sola cognitione veritatis.

239. Dico 2. Cognitio practica debet dirigere ad opus factibile ab habente eam cognitionem. ita teste Arriaga *disp.* 1. *Log. sec.* 4. *n.* 52. communis omnium: & prob. Imprimis opus tale, seu praxis, debet esse aliquid absolute factibile, seu possibile; nam non datur cognitio ad faciendam Chimæram: & si quis putaret, se habere hac de re cognitionem practicam, & ea motus adhiberet etiam media putatitia ad producendam Chimæram, deciperetur, & haberet tantum cognitionem speculativam falsam. Dixi, opus debere esse factibile; non enim requiritur, ut opus fiat in actu secundo, seu, ut habeatur intentio illud faciendi; nam sine his tamen cognitio erit practica in actu primo: si autem ipsa executio operis accedat, erit practica in actu secundo.

Ulterius debet opus illud etiam esse aliquo modo factibile ab habente cognitionem; nam cognitio practica debet esse principium agendi: sed nequit esse tale, nisi respectu habentis ipsam: ergo. prob. mi. cognitio talis est principium agendi eatenus, quatenus dirigit repræsentando objectum factibile,

& modum istud faciendi: sed sic non potest dirigere, nisi illum, qui eam habet; ergo. Confir. Nemo censet, cognitionem, quam habet aliqua creatura de productione prima sui ipsius, esse practicam; quia, licet sit de objecto a Deo factibili, non est tamen de objecto factibili ab ipsa illa creatura: ergo.

An autem objectum, seu opus, debeat esse immediate factibile ab habente cognitionem, an tantum mediate, e. g. an, si eques bene sciat regere equum, non tantum directio equi, sed etiam motus ipsius, sit praxis respectu equitis, lis est inter auctores. Negat Comptonus *disput.* 10. *Log. sec.* 2. affirmat de Benedictis *tom.* 1. *qu. proœm. c.* 4. *§.* 1. Non autem in ordine ad Logicam necessum est, hac de re pluribus disputare.

240. Dico 3. Cognitio practica tamen non debet dirigere ad opus factibile potentia proxima: sed sufficit, si sit factibile potentia remota: ita communis. Prob. Communiter judicatur, quod podagricus habeat cognitionem practicam de saltu, licet per accidens sit suo morbo impeditus, ne saltet: & idem est judicium commune de cytharædo chyragra impedito. Si autem non adsit potentia remota naturalis, sed tantum quis possit eam recipere, e. g. si homo, habens cognitionem de modo producendi leonem, possit tantum elevari supernaturaliter ratione potentiæ obedientialis ad eum producendum, non conveniunt auctores, an talis cognitio sit practica.

Negat Arriaga *disp.* 1. *Log. sec.* 4. *num.* 52. sed sic debet etiam negare, quod homo habeat ullam cognitionem practicam de eliciendis actibus supernaturalibus, quod non videtur dicendum. Neque sufficit responsio Arriagæ *cit. sec. n.* 53. nempe, hos actus per se exigere fieri ab homine; nam, etsi actus exigant fieri ab homine, tamen homo non exigit eos facere; dein actio quoque modalis productiva qualiscumque effectus, ad quem producendum homo elevaretur, semper etiam exigeret essentialiter fieri ab homine. Quod addit, scilicet, eam cognitionem practicam de actu supernaturali, seu dictamen prudentiæ supernaturalis, jam supponere hominem elevatum, coincidit cum Comptono, de quo mox dicemus.

mus. E contra alii admittunt, ac ajunt, Archimedis cognitionem, de movendo globo terraqueo, probabiliter fuisse practicam. Comptonus *disp.* 10. *Log. sec.* 3. docet, talem cognitionem fore practicam tunc, quando data fuerit potentia ad opus; prius vero fore tantum speculativam: adeoque necessario concedit, cognitionem speculativam in casibus etiam possibilibus, imo naturalibus, posse fieri practicam, & viciſſim: quod utique in dubium trahi potest.

241. Dico 4. Cognitionis practicæ opus debet esse ejus effectus, & non tantum quomodocumque occasione ipsius fieri. Ita communiter auctores: & Mastrius *disp.* 12. *Logic. q.* 5. *a.* 2. *n.* 116. ait, Scoto male oppositum attribui. Prob. Si sufficeret ad cognitionem practicam, quod ad eam sequeretur quomodocumque aliquod opus, etsi ipsa nec directive istud produceret, tunc omnis cognitio esset practica; quia nulla est, quam non per accidens possit sequi aliquis amor, vel odium &c. hoc autem est absurdum: ergo. Quin etiam non sufficit, quod opus tantum sit objectum cognitionis, sed debet dependenter ab ea fieri; nam nemo dicit, quod Medicus habeat cognitionem practicam de sua, vel alterius hominis nutritione, licet hæc sit objectum ejus cognitionis; quia scilicet cognitio in eam non influit. Confirm. Juxta communem cognitio practica debet habere specialem modum tendendi in opus, repræsentando illud factibile, dependenter a sua directione, seu ostensione modi id faciendi, sive etiam ostensione bonitatis, vel utilitatis, in productione operis, ut scilicet, vel moraliter, vel exemplariter, aut idealiter influat (nam de physico influxu, a quo non necessario sumitur ratio practici, esset multa disputatio, & hinc ab eo abstrahitur) ergo opus debet esse ejus cognitionis effectus. Ex quo infer, regulas artium esse practicas, dum ostendunt modum faciendi artefactum: dictamina vero prudentiæ esse practica, dum ostendunt, bonum esse, ut res fiat. Et quidem hæc dictamina, quia descendunt ad particularia, ad quæ regulæ loquentes tantum in genere non descendunt, sunt aliquo modo magis complete practica, quam sint regulæ artium.

242. Dico 5. Cognitio practica non exigit subje-

ctum capax erroris, quod dirigat. ita Arriaga *disp.* 1. *Log. sec.* 4. *n.* 54. Hurtadus *de anima disp.* 9. *sect.* 2. §. 12. & alii. Prob. Scientia simplicis intelligentiæ in Deo juxta communem Theologorum est practica, & tamen non est in subjecto capaci erroris: item Christus Dominus habuit plures cognitiones practicas, & tamen etiam ipse non fuit capax erroris: ergo. Alia quæstio est, an cognitio practice debeat dirigere ad opus liberum. Negat hoc Arriaga *loc. modo cit.* quia (ut ait) modo cognitio dirigat ad opus, sive hoc sit liberum, sive necessarium, jam ipsi convenit definitio cognitionis practicæ.

Et quidem non video, quare talis cognitio non possit dici practica, seu elicita a scientia practica: at vix poterit dici elicita ab arte; quia objectum artis pluribus videtur non posse esse ita necessarium, ut neque sit mediate liberum; alias ars esset etiam scientia secundo modo accepta. vide dicta *n.* 226. & 235. Hic tamen ex occasione mentionis factæ de libertate, noto, actus brutorum non esse respectu ipsorum practicos, aut praxes; nam licet praxis non debeat esse libera, tamen debet esse directa a cognitione rationali; quia juxta omnes practicum, & speculativum, non datur, nisi in intellectu. Adde, quod bruta non agant propter finem, adeoque opus eorum non possit esse finis cognitionum materialium, quas bruta habent, consequenter neque praxis. vide Arriagam *disp.* 1. *Log. sec.* 4. *num.* 57. Licet autem tales actus non sint practici respectu brutorum, tamen juxta de Benedictis, citatum *num.* 239. possunt esse practici respectu hominum bruta instruentium, vel dirigentium.

ARTICULUS VII.

Solvuntur Objectiones.

243. OB. 1. contra 1. concluſ. Juxta Aristotelem 3. *de Anima text.* 49. vel juxta aliam versionem *text.* 50. *Intellectus extensione fit practicus*: sed non datur extensio intellectus, nisi hic se extendat ad actus aliarum potentiarum: ergo non fit practicus per suas proprias actiones, adeoque actus intellectus non sunt praxes. Resp. omma. neg. mi. Omisi majorem; quia hæc verba *loco citato* non habentur, sed tantum ista: *Intellectus autem, qui propter aliquid ratiocinatur, & qui activus est*: quæ verba Aristotelis paulo aliter refert Suarez *tom.* 2. *Metaph. disp.* 44. *sec.* 13. *n.* 21. & videtur omittere, ea prioribus, ab adversa parte adductis, aliquo modo æquivalere. Sed hoc, ut dixi, omisso, neg. mi. potest enim intellectus se extendere ab uno actu ad alium, scilicet a cognitione practica, seu regula dirigente, ad aliam cognitionem directam. Et quæso, cum voluntas, & intellectus, sint realiter idem, cur intellectus se extendat dirigendo ad volitionem, & non dirigendo ad cognitionem? imo cur se extendat ad actum imperatum a voluntate, hoc est, realiter a seipso, & non se extendat ad actum non imperatum? vide dicta *n.* 238. Si velis appellare ad auctoritatem, repono, jam *n.* 237. parem saltem oppositam esse.

244. Ob. 2. ex Scoto. Omnis cognitio est speculatio: ergo non est praxis: ergo non datur cognitio practica circa cognitionem, seu actum intellectus. Confir. S. Thomas 1. 2. *q.* 57. *a.* 1. ait: *Operativum*, seu practicum, *quod dividitur contra speculativum, sumitur ab opere exteriori*: sed operatio intellectus non est opus exterius: ergo non est praxis, adeoque nec cognitio ad eam dirigens est practica. Resp. dist. ant. est pura speculatio, seu tantummodo repræsentatio sui objecti. neg. ant. est non pura speculatio. om. ant. & neg. conseq. utique enim cognitio dirigens architectum ad struendam domum non est pura speculatio, sed etiam est practica: dein omnis cognitio speculativa, sed directa ab aliqua practica, est simul praxis, & speculatio.

Ad confir. neg. mi. Ut recte ait Arriaga *disp.* 1. *Log. sec.* 4. *n.* 50. S. Thomæ verba non possunt stricte sumi, ut sonant; alias nec actus voluntatis essent praxis; quia stricte loquendo sunt actus interni, & non externi, adeoque opus interius; unde per actum exteriorem, seu opus exterius; intelligit S. Doctor tantum opus, seu actum, ab actu practico distinctum, ad quale opus non dicit ordinem cognitio pure speculativa.

245. Ob. 3. contra 2. concluſ. Viſio, vel cognitio beatifica eſt practica: & tamen ejus objectum non eſt factibile ab habente eam cognitionem: ergo concluſio ſecunda non ſubſiſtit. Confir. Si omnes ſyllogiſmi fierent impoſſibiles, tunc regulæ tamen manerent tales, quales nunc ſunt: atqui nunc ſunt practicæ: ergo manerent etiam tunc practicæ: ſed earum objectum tunc non eſſet factibile: ergo. Reſp. diſt. 1. p. ant. Viſio beatifica eſt practica reſpectu Dei. neg. ant. reſpectu amoris Dei, vel alterius actus ad quem dirigit. conc. ant. & diſt. etiam. 2. p. objectum ejus primarium, ſeu Deus, non eſt factibile. conc. ant. objectum ſecundarium, ſive amor Dei, vel alius actus, ad quem viſio dirigit, non eſt factibile. neg. ant. & conſeq. Ad confir. neg. ma. vel enim tunc etiam ipſæ regulæ fierent impoſſibiles: vel certe in tali caſu impoſſibili fierent ſpeculativæ.

246. Ob. 4. contra 5. concluſ. Otioſa eſt directio, ubi nullum eſt periculum erroris: ergo non datur cognitio practica in ſubjecto incapaci erroris. Reſp. neg. ant. Directio datur, vel ut caveatur error: vel ut potentia illuminetur, aut etiam determinetur. Aliqui hic, ut probent, praxin debere eſſe operationem liberam, aſſerunt illud Ariſtotelis 6. *Metaph. text.* 1. *Idem enim agibile, & eligibile*: ſed quia nos abſtrahimus, an praxis debeat eſſe libera, an non, non debemus de ſolutione eſſe ſoliciti. Solum dico, ibi per *agibile* non intelligi practicum generice ſumptum, ſed ſpecifice ſumptum, quod ſcilicet ſpectat ad ſcientias, vel artes activas, & maxime ad prudentiam; nam ibi Ariſtoteles opponit agibile factibili, & habitus activos factivis: eſt autem innegabile, habitus etiam factivos, e. g. pictoriam, vel architectonicam, eſſe practicos; quare Ariſtoteles ibi per agibile non intelligit qualecumque practicum, ſed ſpeciale.

ARTICULUS VIII.

An Logica ſit Practica.

247. Dico. Logica eſt ſimpliciter practica: ita communius noſtri, quibus conſentiunt plures

res alii. Prob. Ille habitus eſt ſimpliciter practicus, cujus primarius, & præcipuus finis eſt opus: atqui Logicæ finis primarius, & præcipuus eſt opus: ergo Logica eſt habitus ſimpliciter practicus. ma. habetur ex dictis *a n.* 236. mi. prob. Logica, ſi non unice, certe primario eſt inventa in hunc finem, ut aliis ſcientiis efficiat modos ſciendi, atque adeo ſit earum inſtrumentum: ergo habet pro fine opus, ſeu ipſos modos ſciendi efficiendos. Confir. Ex regulis Logicæ vel obiter conſideratis patet, eas omnes dirigere ad effectionem, vel definitionis, vel diviſionis, vel ſyllogiſmi: ergo habent pro fine opus.

248. Ob. 1. Ille habitus eſt ſpeculativus, cujus finis eſt veritas: ergo Logica eſt ſpeculativa. prob. mi. Logicæ finis ſunt ſyllogiſmi, definitiones &c. ſed hi actus ſunt cognitiones ſpeculativæ, ſeu aliqua veritas: ergo. Reſp. diſt. ma. ille habitus eſt ſpeculativus, cujus finis eſt veritas actuum elicitorum, ita ut in hac ſtatim quieſcat. conc. ma. cujus finis eſt veritas actuum directorum. neg. ma. & diſt. ſic mi. neg. conſeq. ad prob. diſt. mi. & ii actus ſunt actus directi Logicæ. conc. mi. ſunt actus eliciti. neg. mi. & conſeq.

Habitus ſpeculativus habet actus elicitos, qui ſunt veri, & non ultra tendunt: & in ipſis habitus ſpeculativus quieſcit: at habitus practicus habet actus elicitos, qui quidem etiam ſunt veri, ſed tamen ulterius tendunt ad effectionem alicujus operis, & habitus in iis actibus elicitis non quieſcit, ſed per eos ulterius ad opus tendit: & ſic Logica per ſuas regulas tendit ad confectionem ſyllogiſmorum, definitionum, &c.

249. Ob. 2. Talis eſt Logica, quales ſunt ipſius actus: ſed iſti ſunt ſpeculativi: ergo etiam ipſa eſt ſpeculativa. mi. prob. actus plurimi, quibus Logica conſiderat ſuas, vel ſui objecti proprietates &c. ſunt ſpeculativi: ergo. Reſp. diſt. ma. Talis eſt Logica, quales ſunt actus ejus primarii. conc. ma. quales ſunt actus tantum ſecundarii. neg. ma. & ſic diſt. mi. neg. conſeq. ad prob. diſt. ant. & illi ſunt actus primarii. neg. ant. ſunt tantum actus ſecundarii. conc. ant. & neg. conſeq. Etiam medicina e. g. habet multos actus ſpeculativos, de numero oſſium

corporis, de plexu partium, de nutritione &c. quia tamen actus ejus primarii, id est, in medicina maxime considerabiles, & ob quos primario fuit inventa, sunt practici, etiam ipsa dicitur simpliciter practica : & par est ratio de aliis habitibus practicis, atque etiam de Logica.

250. Dices. *Denominatio fit a potiori :* sed plures actus Logicæ sunt speculativi; ergo ipsa ab his debet denominari speculativa. Resp. neg. ma. Illud axioma sæpe fallit : sic e. g. in homine duæ partes, & quidem principaliores, nempe anima, & materia prima, sunt incorruptibiles, & tamen homo non dicitur incorruptibilis : e contra a sola unione corruptibili dicitur corruptibilis : & a sola anima rationali dicitur rationalis. Potest quidem admitti in quibusdam formis materialibus accidentalibus, e. g. calore, albedine, quod subjectum denominetur calidum, vel album, a prævalente calore, vel albedine, seu a potiori, sed id non fit universaliter.

251. Regula autem circa denominationes non videtur tradi posse melior, quam hæc. Inquirenda est definitio denominationis, & tum videndum, an ea definitio conveniat rei denominandæ, an non : sic e. g. spirituale definitur ens non quantitativum, sive non habens connexionem cum quantitate : hæc definitio cum non conveniat toti homini, licet conveniat principali ejus parti, seu animæ, homo non potest denominari spiritualis : item incorruptibile definitur, quod non potest destrui manente subjecto : hoc cum non conveniat toti homini (nam hic destruitur destructa sola unione, & quidem ita, ut maneat subjectum, scilicet materia prima) non potest homo dici incorruptibilis, licet duæ ejus partes, nempe anima, & materia, sint incorruptibiles. E contra corruptibile definitur, quod potest destrui manente ejus subjecto; hinc, cum homo utique destruatur per mortem, manente ejus subjecto, nempe materia prima, vel corpore, totus homo dicitur corruptibilis, licet sola unio per mortem ex homine destruatur, & esse desinat.

252. Jam vero practicum dicitur, cujus finis est opus : quod cum conveniat toti Logicæ, præsertim ratione actuum primariorum *ex n.* 247. & 249. merito

rito denominatur practica : quamvis forte plures actus essent speculativi, quod tamen probari non potest; quia imprimis multa, quæ in Logica speculative traduntur, non spectant ad Logicam : alii actus, qui prima fronte videntur speculativi, reipsa sunt practici : alii autem actus practici spectantes ad Logicam, non traduntur, e. g. de inventione medii (vide *n.* 178.) ne obruatur memoria. Nec hic etiam objiciatur, quod actus speculativi sint nobiliores, quam practici; nam, quamvis forte sub aliqua ratione abstracta sint aliquando nobiliores, non sunt nobiliores in ea ratione, quæ servit ad finem Logicæ. Poterit tamen ob tales actus Logica dici secundum quid speculativa.

253. Ob. 3. Idem est finis instrumenti, & habitus, cujus est instrumentum : sed Logica est instrumentum aliarum scientiarum : ergo idem est finis Logicæ, & aliarum scientiarum : sed istarum finis est veritas : ergo etiam finis Logicæ est veritas, & ipsa consequenter est speculativa. Resp. dist. ma. idem est finis instrumenti, & habitus, semper eodem modo. neg. ma. est finis, sed non semper eodem modo. conc. ma. & conc. mi. sub eadem distinct. conc. vel neg. conseq. dein omisso subsumpto neg. iterum conseq. Eadem veritas, seu idem actus verus, e. g. syllogismus, est finis Logicæ tanquam opus directum, & est finis Physicæ (cujus Logica est instrumentum) non tanquam opus directum, sed tanquam speculatio immediate elicita : item respectu Logicæ est praxis, respectu Physicæ est speculatio. Omisi subsumptum; quia non omnium scientiarum, quarum Logica est instrumentum, finis est veritas : sic e. g. Ethicæ, utpote juxta omnes practicæ, finis est opus.

254. Ob. 4. Logica est scientia ratione suarum demonstrationum : sed istæ non sunt practicæ : ergo neque Logica est scientia practica. Resp. neg. mi. Demonstrationes Logicæ docentis sunt practicæ : & quamvis non omnes præmissæ semper sint practicæ, tamen conclusio est practica, in qua tamen conclusione præcipue consistit ratio actus scientifici : interim tamen sæpe etiam ipsæ præmissæ omnes sunt practicæ, e. g. in hoc syllogismo : *Tot debent poni termini in syllogismo, quot sunt utiles ad identita-*

titatem, vel distinctionem in tertio : sed ad hanc sunt utiles tres : ergo tres debent poni.

255. Ob. 5. Objectum habitus practici debet esse factibile : objectum Logicæ non est factibile : ergo. prob. mi. objectum Logicæ sunt omnes syllogismi syncategorematice infiniti : sed isti non sunt factibiles : ergo. Resp. 1. retorquendo argumentum in omnibus etiam mechanicis artibus ; nam etiam sutor non potest facere omnes calceos. Resp. 2. neg. mi. ad prob. dist. ma. objectum Logicæ sunt omnes syllogismi secundum rationem specificam. conc. ma. secundum rationem individualem, in qua sunt infiniti. neg. ma. & dist. proportionaliter mi. neg. conseq. Scientiæ non agunt de singularibus, nisi sub ratione universali ; unde nec Logica agit de syllogismis singulariter, sed secundum rationem specificam consideratis, sub qua non sunt infiniti ; cum species syllogismorum categoricorum sint tantum novemdecim, species autem non categoricorum sint adhuc pauciores, quos omnes potest Logicus facere : certe omnes possunt a Logica doceri.

ARTICULUS IX.

An, & quomodo Logica sit necessaria ad alias Scientias.

256. NOn est hic quæstio de necessitate absoluta in existendo, quæ soli Deo competit : nec de necessitate suo modo absoluta in essendo, qua prædicata essentialia inter se connexa sunt, ut animal, & rationale in homine : sed de necessitate ex aliqua suppositione, e. g. quod aliquis aliquem finem intendat. Hanc necessitatem antiquiores dividebant in *necessitatem simpliciter talem*, & *necessitatem secundum quid*. Prior, seu *necessitas simpliciter talis* dicebatur dari, quando res, seu finis non poterat obtineri sine illa re, quæ dicebatur necessaria. Altera, seu *necessitas secundum quid*, dicebatur dari, quando finis quidem poterat obtineri sine illa re, quæ dicebatur necessaria, sed tamen melius, & facilius obtinebatur per eam rem : e g. potest ab homine firmis, & sanis viribus, iter fieri pedibus, sed melius, & facilius fit equo : quod est exemplum S. Thomæ *3. p. q. 1. a. 2. in corp.*

257. Hanc

257. Hanc necessitatem *secundum quid* recentiores modo frequentius vocant necessitatem *ad melius esse*. Illam vero necessitatem simpliciter talem dividunt *in metaphysicam*, *physicam*, & *moralem stricte dictam*. Prior, seu *Necessitas metaphysica* datur, quando finis sine aliqua re nec de absoluta Dei potentia potest obtineri : & talis necessitas est intellectus ad acquirendas scientias ; quia e. g. equus, qui intellectum non habet, nec supernaturaliter potest addiscere Logicam. *Necessitas physica* datur, quando finis posset quidem sine aliqua re supernaturaliter obtineri, non tamen potest obtineri naturaliter : & talis est necessitas cibi ad conservandam vitam hominis ; quia, etsi absolute supernaturaliter Deus possit conservare hominis vitam sine cibo, tamen hoc naturaliter fieri non potest.

Necessitas moralis stricte talis (nam etiam necessitas ad melius esse vocatur aliquando necessitas moralis, sed non est stricte talis) tunc datur, quando finis quidem naturaliter posset sine aliqua re obtineri, sed non nisi per magna cum difficultate, ita, ut valde raro, vel in aliquo sensu morali nunquam, speretur obtinendus. Hæc tamen moralis necessitas non est indivisibilis, sed capit magis, & minus : sive una est major, quam altera ; nec enim tantum illud dicitur moraliter necessarium, sine quo nulla prorsus moralis spes est aliud unquam futurum : sicut e. g. dicitur moraliter necessaria gratia extraordinaria ad diu vitandum omne peccatum veniale ; quia sine hac nulla moralis spes est, illa vitatum iri : vel sicut homini moraliter necessaria est fuga, si eum solum, & inermem plures inimici armati insequuntur ; quia, licet absolute naturaliter posset fieri, ut etiam manens mortem vitaret, tamen in his circumstantiis moraliter id sperari non potest ; istæ enim sunt necessitates morales summæ.

Dantur autem etiam aliæ necessitates morales inferiores ; nam etiam illud simpliciter dicitur moraliter necessarium, sine quo alteram non potest sine valde gravi difficultate obtineri. Certe tam Theologi, quam Canonistæ, sæpe dicunt, aliquid homini esse moraliter impossibile, in quo neutiquam tanta difficultas est, quanta in evitandis cum ordinaria gra-

tia

tia diu omnibus venialibus peccatis : & juxta omnes homini moraliter necessarius est cibus quotidianus ; quia sine hoc vita humana non nisi valde difficulter protrahi potest : quamvis absolute per unum, & alterum diem, sine eo posset servari ; hinc, etsi hæc necessitas moralis non sit summa, est tamen necessitas moralis simpliciter, & stricte dicta : sicut aqua calefacta dicitur stricte, & simpliciter calida, etsi non habeat calorem summe intensum. Quæritur jam, qualis in ordine ad acquirendas alias scientias detur necessitas Logicæ artificialis, seu notitiæ regularum Logicæ ; nam Logicam naturalem (de qua *n.* 197.) physice, vel forte etiam metaphysice, necessariam esse, facile conceditur."

258. Dico 1. Logica non est metaphysice, vel physice necessaria ad quemvis actum scientificum ; ita longe communior. Prob. 1. pars concluf. Non appareret ulla implicantia in eo, quod Deus homini ante Logicam infundat alias scientias, vel actus scientificos : ergo. Prob. 2. p. Actus scientificus est cognitio certa, & evidens per causam, sive per præmissas certas, & evidentes ; sed talis cognitio potest haberi sine Logica : ergo hæc non est necessaria ad talem actum. prob. mi. rusticus potest sine Logica clare, & evidenter scire, ac penetrare istas e. g. præmissas : *Omne malum est fugiendum : sed peccatum est malum :* & si non sit omnino stipes, potest ex iis facile inferre ; *ergo peccatum est fugiendum :* sed hæc est cognitio certa, & evidens per causam : ergo hæc potest sine Logica haberi.

259. Dico 2. Logica non est physice, vel metaphysice necessaria, ad ullum actum scientificum, etiam difficilem ; imo neque ad totales scientias. Ubi tamen nota, nos loqui de ingeniis saltem ordinariis, quæ capere possint Logicam artificialem, quam si capere non possunt, ea ipsis utilis esse non potest : si autem eam, quamvis valde reflexivam, capere possint, etiam absolute, saltem ingenti cum labore, poterunt sine Logica capere alias scientias. Consentiunt nobis Arriaga *disp.* 3. *Log. sec.* 4. Mastrius *quæst. proæm. Log. a.* 6. *n.* 61. Comptonus *disp.* 11. *Log. sec.* 1. & alii communiter. Prob. conclusio, maxime negative ex eo, quod talis necessitas non possit probari.

Pro-

Probant quidam conclusionem etiam positive sic. Ante Logicam ab Aristotele traditam, & ante ipsum Aristotelem, fuere jam Philosophi, de quibus negari non potest, eos habuisse plures actus scientificos, etiam difficiles. Si autem ante Logicam, adeoque sine ista, potuerunt haberi plures actus scientifici difficiles, potuissent etiam haberi scientiæ totales, si cuilibet impensum fuisset conveniens, & totum naturaliter possibile studium ; cum tali studio non augeatur, sed potius minuatur difficultas, & intellectus studio, vel intelligentia unius materiæ, etiam successive fiat magis dispositus, ad penetrandas alias veritates, etiam disparatas : certe ante Aristotelem jam fuere aliquæ scientiæ totales, præsertim mathematicæ : imo ipse Philosophus ex Euclide desumit plura principia demonstrationum : ergo videtur, quod etiam aliæ scientiæ absolute obtineri potuissent.

Fateor tamen, ad hoc argumentum probabiliter posse reponi, mundum non caruisse per plura annorum millia usque ad Aristotelem omni Logica, ut ipsi diximus *num.* 191. adeoque illos Philosophos aliqua Logica fuisse instructos, quam postea Aristoteles magis elaboratam, ac perfectam ediderit. Valeat itaque hoc argumentum positivum, quantum potest.

260. Dico 3. Logica tamen est stricte moraliter necessaria ad acquirendas totaliter alias scientias, quæ non habent peculiares regulas, propriorum actuum directivas. Hanc conclusionem, communissime admittunt auctores. Prob. Moraliter necessarium *ex num.* 257. est illud, sine quo aliquid nonnisi victa magna difficultate, cujus victoria raro sperari potest, obtineri potest : sed aliæ scientiæ, quæ non habent regulas, propriorum actuum directivas, non possunt obtineri totaliter sine Logica, nisi victa tali magna difficultate &c. ergo.

Prob. min. Objectorum maxima varietas, & difficilis eorum cognoscibilitas, seu penetratio, item sophismatum multitudo &c. nonnisi maxima difficultate vincuntur ab intellectu humano, satis infirmo, de quo ait Philosophus 2. *Metaph. text.* 1. *Quemadmodum enim vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt :* ergo. Confirm.

con-

conclusio ab ipsa experientia ; nam ante Logicam , ab Aristotele melius traditam , multi in graves errores prolapsi sunt , etsi fuerint etiam præstantia ingenia , insuper magno studio ad scientias incubuerint : ergo difficultates scientiarum sine Logica moraliter vinci non possunt.

261. Si autem aliquæ scientiæ habent proprias regulas , quibus earum actus dirigantur , non video , quare Logica ad eas moraliter necessaria sit ; unde non censeo , eam esse moraliter necessariam Trigonometriæ , Geometriæ , Arithmeticæ , & similibus scientiis , quæ Euclidis , aut Theodosii , vel similibus elementis , aut regulis nituntur : quod non negabunt plures auctores , qui concedunt Logicam minus esse necessariam Matheſi , quam aliis scientiis . Ratio autem est ; quia sine Logica possunt absque valde magna difficultate acquiri istæ scientiæ , scilicet studendo elementis Euclidis , aut Theodosii : quibus si quis studere nolit , neque cum omni Logica eas scientias acquiret.

262. Neque dicas 1. ipsum Euclidem sine Logica non posse intelligi ; nam hoc non supponendum , sed probandum est : nec videtur verum , cum de facto multi reperiantur Logica minime instructi , tamen egregii , ac scientifici Geometræ , aut in alio genere Mathematici : imo jam plures ante Aristotelem fuerint , ut Thales Milesius , Euclides , ac alii plures in Græcia , vide Conimbricenses *quæst. proœm. 5. in Dialect. art. 1.* Neque dicas 2. scientias illas ante Aristotelem fuisse plenas erroribus ; nam , licet hoc forte suo modo sit verum de Physica , & similibus , tamen id probari minime potest de Mathematica : certe Aristoteles plura ex Euclide , & aliis , in suum Organum transtulit : adeoque neque istud careret erroribus . Adde , quod ipse Philosophus : 1. *Poster. text.* 29. dicat , in mathematicis non ita , ut in aliis incurri paralogismos : ex quo sequitur , in his non esse tantum periculum errandi . Sed , etsi aliquod esset , certe illud ope Logicæ evitari non posset , ut patebit consideranti : adeoque ista his scientiis neutiquam est moraliter necessaria.

Accedit , quod in pluribus Academiis juvenes vix egressi Rhetorica , antequam sciant , quid sit definitio ,

nitio , aut argumentatio , statim ad Matheſim audiendam non tantum admittantur , sed invitentur , aut obligentur , utique non eo fine , ut inutiliter tempus terant . Accedit iterum , quod objectum talium scientiarum , nempe quantitas , sit longe magis sensibile , adeoque etiam facilius perceptibile , quam secundæ intentiones Logicæ . Certe , si quis tantum studii poneret in elementis Euclidis , quantum debet poni in Organo Aristotelis , meo judicio illa longe facilius caperet .

ARTICULUS X.

Solvuntur Objectiones .

263. OBjic. 1. contra duas primas conclusiones . Juxta Aristotelem 1. *Poster. text.* 5. ad habendum actum perfecte scientificum requiritur , ut quis cognoscat causam rei , & quod res non possit aliter se habere : sed hoc non potest cognoscere , nisi reflexe sciat , se scire , & hoc reflexe scire non potest sine Logica : ergo non potest haberi actus scientificus sine Logica . Resp. om. maj. (quia Aristoteles *loc. cit.* forte non loquitur de omni actu scientifico , seu scientiæ , sed tantum de actu scientiæ secundo modo acceptæ , de qua *n.* 226.) neg. min. quia ad illa scienda non requiritur reflexa cognitio , sed tantum directa , certa , & evidens : ipseque actus directus jam per seipsum formaliter certificat , & evidenter illuminat intellectum de objecto : sicut actus fidei supernaturalis est certissimus , quin reflexe certo cognoscam , me habere actum supernaturalem .

264. Dein iste actus reflexus , vel esset tantum probabilis , vel esset evidens , seu scientificus : primum dici non potest ; alias certitudo deberet haberi a probabilitate , hoc est , ab incertitudine , quod est per se absurdum : si autem dicatur secundum , tunc vel iste actus reflexus potest esse evidens sine nova reflexione , vel non : si primum , non est ratio , quare non etiam prior actus directus possit esse evidens se solo : si dicatur secundum , ibitur in infinitum ; quia secunda reflexio non erit evidens sine tertia , & sic ulterius . Ex quo collige , S. Thomam , dum 1. 2. *quæst.*

quæst. 112. art. 5. ad 2. ait: *Quicumque habet scientiam, vel fidem, certus est se habere:* non adstruere certitudinem reflexam, quæ circa fidem neutiquam habetur, sed tantum directam: quam tamen non habemus de charitate, de qua nos certitudinem habere S. Doctor negat.

265. Sed etiam dato, & non concesso, quod requiratur certitudo reflexa, tamen non erit absolute necessaria Logica; quia sine hac potest reflexe aliquid sciri; neque enim necesse est, se reflectere in regulas logicas ad cognoscendum, an actus sit scientificus; si enim hoc esset absolute necessarium, Logica fuisset necessaria ante seipsam, & ad seipsam; nam etiam primæ demonstrationes primarum regularum Logicæ fuerunt actus scientifici. Quare sunt alia etiam principia, ad quæ reflectendo potest actus scientificus examinari: sic Geometra reflectit se super elementa Euclidis: & quilibet potest in materia obvia reflexe cognoscere, cognitionem suam esse ita conformem objecto, ut ipse determinetur ad ei assentiendum.

Et quæso, cur rusticus in hoc discursu: *Totum est majus sua parte: sed domus est totum, & fenestra est ejus pars: ergo domus est major fenestra:* cur, inquam, non possit reflexe cognoscere, se non falli: & ita exercite, ac sub terminis saltem æquivalentibus, reflexe cognoscere connexionem objecti præmissarum cum objecto conclusionis? Stipes esset, non homo, si hoc agnoscere non posset. Quod autem facile potest fieri in obviis, id ingenti cum labore, ac studio, absolute etiam poterit fieri in difficilioribus.

266. Objic. 2. Ad actum vere scientificum requiritur, ut quis sciat, suum discursum, non tantum materialiter, sed etiam formaliter esse bonum, id est, similem modum discurrendi concludere in omni materia: sed hoc non potest scire sine Logica: ergo hæc est necessaria. prob. maj. si quis non scit, quod suus modus discurrendi concludat in omni materia, potest dubitare, an legitime concludat in ea, de qua actu discurrit: ergo. Resp. dist. maj. debet scire suum discursum esse formaliter bonum, id est, esse conformem regulis Logicæ, & habere dispositionem terminorum, ac propositionum, ab ipsis præ-

præscriptam. neg. maj. debet scire, dari talem identitatem, vel connexionem, inter objectum præmissarum, & objectum conclusionis, ut, quandocumque similis datur, conclusio semper sit vera. conc. maj. & dist. sic min. neg. conseq.

267. Potest utique aliquis naturaliter absque Logica certo cognoscere, quod, quandocumque unum est causa necessaria alterius, vel necessario connexum cum altero, & hoc unum existit, etiam debeat semper existere illud alterum: potest insuper etiam certo cognoscere, quod nunc illud unum, seu causa, aut necessario connexum existat: & tandem potest inferre, quod etiam alterum existat: e. g. potest dicere; *Si sol adest, dies est: sed nunc sol adest: ergo dies est.*

Potest dein utique etiam reflexe certo cognoscere, hunc suum modum discurrendi semper inferre veritatem; quia potest evidenter cognoscere, quod, quandocumque affirmatur, dari causam necessariam, vel aliquid connexum cum alio, debeat dari etiam illud aliud: qua ratione redditur imperturbabilis, & nequit de bonitate sui discursus dubitare. Hoc alii aliis terminis dicunt, dum ajunt, posse aliquem sine Logica cognoscere bonitatem formalem sui discursus, & fieri imperturbabilem, ratione consequentiæ objectivæ, vel identitatis in tertio, evidenter cognitæ.

Non autem dicas, Logicæ ignarum non scire, quid sit veritas, aut bonitas consequentiæ objectivæ, identitas in tertio, illatio &c. nam neque formaliter scit, quid sit subjectum, aut prædicatum: & tamen potest facere propositiones imperturbabiliter certas, modo sit capax rationis. Quare, licet ista non sciat formaliter sub istis terminis, tamen ea scit sub æquivalentibus. Facit ergo, & scit realiter, se facere discursus legitimos, & realiter saltem reductive conformes regulis Logicæ, quin formaliter directe, & adhuc minus reflexe sciat, eos esse iis conformes.

268. Objic. 3. Ad actum perfecte scientificum requiritur, ut quis possit solvere omnia sophismata, contra eum objecta: sed hoc nemo potest sine Logica: ergo hæc est necessaria. Confir. Non est facilior syllogismus, quam expositorius: sed neque hunc potest rusticus sine Logica imperturbabiliter facere;

ergo

ergo nullum . prob. min. non potest rusticus imperturbabiliter facere istum : *Hic meus filius est Georgius : sed Georgius est primogenitus : ergo hic meus filius est primogenitus :* ergo nec alium expositorium. prob. ant. opponatur huic syllogismo alius prorsus similis : *Hic Filius divinus est Deus : sed Deus est Pater : ergo hic Filius divinus est Pater :* & statim agnoscet rusticus , conclusionem esse contra fidem, adeoque falsam : ergo etiam dubitabit, an non prior syllogismus, apparenter omnino similis sit falsus.

269. Resp. neg. maj. Credimus imperturbabiliter mysterium SS. Trinitatis, quin possimus solvere omnia sophismata, contra illud ab hæreticis allata. Scimus motum dari, idque etiam scivit Diogenes, licet non posset solvere omnes apparentes rationes Zenonis, adductas in contrarium : & ideo se in suo dolio hinc inde gyravit , ipso facto evidenter ostendens , motum dari. Ad confir. neg. min. ad prob. neg. antec. ad hujus prob. neg. conseq. judicabit enim rusticus , objectum sibi syllogismum non esse similem ei, quem ipse fecerit, nec esse eandem rationem in creatis , & in divinis : quamvis aliam claram disparitatem dare non possit, quam nec Aristoteles , utpote fide destitutus, cum omni sua Logica dare potuisset.

Unde ad solvendum hoc sophisma non utilis, aut necessaria est Logica, sed fides , qua instructus rusticus sciat mysterium SS. Trinitatis : quod si sciat , facile dicet , non dari mysterium tam ineffabile in creatis , atque adeo discursum suum esse bonum . Et idem respondendum est ad similia alia, ex divinis, vel etiam supernaturalibus objecta. Hoc debent dicere ipsi adversarii; alias debent admittere , quod rusticus sine Logica neque possit elicere imperturbabiliter judicium immediatum , seu propositionem ; nec enim dicere poterit : *Totum est majus sua parte :* aut : *Tres personæ humanæ sunt tres homines ;* quia etiam tota SS. Trinitas non est major una persona : nec tres personæ divinæ sunt tres Dii.

270. Objic. 4. Si quis sciat , se habere aureum verum, & aureum falsum, nec tamen eos possit ab invicem discernere , dubitabit de utroque : ergo etiam , si quis habeat actum vere scientificum , & sophisma , nec sciat inter ea discernere , dubitabit de

de utroque . Resp. neg. conseq. Supponitur in antecedente , talem hominem de nullo aureo scire determinate , quis sit verus : in consequenti autem ponitur , eum scire , quis sit actus vere scientificus (quod eum scire posse, probatum est nostris rationibus) unde est magna disparitas.

Si autem casus in antecedenti poneretur , quod talis homo sciat , suum aureum determinate sumptum esse bonum : sed simul ei ostendatur alius aureus apparenter omnino similis, qui tamen ab aliis, de quorum veracitate dubitare non possit , dicatur esse falsus ; tunc ille homo non propterea dubitabit de bonitate sui aurei : sed dicet, suum aureum esse verum , alteri vero aliquid deesse , quod ipse nesciat . Et pariter rusticus , cujus actui scientifico opponitur sophisma , dicet , suum actum esse vere scientificum : sophismati autem aliquid deesse, licet ipse id ignoret , ut sæpe etiam ignorant Logici, præsertim quando agitur de divinis.

271. Objic. 5. Aristoteles 1. *Metaph.* 1. ait : *Qui artem tenent , quam eos , qui experientiam habent , sapientiores esse putamus .... illi quidem , sciunt causam, hi vero minime :* ergo sine arte Logica non datur scientia , seu actus scientificus . Resp. neg. conseq. non enim sequitur : Christus est sapientior Salomone : ergo Salomon non est sapiens . Quod si ex posteriori parte textus velis inferre , Philosophum experimentales ignaros artis omnino excludere e numero scientium, respondetur, id verum esse de puris experimentalibus , maxime Medicis (de quibus ibi Aristoteli sermo) qui non nituntur ulla ratione : at non de aliis, qui nituntur etiam ratione , e. g. connexione objectiva , quam sciunt tanquam causam , eamque possunt assignare etiam sine Logica : quin imo Aristoteles ibi non agit de vera scientia : adeoque hic textus non venit ad rem. vide dicta *num.* 234.

272. Objic. 6. Logica est instrumentum ad actus scientificos : sed omne instrumentum est physice necessarium ad artefactum : ergo Logica est physice necessaria ad actus scientificos. Confirm. Ut sciam, me habere totum , debeo scire , me habere omnia requisita ad illud : ergo, ut sciam , me habere actum scientificum, debeo scire , me habere terminos debitos,

bitos, eorum ordinem &c. hoc non possum scire sine Logica: ergo. Resp. dist. maj. Logica est instrumentum absolute necessarium. neg. maj. moraliter necessarium: conced. maj. & dist. sic min. nego conseq. Aliud est instrumentum omnino necessarium, ut oculus ad videndum: aliud tantum moraliter necessarium, ut e. g. vectis ad tollendum lapidem grandem, qui tamen absolute sine vecte tolli possit. Et tale instrumentum est Logica.

Ad confir. dist. ant. debeo scire me habere omnia, formaliter sub istis terminis, aut formalitatibus. neg. ant. debeo id scire æquivalenter, seu sub æquivalentibus terminis. conc. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. conseq. subsumptum iterum eodem modo distinguo, & neg. ultimam consequentiam. Sufficit igitur, me scire, quod tales sint mei termini, & propositiones, ut evidenter significent connexionem objectivam inter præmissas, & conclusionem: quod realiter æquivalet dispositioni formali terminorum &c. factæ ad regulas Logicæ.

273. Objic. 7. Ut perfecte acquiram finem, debeo scire aptitudinem mediorum ad finem: ergo, ut perfecte acquiram actum scientificum, debeo scire aptitudinem terminorum, & propositionum ad eum: hanc non possum scire sine Logica: ergo hæc est necessaria. Resp. dist. ant. debeo scire aptitudinem mediorum sub omni ratione. neg. ant. debeo scire sub ratione necessaria ad finem. om. ant. & eodem modo dist. conseq. itemque subsumptum, & nego ultimam consequentiam. Aptitudo terminorum &c. ad actum scientificum tanquam finem stat in eo, quod evidenter repræsentent connexionem objectivam inter objectum præmissarum, & objectum conclusionis: & sub hac ratione potest ea aptitudo cognosci sine Logica.

274. Objic. 8. Imperitus Logicæ, audiens hunc discursum: *Omnis homo est rationalis: omne risibile est rationale: ergo omne risibile est homo:* vel judicat, eum esse bonum: vel judicat, eum non esse bonum: neutrum potest dici: ergo. prob. min. si judicat esse bonum, facile fallitur, & Logica est ei physice necessaria: si vero judicat, non esse bonum, potest sine Logica discernere discursum materialiter bonum

bonum a formaliter bono, & Logica neque moraliter est ei necessaria: ergo.

Resp. neg. mi. & dico, quod quis post longum studium, & magnum adhibitum laborem, possit etiam hanc difficultatem vincere, ut non fallatur, sed judicet, hunc discursum non esse bonum; nam etiam apud imperitum Logices aliud est conclusionis objectum dari, aliud conclusionem legitime inferri; utique enim quivis scit, vel certe magno studio scire potest, non esse bonam sequelam: *Petrus est vivens: ergo est homo;* licet revera Petrus homo sit; quare potest imperitus Logicæ hunc errorem saltem multo labore deprehendere.

Ex hoc tamen non sequitur, Logicam non esse ei moraliter necessariam; cum sine ea non possit omnes tales discursus, in materiis etiam difficilioribus, ita dijudicare, nisi maxima cum difficultate, & nonnisi per ingentem diligentiam superabili. Ad prob. mi. dist. 2. p. ant. potest sine Logica discernere inter discursum formaliter, & materialiter bonum, in aliquo casu facili. conc. ant. in omnibus casibus etiam difficilibus. subdist. potest id physice. conc. potest moraliter. neg. ant. & conseq.

275. Ob. 9. contra 3. concluf. Logica est pernicioſa: ergo non est moraliter necessaria. ant. prob. SS. Patres plures in Logicam satis acriter invehuntur, & Origenes *homil. 4. in Exod. c. 7.* similitudinem esse docet inter Logicam, & cyniphes, quas Deus immisit in Ægyptios: itemque de S. Ambrosio fertur, eum orare solitum: *A Logica Augustini libera nos Domine*: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. invehuntur in ipsam Logicam. neg. ant. in ejus abusum. conc. ant. & neg. conseq. Aliquid per se optimum potest plurimum nocere per abusum, ut gladius, aut vinum, quibus multi abutuntur. Ipsam Logicam SS. Patres laudant, ut videre est apud Conimbricenses *quæst. 6. proœm. in Dial. a. 2.* & Sfondratum *in prælud. ad Logic. §. 1. numer. 4. & 5.* & certe verba ex S. Augustino, supra *nu. 191.* allata, Logicæ valde honorifica sunt. Sane Logica Augustini, qua tunc adhuc Manichæus contra Ecclesiam abutebatur, postea eidem Ecclesiæ plurimum profuit. Non tamen negaverim, a Patribus ali-

quando corripi Logicos, vel Philosophos, quod subtilitatibus nimiis tempus consumant, & studia SS. Scripturarum negligant: sed hoc nil contra nos.

276. Ob. 10. Sine Logica fiunt aliqui insignes Juristæ, & Medici: ergo Logica non est moraliter necessaria ad alias scientias. Confir. Ante Aristotelem, ut ipsi diximus *nu.* 250. fuere jam aliqui scientiis instructi Philosophi: ergo non fuit ipsis necessaria Logica: ergo nec est aliis. Resp. dist. ant. fiunt aliqui Juristæ insignes in citandis e memoria legibus, aut alii Medici empirici. conc. ant. fiunt insignes in juridicis discursibus, aut Medici vere scientifici. neg. ant. & conseq. Ita asserunt viri in utraque facultate clarissimi, idemque testatur experientia quotidiana.

Ad confir. neg. saltem 2. conseq. Exceptis Mathematicis fuere pauci, si tamen fuere aliqui perfecte scientifici; cum plerumque eorum scientia fuerit valde defectuosa. Potest autem salva nostra conclusione admitti, quod pauci, valde præstanti ingenio homines, magno labore, & plurium annorum studio, aliquam tandem scientiam didicerint. Potest etiam dici, illos Philosophos non caruisse omni Logica, etsi caruerint Aristotelica perfectiore, qua de re vide dicta *n.* 259.

277. Ob. 11. Intellectus est potentia necessaria: ergo necessario agit: ergo non est capax directionis: ergo Logica ad ejus actus non est utilis, minus necessaria. Confir. Juxta nos homo esset infelicior bruto: hoc est absurdum: ergo. prob. ma. bruta habent omnia sibi necessaria a natura: homo autem non habet a natura Logicam sibi necessariam: ergo. Resp. neg. 2. conseq. Potentia necessaria non differt a libera per hoc, quod non sit capax directionis (nam utraque est ejus capax) sed per hoc, quod potentia necessaria positis omnibus ad agendum requisitis (inter quæ sæpius est directio) debeat agere: libera autem possit etiam non agere.

Potest etiam intellectus aliter, & aliter agere, pro varia impressione novarum specierum, vel excitatione antiquarum: item pro varia determinatione voluntatis. Potest etiam errare, & postea errorem detegere. Potest reflexe considerare regulas jam ante sibi cognitas &c. quæ omnia inferunt aliquam dirigibilitatem. Ad confir. neg. ma. ad prob. neg. conseq. Finis bruti est longe ignobilior, quam finis hominis; quare hic non est infelicior, etsi pluribus ad suum finem indigeat: sicut non est infelicior Imperator gregario milite, licet ad gubernandum cum majestate exercitum, vel imperium, indigeat pluribus famulis. Et quare non dicitur homo etiam infelicior bruto, eo quod non nascatur pilosus, & indigeat vestimentis?

278. Ob. 12. Si Logica est necessaria ad alias scientias, tunc debet ante eas addisci: hoc est falsum: ergo. prob. mi. Logica est difficilior aliis scientiis: ergo non debet addisci ante eas. prob. ant. Logica est scientia reflexiva, & aliæ non sunt ita reflexivæ: sed scientiæ reflexivæ sunt difficiliores non reflexivis: ergo. Resp. conc. ma. neg. mi. ad prob. neg. ant. nam aliæ scientiæ sunt difficiliores captu, antecedenter ad Logicam, quam sit ipsa Logica; eo quod habeant actus plurimos, eosque valde difficiles de infinito, de continuo &c.

Aliud est, quod ex suppositione, quod prius quis didicerit Logicam, facilius dein capiat alias scientias, quam prius ceperit Logicam; quia scilicet magna difficultas aliarum scientiarum jam ablata est per Logicam, sine qua ea difficultas moraliter superari non potuisset. ad prob. ant. dist. mi. scientiæ reflexivæ sunt difficiliores cæteris paribus. conc. mi. cæteris non paribus, uti hic non sunt paria cætera. neg. mi. & conseq.

279. Dices 1. Si Logica est necessaria ad alias scientias; quia ipsæ sunt difficiles, erit etiam necessaria ad se ipsam; quia & ipsa est difficilis: sed hoc implicat: ergo. Resp. dist. ma. erit necessaria una pars Logicæ ad alteram. conc. ma. tota Logica ad totam Logicam. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Difficilis quidem etiam est Logica, sicut aliæ scientiæ sunt difficiles: attamen hæ, ut dictum, sunt antecedenter magis difficiles, & (quod magis notandum) istarum difficultas potest tolli per Logicam prius habitam: at non potest tolli difficultas totius Logicæ per totam Logicam prius habitam; cum non possit prius haberi tota. Quia tamen difficultas unius partis Logicæ potest tolli per aliam ejus partem, hinc potest dici, unam partem Logicæ esse necessariam ad

alteram, ut, dum præmittuntur faciliora, intellectus semper magis, & magis disponatur, & juvetur ad capienda difficiliora.

280. Dices 8. Si ita per unam partem Logicæ intellectus disponitur ad aliam ejus partem, tunc etiam in aliis scientiis poterit per actus faciliores disponi ad actus difficiliores: ergo Logica non erit necessaria. Resp. neg. ant. saltem nego, quod intellectus sine Logica in aliis scientiis sufficienter disponatur; nam non datur eadem connexio inter actus aliarum scientiarum, quæ datur inter actus Logicæ: sed, ut bene ait Comptonus *disp. 11. Logic. sec. 1.* hoc est peculiare quid Logicæ, quæ cum sit instrumentum aliarum scientiarum, est etiam instrumentum sibi ipsi: & sicut præscribit regulas aliis, ita etiam sibi: sicut e. g. fabrilis facit gnomones, regulas, malleos &c. non tantum aliis artibus, sed etiam sibi, iisque utitur ad facienda iterum alia instrumenta, vel artefacta.

281. Ob. 13. Nulla scientia potest perfecte acquiri sine aliis: ergo, si propterea Logica est necessaria ad alias scientias, etiam omnes scientiæ erunt necessariæ ad quamlibet scientiam: hoc admitti non potest: ergo. Resp. dist. ant. nulla scientia potest perfecte acquiri sine aliis totaliter sumptis. neg. ant. partialiter sumptis. om. ant. & neg. conseq. subsumptum eodem modo iterum dist. & neg. conseq.

Datur utique aliqualis connexio inter scientias, & forte non potest perfecte acquiri una sine aliquibus saltem actibus alterius. At non datur talis connexio, ut requirantur integri habitus scientifici ad scientias invicem: sed sufficiunt pauci actus, etiam ab intellectu naturaliter bene disposito facile acquiribiles; quam pauca enim habet Geometria e. g. ex Physica! notitiam aliquam quantitatis, & vix aliud: non ita se habet Logica artificialis, quæ tota cum omnibus suis regulis est moraliter necessaria ad alias scientias. Quare, licet cæteræ scientiæ propter paucos actus necessarios non dicantur simpliciter necessariæ ad alias scientias, sicut Æthiops non dicitur simpliciter albus propter albedinem oculorum, & dentium: tamen Logica, debet dici simpliciter necessaria, propter omnes suos actus necessarios.

282. Ob. 14. Logica vel est moraliter necessaria, ad

ad eliciendos actus aliarum scientiarum modo artificiali, vel ad eos eliciendos modo non artificiali: neutrum potest dici: ergo. prob. mi. ad eliciendos modo artificiali est necessaria simpliciter: ad eliciendos modo non artificiali est nullo modo necessaria, ut patet: ergo nunquam est moraliter necessaria. Resp. neg. ma. vel ejus suppositum. Imprimis hæ propositiones non sunt contradictoriæ, ut patet consideranti: dein non veniunt ad rem; nam non quæritur hic, quid necessarium sit ad modum artificialem, vel non artificialem: sed quæstio instituitur universaliter, & præscindendo, an hoc, vel illo modo res fieri debeat: sicut, quando quæritur, an equus sit moraliter necessarius ad iter, non quæritur, an sit ita necessarius ad iter faciendum cum equo, vel ad id faciendum sine equo: sed universaliter, & præcisive quæritur, an equus sit necessarius ad iter.

283. Ob. 15. Sine Logica possum moraliter acquirere unum, aut alterum actum scientificum: ergo possum moraliter acquirere omnes: ergo non est necessaria Logica. prob. 1. conseq. per acquisitionem alicujus actus, imo etiam plurium, non augetur, sed minuitur difficultas ad alios: ergo, si possum acquirere unum, aut alterum talem actum, possum acquirere omnes. Resp. neg. 1. conseq. ad prob. iterum neg. conseq. licet enim (ut diximus in aliorum probatione *nu.* 259.) intellectus possit aliquantum juvari per actus aliquos præcedentes, non tamen id juvamen sufficit ad tollendam moralem impossibilitatem; quia actus sunt valde disparati, valde inæqualis difficultatis, & nimis multi; unde difficultates, in iis occurrentes, licet physice sint superabiles, tamen non sunt moraliter superabiles; quia homo tandem etiam facile in errorem potest induci: & huic responsioni quoque suffragatur experientia.

284. Ob. 16. contra dicta *nu.* 261. Etiam demonstrationes geometricæ debent examinari ad regulas Logicæ: ergo hæc etiam est moraliter necessaria ad Geometriam. Confir. Geometria habet suas definitiones: sed hæ non possunt fieri sine regulis Logicæ: ergo. Resp. neg. ant. Ad examinandas eas demonstrationes sufficiunt regulæ Euclidis, quæ æque

ostendunt, saltem exercite, si non reflexe, formalem, ac certam methodum bene discurrendi, quamvis diverso modo, quam regulæ Logicæ. Imo ad regulas Euclidis sæpe suas regulas logicas examinat Aristoteles; unde sequendo illas regulas, vel ita dicta elementa, tam parum errabitur, quam parum sequendo Aristotelem.

Ad confir. neg. mi. Definitiones Euclidis tamen sunt bonæ, etsi non observent omnes minutias logicas; conveniunt enim omni, & soli, ac sunt clariores definito, quod satis est: & ad hoc efficiendum major est difficultas in materia, quam suppeditare debet Geometria, quam in forma, quam solam suppeditare posset Logica: suppeditari autem de facto potest a Logica naturali forma sufficienter bona sine omni reflexione ad regulas Logicæ artificialis.

285. Dices. Discursus geometrici debent etiam fundari in principiis logicis: *Dictum de omni: Dictum de nullo*: ergo Logica est ad eos necessaria. Resp. 1. retorq. argum. Discursus logici non minus debent fundari in principiis metaphysicis: *Quæcumque sunt eadem in uno tertio, sunt eadem inter se: & Quæcumque distinguuntur in uno tertio, distinguuntur inter se*: ergo etiam Metaphysica erit necessaria ad Logicam. Quare, etsi fundarentur discursus geometrici in principiis logicis, non posset simpliciter dici Logica necessaria ad Geometriam. vide dicta *num.* 281. Accedit, quod hæc principia facile capiantur sine Logica artificiali, per solam naturalem.

Resp. 2. neg. ant. nam discursus geometrici fundantur in principiis Geometriæ propriis: *Quæ sunt æqualia eidem tertio, sunt æqualia inter se: &: Quæ sunt inæqualia eidem tertio, sunt inæqualia inter se &c.* quæ facile penetrantur, ope Logicæ naturalis, cui se statim prima fronte monstrant evidentia, &, si fors ulterius resolvenda, vel reducenda essent, potius reducenda essent ad principia metaphysica: *Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: Totum est majus sua parte &c.* quæ tamen quivis mediocris ingenii facile sine Logica, & sine Metaphysica, per solum lumen naturalem agnoscit evidentia.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

De Objecto Logicæ.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Objectum.

286. *Objectum*, quod auctores antiquiores sæpe vocant *subjectum*, dicitur ab objiciendo; eo quod in eo tanquam in obice sistatur potentia, habitus, aut actus. Si latissime sumatur, est quivis terminus, circa quem versatur potentia aliqua, habitus, aut actus: & sic res possibiles dicuntur esse objectum omnipotentiæ divinæ. si autem objectum sumatur strictiori in sensu (in quo hac præsertim in quæstione loquimur) est terminus, circa quem per suos actus versantur potentiæ intentionaliter operantes: quales sunt præcipue intellectus, voluntas, & suo modo etiam sensus, ac appetitus sensitivus: atque in hoc sensu verum dicitur esse objectum intellectus, bonum esse objectum voluntatis, lux, & color esse objectum potentiæ visivæ &c.

Dicitur autem 1. aliud objectum *adæquatum*, aliud *inadæquatum*. Illud, seu *adæquatum* est complexum ex omnibus illis, circa quæ potentia intentionalis tota, vel habitus totus versatur: e. g. objectum adæquatum Logicæ sunt omnes actus a Logica dirigibiles. Istud, seu *inadæquatum*, est tantum aliqua pars illius complexi, circa quam versatur tantum aliqua pars potentiæ, vel habitus (si divisibilis sit) e. g. respectu Logicæ objectum inadæquatum est syllogismus probabilis, circa quem versatur Topica, quæ est pars habitus logici divisibilis.

287. Dicitur 2. aliud *objectum formale*, aliud *materiale*. Hoc, seu *materiale* communiter dicitur esse id, quod attingitur propter aliud, e. g. respectu statuariæ, lapis, qui attingitur propter figuram introducendam: estque duplex *proximum*, & *remotum*: illud est, quod immediate attingitur ab actu, vel potentia, ut color a visu: istud, quod tantum mediate attingitur, ut e. g. si video hominem vestitum, objec-

ostendunt, saltem exercite, si non reflexe, formalem, ac certam methodum bene discurrendi, quamvis diverso modo, quam regulæ Logicæ. Imo ad regulas Euclidis sæpe suas regulas logicas examinat Aristoteles; unde sequendo illas regulas, vel ita dicta elementa, tam parum errabitur, quam parum sequendo Aristotelem.

Ad confir. neg. mi. Definitiones Euclidis tamen sunt bonæ, etsi non observent omnes minutias logicas; conveniunt enim omni, & soli, ac sunt clariores definito, quod satis est: & ad hoc efficiendum major est difficultas in materia, quam suppeditare debet Geometria, quam in forma, quam solam suppeditare posset Logica: suppeditari autem de facto potest a Logica naturali forma sufficienter bona sine omni reflexione ad regulas Logicæ artificialis.

285. Dices. Discursus geometrici debent etiam fundari in principiis logicis: *Dictum de omni: Dictum de nullo*: ergo Logica est ad eos necessaria. Resp. 1. retorq. argum. Discursus logici non minus debent fundari in principiis metaphysicis: *Quæcumque sunt eadem in uno tertio, sunt eadem inter se: & Quæcumque distinguuntur in uno tertio, distinguuntur inter se*: ergo etiam Metaphysica erit necessaria ad Logicam. Quare, etsi fundarentur discursus geometrici in principiis logicis, non posset simpliciter dici Logica necessaria ad Geometriam. vide dicta *num.* 281. Accedit, quod hæc principia facile capiantur sine Logica artificiali, per solam naturalem.

Resp. 2. neg. ant. nam discursus geometrici fundantur in principiis Geometriæ propriis: *Quæ sunt æqualia eidem tertio, sunt æqualia inter se: &: Quæ sunt inæqualia eidem tertio, sunt inæqualia inter se &c.* quæ facile penetrantur, ope Logicæ naturalis, cui se statim prima fronte monstrant evidentia, &, si fors ulterius resolvenda, vel reducenda essent, potius reducenda essent ad principia metaphysica: *Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: Totum est majus sua parte &c.* quæ tamen quivis mediocris ingenii facile sine Logica, & sine Metaphysica, per solum lumen naturalem agnoscit evidentia.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

De Objecto Logicæ.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Objectum.

286. *Objectum*, quod auctores antiquiores sæpe vocant *subjectum*, dicitur ab objiciendo; eo quod in eo tanquam in obice sistatur potentia, habitus, aut actus. Si latissime sumatur, est quivis terminus, circa quem versatur potentia aliqua, habitus, aut actus: & sic res possibiles dicuntur esse objectum omnipotentiæ divinæ. si autem objectum sumatur strictiori in sensu (in quo hac præsertim in quæstione loquimur) est terminus, circa quem per suos actus versantur potentiæ intentionaliter operantes: quales sunt præcipue intellectus, voluntas, & suo modo etiam sensus, ac appetitus sensitivus: atque in hoc sensu verum dicitur esse objectum intellectus, bonum esse objectum voluntatis, lux, & color esse objectum potentiæ visivæ &c.

Dicitur autem 1. aliud objectum *adæquatum*, aliud *inadæquatum*. Illud, seu *adæquatum* est complexum ex omnibus illis, circa quæ potentia intentionalis tota, vel habitus totus versatur: e. g. objectum adæquatum Logicæ sunt omnes actus a Logica dirigibiles. Istud, seu *inadæquatum*, est tantum aliqua pars illius complexi, circa quam versatur tantum aliqua pars potentiæ, vel habitus (si divisibilis sit) e. g. respectu Logicæ objectum inadæquatum est syllogismus probabilis, circa quem versatur Topica, quæ est pars habitus logici divisibilis.

287. Dicitur 2. aliud *objectum formale*, aliud *materiale*. Hoc, seu *materiale* communiter dicitur esse id, quod attingitur propter aliud, e. g. respectu statuariæ, lapis, qui attingitur propter figuram introducendam: estque duplex *proximum*, & *remotum*: illud est, quod immediate attingitur ab actu, vel potentia, ut color a visu: istud, quod tantum mediate attingitur, ut e. g. si video hominem vestitum, objec-

ctum materiale proximum visus sunt vestes, vel potius color vestium: objectum vero remotum sunt substantia vestium, vel etiam hominis.

288. *Objectum formale* communiter dicitur esse illud, propter quod attingitur aliud, e. g. iterum respectu statuariæ figura, propter quam attingitur lapis. *Attingi* autem (quod bene notandum) non est tantum quomodocumque a potentia, vel habitu cognosci, aut respici; sed respectu potentiarum cognoscitivarum est *affirmari*, respectu potentiarum appetitivarum est *amari*; similiter respectu habituum moralium est *amari*, respectu intellectualium speculativorum est *affirmari*: & respectu habituum practicorum quantum ad formam est *in materiam introduci*, quantum ad materiam est *immutari*.

Hoc objectum formale iterum subdividitur in objectum *formale quod*, & *formale quo*. Prius, seu *formale quod* est id, quod præcipue propter se attingitur, ut e. g. figura a statuaria: posterius, seu *formale quo* non necessario semper attingitur, sed est ratio, sub qua attingitur objectum materiale, seu quæ reddit materiam capacem, ut attingatur, ut e. g. sculptibilitas ligni, vel lapidis respectu statuariæ, quæ formaliter accepta proprie non attingitur a statuaria; quia non introducitur, neque etiam ipsa formaliter accepta immutatur (quia manet semper in ligno suo modo sculptibilitas, & lignum scalpro tractabile) sed tamen reddit lignum, vel lapidem aptum, ut introducatur figura.

Similiter in habitibus moralibus e. g. in justitia, jus alterius, seu debitum activum, est objectum formale quo; quia sub hac ratione justitia vult, seu amat solutionem debiti: at illud jus, seu debitum, non est objectum formale quod, neque attingitur; quia hoc debitum non amatur. Potest tamen contingere aliquando, ut objectum formale quod, & formale quo, vel aliquando objectum materiale, & formale quo, realiter identificentur: quo casu deinde duobus identificatis eadem realiter prædicata verificari debent.

289. Dicitur 3. aliud *objectum attributionis*, aliud *objectum attributum*. Auctores *objectum attributionis* varie explicant. Quidam, dum agunt de Logica,

gica, intelligunt per objectum attributionis omne opus logicum constans materia, & forma logica: alii intelligunt opus principale habitus: alii opus principaliter intentum ab inventore artis. Mihi videtur a pluribus, & etiam probabilius dici, *objectum attributionis* esse opus illud habitus, quod ex fine primario illius habitus ultimato intenditur, & ad quod alia tanquam ad finem intrinsecum ordinantur: at *objectum attributum* esse illud, quod ab habitu ex fine primario non ultimato intenditur propter se, sed in ordine ad aliud. Sic e. g. in pictoria se habet attritio colorum, dispositio telæ, & penicilli, ac similia, quæ non intenduntur propter se, sed in ordine ad imaginem.

290. Notandum autem hic est 1. quod, licet sæpe in habitibus, præsertim factivis (de quibus *numer.* 213.) objectum materiale, & formale, sint inter se realiter distincta, (e. g. in statuaria lignum, vel marmor, est distinctum a figura) id tamen universaliter non sit necessarium in omnibus habitibus: sed sufficiat, modo sint distincta formaliter; nam contrarium gratis asseritur, & contra Aristotelem, ut infra videbimus *n.* 301. & 312. & 321. Et certe in habitu primorum principiorum, quando veritati alicui assentior propter seipsam, eadem veritas simul est objectum materiale, & formale: seu est id, quod affirmatur, & propter quod affirmatur. Sic etiam in Musica objectum materiale, seu sonus, saltem non est adæquate distinctus a recta consonantia, qua de re inferius *n.* 312.

291. Notandum 2. quod idem objectum materiale eo ipso, quod sit indifferens ad varias formas a variis habitibus practicis introducendas, vel etiam sit indifferens, ut varie consideretur a variis habitibus speculativis, etiam possit spectare ad diversos habitus: sic, quia idem lignum est indifferens, ut ex eo fiat statua, vel navis, vel domus, est objectum materiale statuariæ, nauticæ, architectonicæ: sic, quia idem corpus humanum est indifferens, ut sub alia, & alia ratione consideretur a Physica, Mathematica, Medicina, est realiter objectum materiale Physicæ, Mathematicæ, Medicinæ.

Quia tamen in eodem objecto, materiali, e. g. li-

gno, vel corpore humano, est multiplex ratio formalis, seu multiplex objectum formale quo, sub quo scilicet idem objectum materiale referatur potius ad hunc, quam ad alium habitum, hinc etiam multipliciter distinguitur formaliter quodlibet tale objectum materiale. Tales rationes e. g. in ligno sunt sculptibilitas respectu statuariæ, aptitudo ad fulciendum e. g. tectum respectu architectonicæ.

292. Tales rationes sunt in corpore humano mutabilitas respectu Physicæ, quantitas, seu extendibilitas in longum &c. respectu Mathematicæ, sanabilitas respectu Medicinæ. Imo potest esse respectu ejusdem formæ, sed sub diversa ratione introducendæ, duplex objectum formale quo: e. g. tam ars fusoria, quam malleatoria, introducit eandem formam, seu figuram hominis in argentum, & aurum: attamen utrumque metallum est objectum artis fusoriæ sub ratione fusibilis, & malleatoriæ sub ratione ductilis.

293. Quæstio jam est, quodnam sit objectum Logicæ: & quidem ex objecto materiali, & formali completum: quam quæstionem Masius gravem appellat: alii levem existimant: objecta autem, quæ solent assignari Logicæ, sunt voces, operationes mentis, seu conceptus, res, & intellectus: seu potius voces, aut operationes mentis, per artificium logicum rite dispositæ, vel res juxta directionem Logicæ rite cognitæ, aut intellectus per regulas logicas rite operans; nam ista sunt objectum totale, ex materiali, & formali constitutum. Quia tamen ex eo, quod voces, res &c. sint, vel non sint objectum materiale Logicæ, facile infertur, an voces rite dispositæ, res rite cognitæ &c. sint objectum totale, hinc auctores tantum solent quærere, an voces, res &c. sint objectum materiale Logicæ; de hoc itaque & nos potissimum nunc agemus: quamvis etiam de formali, ac totali breviter aliquid dicturi simus.

ARTICULUS II.

Quodnam sit Objectum Logicæ.

294. Dico 1. Objectum materiale Logicæ Aristotelicæ docentis (de hac enim controvertimus) saltem primarium, non sunt voces externæ. ita auctores communissime ferme usque ad annum 1690. circa quem cæpere pro objecto assignari voces, sed a comparative paucis. Antiquiores quidem etiam citantur, sed sine sufficienti fundamento. Certe Thomistæ, & Scotistæ adversantur vocibus: & Hurtadus *disp. 1 Log. sec. 3. §. 14.* ait, hanc sententiam nunquam potuisse in scholas invehi. Lynceus *l. 2. tr. 1. c. 2. n. 19.* ait, luce clarius esse, quod Nominales nunquam senserint, voces esse objectum Logicæ; cum universalia asseruerint constitui per cognitionem: & *c. 3. n. 24.* ait, adeo exploratum esse, quod operationes intellectus, prout subsunt artificio Logicæ, sint objectum materiale ejusdem, ut a nemine, quem viderit, revocetur in dubium.

Suarez vero *tom. 1. Metaph. disp. 1. sec. 4. n. 25.* docet, modos sciendi, quos Dialectica ex proprio munere tradit, stare in operationibus mentis, quæ tamen, ut sint veræ, debeant conformari rebus: postea autem debere explicari vocibus; cum has natura dederit ad explicanda animi sensa. Quos autem adversarii pro se citant auctores, si accurate inspiciantur, parum ipsis favent. Certe Simplicius *comment. in prædicam. initio.* docet, Aristotelem tradere artem demonstrandi, & veram rerum cognitionem acquirendi: & Fonseca in *2. Metaph. c. 3. q. 1. sec. 3.* expresse ait, orationem mentalem præcipue pertinere ad Logicam, & præcipue esse ejus subjectum, ipsamque propterea differre a Rhetorica, & Grammatica.

295. Neque adversarii, quando in S. Augustino, vel aliis auctoribus legunt, de verbis agere Logicam, statim existiment, voces significari; nam verbum potius significat conceptum mentis; sic enim habet S. Augustinus *tom. 10. serm. 20. vel in appendice serm. 76. de Sanctis: Scripturæ Sanctæ verbum*

esse definiunt, quod intra animi silentium mente concipimus: verbum esse definiunt ipsam cogitationem, qua adhuc intra conscientiæ secreta retinetur. Quin S. Thomas 1. *p. q.* 34. *a.* 1. *in corp.* sic habet: *Primo, & principaliter interior mentis conceptus verbum dicitur: secundario vero ipsa vox interioris conceptus significativa:* quem in sensum etiam citat S. Augustinum *l.* 15. *de Trinit. c.* 10.

Sed neque vox *disputare* necessario significat disputationem externam, ut agnoscit P. Christophorus Rasler, quamvis magnus vocum patronus, *in suis Thesibus a.* 1691. *editis, contr.* 1. *n.* 2. certe *disputare* est *differere*; nam dicitur quis *in utramque partem disputare*: quod aliud significare non potest, quam differere: hoc est, rationes pro, & contra proferre, quod per se non stat in vocibus. Et certe, sicut datur interrogatio interior, qua quis e. g. se ipsum examinat, ita etiam datur disputatio interior, qua quis secum ipso aliquid disserit, disquirit, aut expendit in utramque partem rationes.

296. Prob. conclusio. Quæstio hæc, ut adversarii non negant, est facti, vel potius nominis; quæritur enim, quomodo intelligenda sint verba Aristotelis: sed in quæstionibus facti, vel nominis, potissimum attendenda est auctoritas: ergo hæc est etiam in hac quæstione potissimum attendenda: sed hæc longe major est contraria vocibus, ut habetur *ex n.* 294. ergo ma. est ab omnibus admissa, & per se claret; si enim nascatur controversia de sensu alicujus legis, & ex una parte stent plurimi docti Juristæ, ex altera longe pauciores, nec magis docti, nemo negabit, probabiliorem esse sensum plurium.

Non autem dicant adversarii, auctores, qui stant pro operationibus mentis, non loqui de Logica Aristotelis, sed de totali; nam, quamvis aliqui recentiores hoc faciant, tamen id prorsus gratis fingitur de antiquis; antiquiores enim profitentur se discipulos, seu sequaces Aristotelis, atque ejus interpretes, dum ejus textus adducunt, atque dilucidant, dum ejus definitionem syllogismi per orationem amplectuntur, dum regulas ejus syllogisticas explicant &c. nec unquam ullam vel minimam mentionem alterius Logicæ faciunt &c. Confir. Aristoteles pro aliquo

quo objecto suæ Logicæ statuit demonstrationem, seu syllogismum demonstrativum: at hic non stat in vocibus, sed in conceptibus, seu cognitionibus: ergo. prob. mi. syllogismus demonstrativus est ille, per quem formaliter scimus: atqui per vocalem non formaliter scimus: ergo. mi. est clara, nam scire ex Aristotele 1. *Poster.* 2. est cognoscere causam rei. prob. itaque ma. Aristoteles *loc. modo cit.* sic scribit: *Dicimus autem & per demonstrationem cognoscere: demonstrationem vero dico syllogismum scientialem: scientialem autem dico, secundum quem, eo quod ipsum habeamus, scimus:* ergo per demonstrationem cognoscimus, & per syllogismum scientialem eo ipso, quod ipsum habeamus, hoc est, formaliter scimus; sicut ideo per albedinem murus est formaliter albus; quia eo ipso, quod habeat albedinem, albus est.

297. Nec dicas, Aristotelem non dicere *per quem*, sed *secundum quem*; nam κατὰ græcum etiam significat *per*: & Aristoteles immediate præmisit *per demonstrationem cognoscere*: ac addidit, demonstrationem se dicere (hoc est, per demonstrationem se intelligere) syllogismum scientialem. Insuper, si Aristoteles sensisset, ut adversarii volunt, nos per demonstrationem tantum causaliter scire, non debuisset 1. *Poster. text.* 43. probare, quod per sensum non sciamus; cum utique sensus etiam sint causa scientiæ, (id quod ipse Aristoteles probat 1. *Poster. text.* 33.) imo voces non possint causare scientiam, nisi per sensum auditus. Plura argumenta vide apud alios; nobis non videtur hæc quæstio nimium fuse pertractanda.

298. Dico 2. Objectum materiale Logicæ, saltem primarium, sunt operationes mentis. ita S. Thomas *initio lection.* 1. *in libros Periherm. item lect.* 1. *in lib.* 1. *Poster.* Favent etiam juxta Conimbricenses *quæst. proem.* 5. *a.* 3. §. *Porro. in fine.* Scotus cum suis: item Suarez *tom.* 1. *Metaph. disp.* 1. *sec.* 4. & *disputat.* 39. *initio.* Sfondratus, Comptonus, Oviedo, Giatinus, & alii præsertim nostri communissime, quos longum esset referre. Prob. conclusio. Illud est objectum materiale habitus practici, quod ab eo attingitur propter aliud, ut dictum *n.* 287.

sed

sed operationes mentis, sive intellectus, attingun-
tur ab habitu practico Logicæ propter aliud, scili-
cet propter formam, seu rectitudinem in eas intro-
ducendam: ergo istæ operationes sunt objectum ma-
teriale Logicæ. prob. mi. Logica, sive ipsius regu-
læ, ex primaria sua intentione tendunt ad efficien-
dos syllogismos, vel etiam definitiones, & divisio-
nes: non autem vocales, saltem primario, ut pro-
batum est *n.* 296. ergo mentales: ergo regulæ lo-
gicæ practicæ attingunt operationes mentis propter
rectitud nem syllogisticam &c. adeoque tanquam ma-
teriam propter formam.

299. Dico 3. Objectum formale quod saltem pri-
marium Logicæ, est recta dispositio, seu rectitudo,
aut directio passiva operationum mentalium. ita com-
muniter ii, qui nobiscum in præcedenti conclusione
sent unt. Prob. Illud est objectum formale quod Lo-
gicæ, propter quod ipsa attingit aliud *ex num.* 288.
sed Logica attingit operationes mentis propter istam
rectitudinem, directionem, aut dispositionem passi-
vam: ergo.

Dico 4. Objectum formale quo Logicæ est dirigi-
bilitas, seu rectificabilitas operationum. ita iterum
iidem. Prob. Objectum hoc est ratio, seu aptitudo
objecti materialis, ob quam habitus potest circa istud
versari: sed hæc ratio respectu Logicæ est in opera-
tionibus mentis ista dirigibilitas, seu rectificabilitas:
ergo. mi. prob. ideo regulæ Logicæ versantur circa
operationes mentis, & ideo Logica eas istis applicat;
quia sunt aptæ, ut dirigantur, & ad normam syllo-
gisticam &c. rectificentur: ergo.

300. Dico 5. Objectum, seu opus totum Logicæ,
sive compositum ex objecto materiali, & formali, ni-
hil aliud involvit præter operationes mentis, & ea-
rum rectitudinem, seu rectam dispositionem. ita ple-
rique ex auctoribus supra citatis: ex hoc autem infer-
tur, nec intellectum, nec res esse partes objecti tota-
lis Logicæ. Prob. conclusio. Habito objecto materia-
li, & formali, habetur totum objectum, seu opus a
Logica intentum; quia hoc ex illis constituitur: at-
qui, habitis operationibus, & earum rectitudine, ha-
betur objectum materiale, & formale: ergo. ma. est
clara. mi. probata est *n.* 298. & 299. & potest ulte-
rius

rius probari negative; nam nulla est necessitas aliquid
aliud addendi: & hinc, qui volunt, addi debere res,
quæ per operationes mentis cognoscuntur, vel intel-
lectum, qui eas operationes recipit, deberent id po-
sitive probare: quod tamen, quia probare non pos-
sunt, eorum sententia gratis allerta merito negatur.

301. Confirm. Aristoteles 1. *Magnor. Moral. c.* 33.
sic habet: *Facientium, & agentium, non idem fa-
ctile, & actile; nam factilium præter faciuram fi-
nis supereſt alius: sicut domifactiva præter adifica-
tionem (cum sit domus effectrix) ipsius finis præter
facturam domus est . . . At in eis, quæ sub actionem
cadunt . . . præter actionem nullus est alius finis, ut
præter cytharæ modulatum finis non est alius, sed id
est finis, exercitium, & actio:* ergo in habitibus
activis, qualis est habitus cytharizandi, & habitus
logicus, præter actionem, exercitium, seu operatio-
nem, non datur alius finis, aut opus intentum a ta-
li habitu: ergo non involvuntur res, aut intellectus,
tanquam partes operis, consequenter neque tanquam
objectum materiale.

302. Nec dicas, Aristotelem hic per habitum acti-
vum non intelligere artem, qualis est Logica; cum
dicat *ibidem: Circa faciuram, & quæ in faciendo
posita sunt, ars;* nam respondeo, hæc jam præoccu-
pata esse *n.* 212. Addi potest, Aristotelem statim hic
addere: *Siquidem in faciendo potius, quam agendo
est artem exercere;* per quæ verba videtur seipsum
explicare, quod nempe tantum velit, artem ut plu-
rimum esse habitum factivum, non autem semper.
Quando autem dicit, actiones pertinere ad pruden-
tiam, non potest velle, habitus omnes activos esse
partes subjectivas prudentiæ; cum habitum cythari-
zandi inter activos numeret, qui utique non est pars
prudentiæ: sed tantum vult Philosophus, tales ha-
bitus, quorum exercitium liberum est, posse a pru-
dentia dirigi, quod etiam de habitu cytharizandi, &
habitu logico verum est.

303. Dico 6. Objectum attributionis Logicæ Ari-
stotelicæ, saltem primarium, est syllogismus menta-
lis. ita plures antiqui, & recentiores. Prob. Objec-
tum attributionis alicujus habitus ex dictis *n.* 289.
est illud, quod ex fine primario illius ultimato in-

tuitu

tenditur, & ad quod alia tanquam ad finem intrinsecum ordinantur : ita se habet respectu Logicæ Aristotelicæ syllogismus mentalis : ergo. prob. mi. imprimis Aristoteles ultimato intendit syllogismum tanquam finem ; nam 2. *Elenchor.* 8. cum dixisset, ante se neminem aliquid dixisse de syllogismis, addit, debere suos auditores ob inventum syllogismum se multa prosequi gratia : hoc est, ab iis magnas grates sibi deberi. Quod autem primario saltem intenderit Aristoteles syllogismum mentalem, probatur ex rationibus adductis *a n.* 294. *&* 298. ubi probatum est, Philosophum primario agere de operationibus mentalibus &c.

304. Prob. 2. Regulæ Logicæ Aristotelicæ omnes ultimato tendunt ad rite conficiendam formam syllogisticam, adeoque pro fine habent syllogismum : imo etiam terminos, & propositiones dirigunt, non, ut in his quiescant, sed ut syllogismus legitimus ex iis construatur : quin & in eundem finem materiam syllogismi, tam scientificam in Analiticis, quam probabilem in Topicis, Aristoteles fuse digessit, scilicet, ut quis possit, quemadmodum Philosophus ait 1. *Topic.* 1. *syllogizare de omni proposito problemate* : ergo syllogismus intenditur ultimato ex fine primario Aristotelis, ac ejus Logicæ, & ad ipsum tanquam ad finem intrinsecum alia ordinantur.

305. Intelligitur autem syllogismus, tam probabilis, quam demonstrativus ; quia uterque videtur ita intendi, ut Logica in quolibet quiescat, nec ab ea unus ordinetur ad alterum, tanquam ad finem intrinsecum ; quanquam enim aliquando videatur intendi probabilis, ut tandem perveniatur ad demonstrativum, tamen id non fit, nisi per ordination in ad istum tanquam ad finem extrinsecum ; sicut etiam vicissim quandoque intenditur demonstrativus, ut eo supposito, vel assumpta ejus conclusione, & juncta alia præmissa probabili, habeatur novus syllogismus probabilis. Accedit, quod forma in utroque syllogismo sit eadem : quæ tamen maxime, ac præcipue consideratur a Logica ; cum materiam saltem sæpius suppeditent aliæ scientiæ. Quod autem syllogismus probabilis non sit modus sciendi stricte talis, sive non sit scientificus, non refert ; nam

nam est saltem manifestatio verosimilis ignoti per notius, quod sufficit ad modum sciendi *ex num.* 56. saltem si non strictissime sumatur : id tamen facile concedo, syllogismum demonstrativum esse objectum principalitatis, ut vocant ; quia scilicet est principale opus.

306. Quod autem attinet ad syllogismum sophisticum, hic ab ipso Aristotele excluditur a numero syllogismorum ; sic enim habet Philosophus 1. *Topic.* 1. *Reliquus vero litigiosus quidem syllogismus, syllogismus autem non ; eo quod videtur quidem ratiocinari, ratiocinatur autem minime.* Similia habet 1. *Elench.* 1. unde hunc non per se intendit docere Aristoteles ; neque enim suos sectatores voluit facere contentiosos, & captiosos Sophistas : sed eos docere solutionem sophismatum, tanquam aliquid necessarium ad cavendas in discursibus fallacias ; nam, ut ait 1. *Elenchor.* 2. *Est ... sapientis, non mentiri quidem ipsum, de quibus novit : mentientem autem manifestare posse* : id est : sapientis non est, syllogismos sophisticos facere, sed eos solvere. Ex doctrina autem de solutione sophismatum per accidens quidem etiam disci potuit modus faciendi sophismata : sed id non contingit ex intentione Logicæ, aut Aristotelis : consequenter hic syllogismus non est objectum attributionis, sed ejus solutio est objectum attributum Logicæ.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

307. Objic. 1. contra 1. conclus. Aristoteles definivit solum syllogismum vocalem : ergo de hoc solo tanquam suo objecto agit. prob. ant. definivit syllogismum per orationem : atqui solus syllogismus vocalis est oratio : ergo hunc solum definivit. prob. min. oratio ex Aristotele 1. *Periherm.* 4. *est vox significativa &c.* atqui solus syllogismus vocalis est vox : ergo. Resp. neg. ant. ad prob. dist. maj. definivit syllogismum per orationem vocalem. neg. maj. per orationem generice sumptam, & saltem abstrahentem a vocali, & mentali. conc. maj. & dist.

dist. min. solus syllogismus vocalis est oratio generice sumpta. neg. min. & conseq. ad prob. min. dist. iterum eodem modo maj. & conc. min. neg. conseq. Nec obest huic responso, quod Philosophus aliquando syllogismum demonstrativum vocet orationem doctrinalem; nam *doctrina*, & *disciplina*, & *scientia*, sunt Aristoteli idem 1. *Poster.* 1. unde syllogismus doctrinalis est syllogismus scientificus, seu causans scientiam, qui scilicet formaliter per se ipsum reddit scientificum, seu *secundum quem*, *eo quod ipsum habeamus*, *scimus*, ut loquitur Philosophus citatus *num.* 296.

308. Dices. Per illam orationem definivit syllogismum Aristoteles, quam orationem etiam definivit: sed definivit tantum vocalem: ergo. Resp. dist. maj. per illam orationem definivit syllogismum, quam definivit in se. neg. maj. quam definivit in alio. conc. maj. & dist. proportionaliter min. neg. conseq. Voluit nempe Philosophus a notioribus progredi ad ignotiora; unde in prædicamentis plurima explicavit per ipsas res: in libris perihermenias sæpe egit de vocibus: at principalius postea de conceptibus: quos si aliquando explicat per aliquid nondum in se definitum, supponit, illud, vel jam aliunde notum, vel facile ex alio intelligibile.

Sic 2. *Periherm.* 4. ait: *Sunt ha, quæ sunt in voce affirmationes, & negationes, notæ earum, quæ sunt in anima:* quibus in verbis aperte supponit, dari in anima, seu mente affirmationes: quas, licet voces non sint, tamen non aliter explicat; quia supponit sufficienter cognitas, vel certe facile intelligibiles per similitudinem cum vocalibus affirmationibus, & vel ex eo, quod, ut prius *eodem cap.* docet, vocales affirmationes sequantur mentales, atque adeo eas præsupponant.

309. Et par est ratio de oratione mentali, quam etiam Philosophus supposuit sufficienter esse intelligibilem ex oratione vocali. Et certe Aristoteles etiam definitionem (quæ ab ipso vocatur *terminus*) definivit per orationem 1. *Topic.* 4. & tamen ibi intellexit orationem mentalem, quam nunquam in se definivit; nam 2. *Poster.* 2. ait: *Definitio substantiæ quædam cognitio est*: ergo non potest constitui per ora-

orationem vocalem, sed tantum per mentalem. Ex his etiam solvitur objectio desumpta ex partibus syllogismi, nempe terminis, & propositionibus, quos, vel quas tantum vocales definiverit, vel explicaverit Aristoteles; nam respondetur, partes syllogismi (qui est objectum Logicæ primarium) non debuisse necessario explicari in seipsis, sed sufficiens etiam fuisse, si fuissent explicatæ in alio.

310. Objic. 2. Aristoteles divisit solum syllogismum vocalem: ergo hic solus est ejus Logicæ objectum. prob. ant. divisit syllogismum in demonstrativum, topicum, & sophisticum: sed sophisticus stat potissimum in fallacia dictionis: topicus est disputatorius, adeoque iterum consistens in verbis: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. maj. divisio enim in syllogismum sophisticum est impropria, & analoga; nam, ut habet ipse Aristoteles, citatus *num.* 306. syllogismus sophisticus non est vere, sed tantum apparenter talis.

Dein etiam neg. min. nam syllogismus topicus etiam est mentalis; neque enim disputatio necessario consistit in verbis *ex num.* 295. neque etiam omnis syllogismus topicus est disputatorius; nam Aristoteles 1. *Topic.* 1. distinguit inter se syllogizare ex probabilibus, & disputare; cum dicat, se velle tradere methodum ita syllogizandi, ut postea possimus disputationem sustinere. Certe etiam Topicæ objectum esse operationes mentales docet communis auctoritas, quæ in hac quæstione maximi ponderis est: & consentit Aristoteles, dum 1. *Topic.* 9. ait: *Problema autem dialecticum* (id est topicum) *est speculatio:* quæ utique est operatio mentis. Quod si tamen contendas, aliquem syllogismum topicum esse vocalem, mea pace sit objectum secundarium Topicæ; nam conclusio nostra expresse loquitur tantum de objecto primario.

311. Dices 1. Aristoteles, dum in *libris Elenchorum* docet, quæ vitia possint inesse syllogismo demonstrativo, vel topico, ut possint evitari, tantum affert vitia dictionis, & similia, quæ in solo syllogismo vocali possunt reperiri: ergo agit tantum de syllogismo demonstrativo, & topico vocali. Resp. om. ant. nam videtur Aristoteles etiam admittere deceptionem

nem sophisticam mentalem, dum 1. *Elenchor. 6.* ait: *Deinde & per se ipsos decipi accidit, quando in oratione facit considerationem &c.* deceptio enim per considerationem utique est in mente.

Sed om. ant. neg. conseq. nam Aristoteles prudenter monuit, ut caveremus a fallaciis dictionum, & similibus, dum adversarii nos vocalibus syllogismis invadunt, ne ab his decepti præpostere ratiocinemur, & syllogismos mentales male apud nos ipsos faciamus, iisque per pejorem errorem assentiamur. Unde Aristoteles, ostendendo vitia syllogismi vocalis, suppeditavit medium valde utile ad rite formandos syllogismos etiam mentales: non autem voluit, syllogismum vocalem esse objectum suum primarium. Sic scilicet magister in arte saltandi quandoque facit saltus, & motus deformes, ut discipulus doceatur eos vitare: quin tales motus propterea censeantur esse opus artis.

Dices 2. Saltem Aristoteles indifferenter intendit syllogismum vocalem, & mentalem: ergo nullus est objectum primarium. prob. ant. Aristoteles tantum intendit docere artificium syllogismi, & istud in terminos, ac propositiones capaces introducere: sed artificii logici æque capaces sunt termini, ac propositiones vocales, quam mentales: ergo voluit illud æque introducere in vocales, quam mentales: ergo æque vocales sunt ejus objectum, quam mentales. Resp. neg. ant. ad prob. neg. maj. Etiam papyrus tam est capax formæ calcei, quam corium, quin sutoria intendat introducere suam formam in papyrum; quia sutor habet pro sua materia corium, non papyrum: & pariter Aristoteles, saltem non primario, vel æqualiter, intendit suum artificium introducere in terminos & propositiones vocales (dato etiam, sed nullatenus concesso, quod æqualis sit in iis aptitudo ad artificium logicum) quia Aristotelis materia, saltem primaria, est operatio mentalis, non autem voces, ex dictis *a num.* 294. & 298.

312. Objic. 3. contra 2. concluſ. Objectum materiale Logicæ debet esse distinctum a formali: sed juxta nos non esset distinctum: ergo. maj. prob. longe plures auctores assignant objectum materiale distinctum a formali: sed in hac quæstione nominis standum

dum est auctoritate: ergo. Resp. 1. neg. min. nam recta dispositio, & coordinatio propositionum in syllogismum, est distincta, saltem inadæquate, ab ipsis propositionibus, inter se realiter distinctis: sicut consonantia Musicæ est distincta, saltem inadæquate, a tonis indifferentibus ad dissonantiam, vel consonantiam. Et hæc responsio sufficit in ordine ad objectum attributionis, seu syllogismum: quia tamen videtur argumentum posse urgeri, saltem in actibus Logicæ indivisibilibus, e. g. in definitionibus, quæ etiam sunt aliquod opus totum Logicæ, & in quibus indivisibilitas excludit omnem distinctionem realem formæ a materia; hinc

313. Resp. 2. dist. maj. Objectum materiale debet esse distinctum a formali realiter. neg. maj. distinctum formaliter, sive per conceptum. conc. maj. & sic dist. min. neg. conseq. Quid sit formaliter distingui, patebit ex inferius dicendis de distinctione formali. ad prob. dist. maj. & illi auctores intelligunt per objectum, quod nos intelligimus. neg. maj. intelligunt aliquid aliud, & quidem diversi diversum. conc. maj. & om. min. (quatenus dicit, hanc esse quæstionem nominis; cum non quæratur de intelligentia verborum Aristotelis, sed potius, supposita ea intelligentia, quæratur, de quo ea verba prædicari possint) neg. conseq.

Lyncæus *l. 2. tract. 2. cap. 5.* adducit viginti sententias diversas circa objectum Logicæ, quæ tanta diversitas nasci non potuit, nisi ex diversa acceptione objecti: & certe ipse Lyncæus *lib. 2. tract. 1. cap. 2. num. 5.* a nobis discrepat in acceptione objecti formalis; per hoc enim intelligit omne, quod est proprie objectum, & ut tale ab habitu aliquo modo respicitur, & hinc admittit, etiam voces esse objectum formale inadæquatum Logicæ: quod nemo dicet, supposita nostra acceptione objecti formalis.

314. Sane complures auctores, præsertim ii, qui Logicam habitibus speculativis annumerant, ei non aliter, ac aliis scientiis, objectum assignant, nempe speculativum, non practicum, quod sit pars operis, a regulis logicis directi, vel producti, sed quod sit objectum actuum directorum a Logica: & hinc pro objecto assignant res, scilicet non pro objecto pra-

practica, sed speculativa: & sic etiam S. Thomas, quando *lect. 4. in 4. Metaphys.* docet, subjectum, sive objectum Logicæ esse ens rationis, seu res abstractive cognitas, loquitur de objecto speculativo Logicæ, sive actuum ejus directorum; quia ibi Dialecticam, seu Logicam comparat toti Philosophiæ, cujus subjectum, seu objectum ait esse ens naturæ: cum Logicæ sit ens rationis: adeoque sicut ens naturæ est objectum speculativum Philosophiæ, ita etiam ens rationis est objectum speculativum Logicæ.

315. Dices. Objectum formale debet introduci in objectum materiale, & nihil introducitur in seipsum: ergo debet esse distinctum a materiali. Resp. 1. om. totum juxta dicta *num.* 312. Resp. 2. dist. 1. p. ant. objectum formale debet introduci in objectum materiale physice, seu per introductionem physicam, & realem. neg. ant. debet introduci formaliter, seu per introductionem metaphysicam, & formalem. conc. ant. & dist. sic etiam 2. p. ant. neg. conseq. *Introductio physica* est productio formæ in subjecto realiter distincto: e. g. si ignis introducat calorem in aquam. *Introductio metaphysica* est productio formæ in subjecto formaliter tantum distincto, sive per alium conceptum aliter repræsentato. Eodem modo dicendum, objectum materiale debere præsupponi ad formale; non enim debet præsupponi physice, seu realiter, sed tantum metaphysice, seu formaliter, quatenus nempe idem objectum concipitur quasi aliquid sub aliqua formalitate prius seipso: sicut animal in homine concipitur prius rationali: sed de hac conceptione, vel distinctione formali plura inferius *a num.* 361.

Licet autem hæc introductio sit tantum improprie dicta, seu analogica, tamen communiter admittitur hic modus loquendi, sicut admittuntur alii: e. g. dicitur gradus differentialis superaddi gradui generico: item hic præsupponi ad gradum specificum: rursus dicitur genus, & differentia poni in definitione; cum ista quoque sint realiter identificata, & sibi etiam nihil possit superaddi, nec in seipso poni. Quamvis autem Logica non agat de hac introductione formaliter accepta, sive sub his formalibus terminis, agit tamen de ea realiter accepta,

pta, sive sub terminis æquivalentibus, quatenus agit de productione operationum, (quia ipsa introductio realiter sumpta nihil est aliud, quam ipsa productio) eamque per regulas dirigit, ut producantur operationes rectæ.

316. Objic. 4. Juxta nos objectum materiale Logicæ essent operationes mentis ut sic, sive præscindentes a rectitudine, & irrectitudine: sed hæ non sunt objectum Logicæ: ergo prob. min. operationes ut sic involvunt conceptum metaphysicum, de quo Logica non agit: ergo. Resp. 1. neg. maj. juxta dicta *num.* 312. Resp. 2. om. vel conc. maj. neg. min. ad prob. dist. ant. operationes ut sic involvunt conceptum metaphysicum in obliquo. conc. ant. in recto. neg. ant. & conseq. Operationes ut sic, quæ diriguntur a Logica, in recto dicunt operationes, habentes realiter rectitudinem: in obliquo autem dicunt conceptum abstrahentem a rectitudine, quæ res magis explicabitur infra *num.* 365. ubi de distinctione, & præcisione formali. Eodem modo introductio dicit in recto productionem operationum rectarum: in obliquo vero conceptum abstrahentem ab identitate rectitudinis tanquam formæ, cum operatione tanquam subjecto. Licet autem Logica non agat de illo conceptu metaphysico abstrahente, agit tamen de ipsis operationibus rectis, earumque productione, quod sufficit.

317. Dices. Operationes ut sic includunt etiam operationes irrectas: ergo etiam hæ erunt objectum Logicæ. Resp. retorq. arg. Animal ut sic includit etiam equum: ergo, si de homine prædicatur genus, seu animal ut sic, prædicatur etiam equus, consequenter ei identificatur, in forma dist. antec. operationes ut sic distributive, vel universaliter acceptæ, includunt etiam operationes irrectas. conc. ant. disjunctive tantum, & particulariter acceptæ, includunt etiam operationes irrectas, tanquam objectum verificationis, de quo loquimur. neg. antec. & conseq. Non omnes, sed aliquæ tantum operationes ut sic, sunt objectum materiale Logicæ, scilicet illæ, quæ realiter sunt rectæ. Ubi nota, regulas quasdam negativas Logicæ habere operationes irrectas pro objecto fugæ, quod hic non curatur: non

autem

autem habere eas pro objecto prosecutionis, de quo solo quærimus. Idem contingit in reliquis artibus, quæ omnes etiam habent aliquas regulas negativas.

318. Objic. 5. Vel Logica debet introducere rectitudinem in operationes irrectas, vel in rectas: in neutras potest eam introducere: ergo. prob. min. irrectæ sunt immutabiliter tales, nec possunt corrigi: rectæ jam habent rectitudinem: ergo non potest ea primum introduci. Resp. neg. min. & dico, quod rectitudinem debeat introducere in rectas. ad prob. dist. 2. p. ant. rectæ jam habent rectitudinem antecedenter. neg. ant. habent eam per ipsam introductionem, seu potius productionem, a Logica directam. conc. ant. & neg. conseq.

319. Dices. Tertia mentis operatio non est dirigibilis a Logica: ergo juxta nos non esset ejus objectum; cum tamen sit objectum attributionis. prob. ant. tertia mentis operatio, prout distinguitur a secunda, consistit in conclusione: sed hæc non est dirigibilis; quia positis, seu concessis præmissis, est necessaria: ergo. Resp. dist. ant. tertia mentis operatio ut distincta a secunda non est dirigibilis immediate in se ipsa. om. ant. non est dirigibilis mediate in alio, nempe in præmissis. neg. ant. & conseq. Dixi om. ant. quia infra negabimus, necessariam esse conclusionem in syllogismo probabili: item videtur etiam sæpe liberum esse, ut potius inferatur conclusio directa, quam indirecta, & vicissim.

Difficultas major videtur esse circa primam mentis operationem, seu simplicem apprehensionem: sed distingui debent operatio omnium prima, quæ prævertit omnem advertentiam: & alia non omnium prima, quæ jam subjacet alicui advertentiæ rationis; hæc enim a Logica dirigibilis est; quia potest fieri clarior loco obscurioris, definitiva loco non definitivæ &c. neque enim tota perfectio hujus operationis habetur a speciebus claris, vel non claris, sed etiam a directione Logicæ; cum e. g. possint dari species rei valde claræ, quin sequatur apprehensio definitiva &c.

320. Objic. 6. contra 5. conclusionem, qua intellectus, & res excluduntur a ratione objecti Logicæ: incipio autem ab objectionibus, quæ pro intellectu

possunt

possunt adduci. Illud totum est objectum habitus, quo habito quiescit, & quo non habito non quiescit habitus: sed habito intellectu recte operante quiescit habitus Logicæ, & non habito intellectu recte operante non quiescit: ergo intellectus est objectum Logicæ. Hoc argumento potest eodem modo probari, res esse objectum, modo substituatur hæc alia minor: sed habitis rebus recte cognitis quiescit &c. Idem argumentum potest fieri de arte pictoria, quæ etiam non est contenta, nisi artifice recte operante, & rebus recte depictis; ex quo fieri potest aperta retorsio argumenti.

Resp. dist. 2. p. ma. quo non habito non quiescit habitus formaliter. conc. ma. quo non habito tantum non quiescit arguitive. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Habitus practicus non est contentus formaliter, illo non habito, quod regulæ formaliter intendunt, tanquam finem intrinsecum, seu opus suum: quod respectu Logicæ sunt operationes rectæ. Habitus autem practicus non est contentus arguitive, illo non habito, ex quo non habito primum arguitur, sive sequitur, quod non habeatur illud, quod regulæ tanquam finem, seu opus intendunt: & sic, si intellectus non bene operetur, aut res non, saltem formaliter, recte cognoscantur, arguitur, sive sequitur, quod non dentur operationes rectæ, quas regulæ requirunt. Dixi *saltem formaliter*; nam non videntur regulæ omnes, præsertim Topicæ, requirere veritatem materialem; unde videtur Logica esse contenta quandoque rebus etiam materialiter male cognitis, & intellectu materialiter male operante.

321. Ob. 7. Subjectum formæ artificialis, ab habitu introducendæ, debet esse physicum: sed nullum datur subjectum physicum formæ Logicæ, quam intellectus: ergo hic est subjectum formæ Logicæ: sed hoc subjectum est objectum materiale: ergo. prob. ma. si sufficit subjectum metaphysicum, seu tantum formaliter distinctum, tunc etiam poterit dici, quod in pictoria subjectum, seu objectum materiale, sit dispositio colorum ut sic, rectitudo autem dispositionis sit objectum formale; hoc est contra communem: ergo.

Resp. 1. neg. mi. nam *n.* 312. jam ostendimus, in

syllogismo, (qui est opus ultimo intentum a Logica ejusque objectum attributionis) dari distinctionem aliquam physicam inter subjectum, seu objectum materiale, & formale. Si autem argumentum velit, quod debeat objectum materiale semper, aut adæquate, esse distinctum a formali, Resp. 2. neg. ma. nam, licet hoc concedatur in habitibus factivis, non debet concedi in activis; nam in factivis loquuntur regulæ de tali opere, quod involvit materiam ita distinctam: e.g. regulæ pictoriæ loquuntur tanquam de suo opere, non tantum de dispositione colorum, sed de tota pictura, quæ involvit colores indifferentes, & distinctos a forma, seu dispositione colorum.

322. Rursus ex modo loquendi artificum idem colligitur; nam in factivis pictor e. g. ait, suum opus esse picturam, & sutor calceum: quæ opera involvunt materiam, & formam distinctam. At vero in activis cytharœdus e. g. non ait, suum opus esse aerem benesonantem, sed tantum pulsationem cytharæ, & musicus ait, suum opus esse, non guttur cantans, sed cantum rectum: in quibus objectum materiale, & formale non semper, aut adæquate, sunt realiter distincta. Similiter Logicus dicit, suum opus esse, non intellectum recte operantem, sed rectam operationem.

Addo, hic non non tam attendendum esse ad distinctionem objecti formalis a materiali, quam ad permanentiam, aut transitum totius operis, sive ad id, quod totum opus habituum activorum sit nihil aliud, quam exercitium, & actio; in hoc enim Aristoteles citatus *num.* 301. potissimum discrimen ponit inter habitus factivos, & activos. Unde, cum etiam Logica sit ars activa, totum ejus opus non est aliquid post exercitium permanens, sed est solum ejus exercitium, & actio: atqui intellectus non est pars exercitii, & actionis, adeoque neque est pars operis logici, nec objectum materiale.

323. Ob. 8. Illud est objectum materiale, quod perficitur, & immutatur a formali: sed ab isto perficitur, & immutatur intellectus: ergo. Confir. Illud est objectum materiale, in quod introducitur formale: sed hoc introducitur a Logica in intellectum: ergo.

ergo. prob. mi. in intellectum introducitur operatio recta: sed hæc est objectum formale: ergo. prob. mi. quod fit ab arte, vel habitu, est tantum forma, seu objectum formale: sed operatio recta fit ab arte logica: ergo. Resp. dist. ma. illud est objectum materiale, quod perficitur, vel immutatur a formali tantum. conc. ma. a toto opere. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Intellectus perficitur ab operatione recta, quæ se sola est totum opus Logicæ.

Ad confir. eodem modo dist. ma. & mi. & neg. conseq. ad prob. mi. dist. iterum mi. operatio recta est objectum formale tantum, neg. mi. est totum opus conc. mi. & neg. conseq. ad prob. min. dist. ma. quod fit, id est, de novo producitur ab habitu factivo, est tantum forma, seu objectum formale. om. vel conc. ma. quod fit, vel producitur ab habitu activo. neg. ma. & dist. mi. & Logica est habitus factivus. neg. mi. est activus. conc. mi. & neg. conseq.

324. Ob. 9. Intellectus disponitur a Logica in ordine ad operationes rectas: sed quod disponitur ab habitu, est objectum materiale: ergo. prob. ma. intellectus rudis sæpe habet species ineptas, & contrarias regulis Logicæ, & hæ expelluntur a Logica, & introducuntur aptiores, atque sic disponitur intellectus: ergo. Resp. dist. ma. intellectus disponitur ut artifex. conc. ma. formaliter ut subjectum receptivum. neg. ma. & dist. proportionaliter mi. neg. conseq.

Ad prob. ma. conc. ant. & sub priori distinctione conc. vel neg. conseq. Ineptæ istæ species, seu indispositiones, sunt nihil aliud, quam prava intelligentia terminorum, seu regularum, quæ sunt formaliter indispositiones artificis: & hoc contingit in omni arte; nam in omni arte debet ex intellectu expelli mala intelligentia terminorum &c. imo debet etiam intellectus a regulis attingi, & dirigi; ut artifex, ad quem diriguntur regulæ: quin propterea intellectus sit objectum materiale omnium artium. Quia autem in Logica artifex, & subjectum totius operis, sunt realiter idem, eo ipso, quod disponatur artifex, disponitur etiam per accidens subjectum: &, si hoc per accidens jam dispositum est, non est necesse, ut iterum per se disponatur.

325. Dices, Si per impossibile in intellectu potentia productiva esset distincta a potentia receptiva, tamen deberet etiam ista disponi: ergo debet etiam nunc per se disponi. Resp. 1. neg. conseq. Logica non debet tradere regulas pro casu impossibili. Resp. 2. neg. ant. non enim deberet potentia receptiva operis disponi per se ex intentione Logicæ; cum Logica ex fine suo intrinseco non petat operationes recipi, sed tantum produci. Accedit, non sufficere, ut aliquid sit objectum materiale, ejus quamlibet dispositionem; nam quandoque aliqua aliquo modo disponuntur ab arte, vel artifice, quæ tamen, quia non sunt pars operis, neque sunt objectum materiale: sic scriptor disponit calamum, & chartam, & pictor telam, quin ista sint objectum materiale artis scriptoriæ, vel pictoriæ.

Ex quo colligitur, ad hoc, ut subjectum sit etiam objectum materiale alicujus habitus, non sufficere, ut quomodocumque realiter sumptum disponatur ab artifice, vel regulis illius habitus, sed requiri, ut disponatur formaliter sumptum per speciales dispositiones, quæ non sint dispositiones artificis, ut fit in artibus factivis: sic e. gr. pictoria disponit colores, non per explicationem terminorum, aut regularum, quæ concernit artificem, sed per certam attritionem, mixtionem &c. quæ concernit colores ut formaliter tales.

326. Ob. 10. Ethica habet pro objecto materiali animam, seu voluntatem: ergo Logica intellectum. ant. prob. Aristoteles id docet 1. *Ethic.* 13. ergo. Resp. 1. om. ant. neg. conseq. Si antecedens est verum, debet Ethica habere regulas directe, & explicite loquentes, de voluntate tanquam de objecto, quales tamen regulas non habet Logica de intellectu. Resp. 2. neg. ant. Aristoteles, si bene legatur, non loquitur ullo modo de objecto practico Ethicæ, sed de objecto tantum remoto, aut speculativo.

Nam loquitur de virtutibus, quarum aliquas dicit esse intellectuales, alias morales. quæ utique non sunt objectum Ethicæ practicum: & multo minus tale objectum est anima; hinc non ait, Ethicam, seu, ut vocat, civilem debere practice cognoscere animam: sed ait: *Contemplandum igitur etiam civili homini de anima est*: hoc est: speculative considerandæ est natura animæ, & quidem, ut addit: *Id horum causa, & quatenus satis est ad ea, quæ hic quæruntur*: scilicet, ut bene cognoscantur virtutes, de quibus *ibidem* paulo ante dicit: *Perspicuum est, civilem, quæ ad animam spectant, quodammodo cognoscere oportere*: sicut scilicet artifex frænofactorius debet contemplari equum, cui frænum debet aptari. Nec dicas, *ibidem* Aristotelem addere: *Medici multa circa cognitionem corporis pertractant*: nam reponitur, etiam istos habere plurimas speculationes circa corpus humanum.

227. Ob. 11. pro rebus tanquam objecto materiali Logicæ. Juxta Aristotelem Dialecticus agit de rebus omnibus: ergo res sunt objectum Dialecticæ, seu Logicæ. Confir. Objectum Logicæ est veritas: sed hæc involvit non tantum cognitiones, sed etiam ipsas res: ergo. Resp. dist. ant. Dialecticus agit de rebus omnibus per actus directos, tanquam de objecto speculativo. conc. ant. agit per actus elicitos, sive per regulas, tanquam de objecto practico. neg. ant. & conseq. Sic etiam orator agit de rebus omnibus, (nam de omnibus orationes habere potest.) quin tamen res omnes sint objectum materiale Rhetoricæ. Ad confir. dist. ma. objectum Logicæ est veritas concretive, vel quidditative accepta. neg. ma. est veritas denominative accepta. conc. ma. & dist. proportionaliter mi. neg. conseq.

Concretum accipitur concretive, vel quidditative, quando accipitur secundum omnes partes: e. g. pœna justa, seu conformis delicto, concretive accepta, dicit non tantum pœnam, sed etiam delictum: at denominative accepta dicit tantum id, quod venit in recto, seu quod accipit denominationem, estque sola pœna; nam hæc sola denominatur justa, non autem delictum. Pariter veritas, seu cognitio, aut propositio conformis rei, si concretive accipiatur, dicit etiam rem: si autem accipiatur denominative, tantum dicit cognitionem, vel propositionem: & hæc sola est objectum Logicæ; alias eodem modo posset probari, regulas esse objectum sui ipsarum; nam etiam objectum regularum est operatio conformis regulis; ad talem enim regulæ dirigunt.

328. Ob. 12. Aristoteles in prædicamentis agit de rebus omnibus: ergo istæ sunt objectum Logicæ. Confir. Logica conformat conceptus rebus: ergo res sunt ejus objectum. Resp. neg. conseq. Non omne id, de quo habitus in ordine ad alia tractat, est ejus objectum proximum & practicum: sed ad summum est aliquod objectum remotum, seu speculativum, ut patet *ex nu.* 326. Ad confir. om. ant. ob dicta *n.* 320. dist. conseq. ergo res sunt ejus objectum remotum, seu speculativum. conc. conseq. sunt ejus objectum practicum. neg. conseq. Eodem modo pictoria conformat imaginem e. g. homini, & frænofactoria frænum equo, quin homo, aut equus, sint objecta practica istarum artium.

329. Ob. 13. Illud est objectum materiale Logicæ, per quod inter se differunt syllogismus demonstrativus, & topicus, seu opus Analiticæ, & Topicæ, sed hoc sunt res: ergo. Confir. Res a Logica per cognitionem saltem extrinsece immutantur, licet non intrinsece perficiantur: ergo possunt esse objectum Logicæ. Resp. om. ma. neg. mi. Isti syllogismi differunt intrinsece per certitudinem, & evidentiam, non per res. Ad confir. neg. conseq. Non sufficit quævis talis immutatio extrinseca ad objectum practicum; alias etiam pictoria pro objecto haberet omnes res, quas depingendo etiam extrinsece immutat.

330. Ob. 14. Ens rationis est objectum Logicæ: sed hoc involvit res omnes: ergo. Resp. dist. ma. ens rationis physicum est objectum Logicæ. om. ma. ens rationis metaphysicum, vel logicum, concretive, seu totaliter sumptum. neg. ma. & dist. mi. ens rationis physicum, vel metaphysicum involvit res omnes. neg. mi. ens rationis logicum. om. mi. & neg. conseq. *Ens rationis metaphysicum* est ens, quod non potest existere, sed tantum cognosci, vel in se, vel in alio, adeoque non potest habere esse physicum, seu reale, sed tantum esse objectivum, sive aliquo modo in intellectu per aliquam cognitionem. *Ens rationis physicum* est operatio producta a ratione, seu intellectu, *Ens rationis logicum* est terminus secundo intentionalis.

Per istum terminum nostri communiter intelligunt concretum ex re cognita, & cognitione: quid Scotistæ

tistæ intelligant, vel etiam Thomistæ, non est hujus loci examinare: dicemus tamen hac de re obiter aliquid inferius *n.* 656. Jam objectum Logicæ est ens rationis physicum, seu operatio mentis, saltem omnis illa, quæ dirigibilis est ab ejus regulis: item ens rationis logicum est ejus objectum, non quantum ad rem cognitam, sed quantum ad ipsam cognitionem: & eodem fere modo objectum Logicæ est etiam ens rationis metaphysicum, non quantum ad objectum, seu id, quod habet tantum esse objectivum: sed quantum ad cognitionem ejus, in quantum hæc dirigitur a regulis Logicæ.

331. Ob. 15. Idem est objectum instrumenti, & habitus, qui utitur instrumento: sed Logica est instrumentum habituum scientificorum, & horum objectum sunt res: ergo res etiam sunt objectum Logicæ. Confir. Idem est objectum habitus, & principiorum ejus: sed objectum principiorum Logicæ, quæ sunt: *Dictum de omni*; *Dictum de nullo*: vel, si vis, etiam: *Quæcumque sunt eadem uni tertio &c.* sunt res omnes: ergo res omnes etiam sunt objectum Logicæ. Resp. neg. ma. intellectam de objecto immediato, & practico; nam e. g. ars fabrilis est instrumentum multarum artium (sicut Logica scientiarum) quibus scilicet parat instrumenta, quæ tamen habeat idem objectum practicum cum arte lignaria, vel architectonica.

Ad confirm. iterum neg. ma. intellectam de objecto totali; nam principia, præsertim metaphysica habent objectum multo latius, quam habeat Logica: sicut etiam intellectus tanquam potentia multo latius habet objectum, quam habeant ejus habitus, etiam Logica: scilicet principia hæc vagantur per omnes scientias, & sunt applicabilia eorum objectis. Ratio etiam ulterior est, quod principium quodlibet sit præmissa universalis: regula autem sit conclusio inde deducta: hæc autem non debet semper esse æque universalis, ac quælibet præmissa: imo sæpe ratione alterius præmissæ additæ non potest esse ita universalis.

332. Ob. 16. Regulæ ipsæ Logicæ loquuntur de rebus: ergo res sunt objectum materiale Logicæ. prob. ant. hæ regulæ: *Definitio debet explicare natu-*

ram rei: Definitio debet esse convertibilis cum definito: loquuntur de rebus: ergo. Resp. dist. ant. regulæ loquuntur de rebus tanquam de objecto practico. neg. ant. loquuntur de iis tantum quomodocumque. om. ant. & neg. conseq. ad prob. eodem modo dist. ant. & conseq. Prior regula habet hunc sensum: *Definitio debet esse explicatio conformis naturæ rei:* adeoque practice in recto attingit solam explicationem, seu conceptum: rem autem tantum attingit in obliquo, & remote, seu speculative: sicut scilicet etiam regula pictoriæ dicit: *Imago debet esse conformis rei depictæ.*

Altera regula habet hunc sensum: *Definitio formalis debet esse representatio objecti convertibilis cum objecto definiti formalis:* ubi iterum objectum, seu res, tantum venit in obliquo, tanquam objectum remotum, & speculativum. Quod autem regula hunc sensum faciat, colligitur ex eo, quod alias practica non esset, nec ad opus dirigeret; nam definitio objectiva vel definitum objectivum, non fit a Logica, sed præsupponitur: fit autem cognitio, vel representatio: seu fit cognitio repræsentative, ut ajunt, convertibilis cum definito.

DISPUTATIO II.

De Identitate, & Distinctione.

333. EXplicatis prima disputatione iis, quæ ad Logicæ prolegomena spectant, ante quæstiones alias, Dialecticæ magis proprias, locus dari hic statim solet disputationi de identitate, & distinctione, quæ ex Metaphysica huc transfertur, ex more jam recepto, & merito introducto; quia, ut jam diximus n. 195. non potest quis, nisi valde difficulter plura argumenta contraria solvere, & præsertim non potest sequentia de universalibus &c. rite intelligere, si non præcesserit notitia de unitate, & multiplicitate, identitate, & distinctione; cum enim ipsum universale sit unum, & multiplex, non poterit istud scientifice cognosci ab eo, qui non prius penetraverit, quid sibi hi termini velint.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

De Unitate, & identitate.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Unitas.

334. SUarez *tom.* 1. *Metaphys. disp.* 4. 5. & 6. latissime hanc rem pertractat: nos breviter, quæ necessaria sunt, perstringimus. Aristoteles 5. *Metaphys. text.* 11. sic habet: *Unum ea dicuntur, quorum ratio, quod quid erat esse dicens, indivisibilis ad aliam est, quod quid erat esse rei significantem:* id est: illa sunt unum, quæ habent eandem indivisibiliter definitionem: sed hæc unitas est tantum specifica, qua ratione Petrus, & Paulus sunt unum specie: quin S. Thomas *lect.* 7. *in* 5. *Metaphys. in hunc locum* ait, bovem, & equum esse unum genere: quod verum est; habent enim unitatem aliquam, seu convenientiam in genere, sive in animalitate; quamvis forte non habeant unitatem ab Aristotele hic descriptam; cum non conveniant in tota ratione quidditativa, quæ est species.

335. Paulo autem inferius addit Philosophus descriptionem, seu definitionem unitatis magis universalem, dum ait *eod. text. Universaliter namque, quotcumque non habent divisionem, quatenus non habent, eatenus unum dicuntur:* ex quo textu communiter inferunt, quod *unitas formalis* sit *indivisio rei in plura ejusdem rationis;* unde, si unitas est individualis, est indivisio rei in plura ejusdem rationis individua: sic Petrus est unus homo; licet enim sit divisibilis in corpus, & animam, non tamen est divisibilis in plures homines.

Hinc *Unum* communiter definitur *indivisum in se, & divisum a quolibet alio:* quanquam posteriores particulæ videri possint non necessariæ; si enim est indivisum, hoc est, indistinctum in se, necessario debet esse divisum, seu distinctum ab alio ejusdem rationis (alias enim esset divisibile, seu distinguibile in duo ejusdem rationis) atque adeo indivisum in

ram rei: Definitio debet esse convertibilis cum definito: loquuntur de rebus: ergo. Resp. dist. ant. regulæ loquuntur de rebus tanquam de objecto practico. neg. ant. loquuntur de iis tantum quomodocumque. om. ant. & neg. conseq. ad prob. eodem modo dist. ant. & conseq. Prior regula habet hunc sensum: *Definitio debet esse explicatio conformis naturæ rei:* adeoque practice in recto attingit solam explicationem, seu conceptum: rem autem tantum attingit in obliquo, & remote, seu speculative: sicut scilicet etiam regula pictoriæ dicit: *Imago debet esse conformis rei depictæ.*

Altera regula habet hunc sensum: *Definitio formalis debet esse representatio objecti convertibilis cum objecto definiti formalis:* ubi iterum objectum, seu res, tantum venit in obliquo, tanquam objectum remotum, & speculativum. Quod autem regula hunc sensum faciat, colligitur ex eo, quod alias practica non esset, nec ad opus dirigeret; nam definitio objectiva vel definitum objectivum, non fit a Logica, sed præsupponitur: fit autem cognitio, vel representatio: seu fit cognitio repræsentative, ut ajunt, convertibilis cum definito.

DISPUTATIO II.

De Identitate, & Distinctione.

333. EXplicatis prima disputatione iis, quæ ad Logicæ prolegomena spectant, ante quæstiones alias, Dialecticæ magis proprias, locus dari hic statim solet disputationi de identitate, & distinctione, quæ ex Metaphysica huc transfertur, ex more jam recepto, & merito introducto; quia, ut jam diximus n. 195. non potest quis, nisi valde difficulter plura argumenta contraria solvere, & præsertim non potest sequentia de universalibus &c. rite intelligere, si non præcesserit notitia de unitate, & multiplicitate, identitate, & distinctione; cum enim ipsum universale sit unum, & multiplex, non poterit istud scientifice cognosci ab eo, qui non prius penetraverit, quid sibi hi termini velint.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

De Unitate, & identitate.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Unitas.

334. SUarez *tom.* 1. *Metaphys. disp.* 4. 5. & 6. latissime hanc rem pertractat: nos breviter, quæ necessaria sunt, perstringimus. Aristoteles 5. *Metaphys. text.* 11. sic habet: *Unum ea dicuntur, quorum ratio, quod quid erat esse dicens, indivisibilis ad aliam est, quod quid erat esse rei significantem:* id est: illa sunt unum, quæ habent eandem indivisibiliter definitionem: sed hæc unitas est tantum specifica, qua ratione Petrus, & Paulus sunt unum specie: quin S. Thomas *lect.* 7. *in* 5. *Metaphys. in hunc locum* ait, bovem, & equum esse unum genere: quod verum est; habent enim unitatem aliquam, seu convenientiam in genere, sive in animalitate; quamvis forte non habeant unitatem ab Aristotele hic descriptam; cum non conveniant in tota ratione quidditativa, quæ est species.

335. Paulo autem inferius addit Philosophus descriptionem, seu definitionem unitatis magis universalem, dum ait *eod. text. Universaliter namque, quotcumque non habent divisionem, quatenus non habent, eatenus unum dicuntur:* ex quo textu communiter inferunt, quod *unitas formalis* sit *indivisio rei in plura ejusdem rationis;* unde, si unitas est individualis, est indivisio rei in plura ejusdem rationis individua: sic Petrus est unus homo; licet enim sit divisibilis in corpus, & animam, non tamen est divisibilis in plures homines.

Hinc *Unum* communiter definitur *indivisum in se, & divisum a quolibet alio:* quanquam posteriores particulæ videri possint non necessariæ; si enim est indivisum, hoc est, indistinctum in se, necessario debet esse divisum, seu distinctum ab alio ejusdem rationis (alias enim esset divisibile, seu distinguibile in duo ejusdem rationis) atque adeo indivisum in

se, seu indivisibile, necessario excludit identitatem cum aliis, & e contra includit divisionem, seu distinctionem ab aliis. Ubi addendum, hanc divisionem non excludere unionem cum alio, sed tantum identitatem; nam, licet inter se sint uniti duo palmi, e. g. ejusdem ligni, tamen quilibet palmus est individuus palmus, seu indivisus in se, & divisus a quolibet alio, in ea significatione, in qua hi termini hic accipiuntur.

336. Jam multiplex est unitas: sed breviter tantum affero eas unitates, quæ hic necessario afferendæ videntur. Itaque est 1. *Unitas generica*, quando scilicet aliqua conveniunt, seu suo modo unum sunt in eodem genere, ut homo, & equus, qui conveniunt in genere animalis. 2. *Unitas specifica*, quando aliqua conveniunt omnino in eadem specie, ut Petrus, & Paulus in specie humana. 3. *Unitas individualis*, seu *numerica*, per quam quodlibet ens est individuum, ab omnibus aliis numero distinctum. 4. *Unitas transcendentalis*, quæ convenit omni enti, & realiter est etiam unitas individualis; nam omne ens est aliquod individuum ab aliis distinctum. 5. *Unitas fundamentalis*, quæ datur inter plura, præbentia fundamentum ad hoc, ut per aliquam formam denominentur unum. 6. *Unitas formalis*, quæ est aliqua forma denominans unum, sive unum generice, sive specifice, sive individualiter &c. quæ magis patebunt ex dicendis infra de universali.

337. Ob. 1. Obscurius est, quid sit indivisum, quam, quid sit unum: ergo mala est definitio unitatis; quia non est clarior definito. Confir. Unitas, vel unum, est terminus transcendentalis: ergo non habet supra se genus: ergo non potest definiri. Resp. neg. ant. nam, licet omnes ruditer sciant, quid sit unum, non id sciunt scientifice, seu per conceptum scientificis demonstrationibus aptum, qualis conceptus est nostra definitio, quique conceptus utique est evidentior, & clarior; nec enim quod facilius capitur, est clarius semper, sed tantum tunc, quando cætera sunt paria; alias potest magis esse clarum, quod, etsi aliquanto difficilius perceptum, magis illustrat intellectum, & pleniorem rei notitiam ingerit. Ad confirm. conc. 1. enthym. dist. ult. consq. ergo non potest unitas definiri definitione omnino stricte dicta. om. consq. definitione latius dicta, quæ servet regulas maxime necessarias. neg. consq.

338. Ob. 2. Unitas est aliquid positivum, & indivisivum est aliquid negativum: sed male definitur aliquid positivum per negativum: ergo. Confir. Nos definimus unitatem in ordine ad divisionem, seu pluralitatem, & vicissim pluralitatem in ordine ad indivisionem, seu unitatem: ergo facimus circulum vitiosum. Resp. neg. 2. p. ma. licet enim indivisio sit negatio logica, hoc est, explicetur per terminum aliquem negativum, sicut infinitas, & immaterialitas, tamen non est negatio physica, sive nihil, sed positiva perfectio entis.

Ad confir. Resp. 1. neg. ant. non enim per divisionem, sed per indivisionem definimus unitatem. Aliud est, quod hanc ipsam indivisionem, tanquam negationem divisionis, debeamus aliquando ulterius explicare in ordine ad divisionem, seu pluralitatem, & vicissim divisionem in ordine ad unitatem; hoc enim contingit in omnibus relativis: sic pater non potest explicari, nisi in ordine ad filium, nec filius, nisi in ordine ad patrem, nec servus, nisi in ordine ad dominum, nec dominus, nisi in ordine ad servum.

339. Resp. 2. dist. ant. definimus unitatem in ordine ad pluralitatem ruditer cognitam, & vicissim pluralitatem in ordine ad unitatem jam perfecte cognitam. conc. ant. definimus unitatem in ordine ad pluralitatem jam perfecte cognitam. neg. ant. & consq. Cuilibet, antequam perfecte sciat, quid sit unum, jam aliquo modo notum est, quid sint plura, nempe ruditer, & sub conceptu alicujus divisionis, qui maxime sub sensus cadit. Et hæc explicatio non est circulus proprie vitiosus; quia non explicantur duo per se invicem eodem modo cognita: neque talis explicatio mutua, ut jam dictum, est evitabilis in explicandis pluribus relativis, vel sibi invicem oppositis, qualia etiam sunt unum, & multa. Ne autem dicas, sic explicari obscurum per obscurum, sciendum est, posse aliquid clare cognosci, quin clare cognoscantur omnia, in ordine ad quæ explicatur: sic clare potest cognosci creatura,

quæ debet explicari in ordine ad creatorem, seu Deum, quin clare cognoscatur creator, sive Deus.

ARTICULUS II.

Quid, & Quotuplex sit Identitas.

340. *Identitas* derivatur a nomine *idem*: & quæ habent identitatem, idem esse dicuntur. Definitur autem a quibusdam *identitas*, quod sit *unitas summa fundans consensum in omni prædicato*: at hæc definitio non complectitur identitatem in divinis; nam e. g. Pater, & natura divina sunt realiter idem, quin habeant consensum in omni prædicato; cum Pater nec sit communicabilis Filio, nec sit Filius, & tamen utrumque sit natura. Hinc alii dicunt, debere fundare *consensum in omni perfectione*; sed juxta graves Theologos personalitates divinæ sunt perfectiones, & in his natura non habet consensum, respectu cujuslibet Personæ (nam verum est: *Natura est Pater*: non autem: *Filius est Pater*) & tamen Filius, & natura sunt realiter idem.

341. Dico. *Identitas* in creatis recte definitur *affirmabilitas determinata unius de altero in recto*. Si hæc definitio extendenda sit ad identitatem in divinis, addendæ erunt sequentes hæ particulæ *vel in concreto, vel saltem in abstracto metaphysice accepto*. Dicitur *affirmabilitas determinata*; nam indeterminate, seu disjunctive potest etiam affirmari non identificatum, e. g. irrationale de homine; vera enim est propositio: *Homo est animal, vel rationale, vel irrationale*. Dicitur *in recto*: id est, in nominativo; nam, quæ tantum affirmantur, vel prædicantur in obliquo, sæpe nec sunt unita, minus identificata: e. g. si dico: *Petrus est indutus veste*: vestis nec est unita, minus identificata Petro.

Particulæ *in concreto, vel saltem in abstracto metaphysice accepto*, seu his æquivalentes *adjective, vel substantive*, ut dictum, adjici debent propter identitatem in divinis; cum enim ista admittat quoad aliqua prædicata distinctionem virtualem intrinsecam, non semper exigit, posse aliquid affirmari in concreto, vel adjective, sed sufficit, si affirmetur in abstracto metaphysico, seu substantive: e. g. natura divina non potest adjective, vel concretive, affirmari esse *generans*: potest tamen substantive, vel in abstracto metaphysico, affirmari esse *generatio*. Sed hæc pluribus discutienda relinquimus Theologis; quia tantum loquimur de identitate in creatis: & hinc de istis particulis deinceps mentionem non faciemus, sed bonitatem definitionis identitatis in creatis, omissis istis particulis, probabimus.

342. Prob. igitur conclusio, & definitionis bonitas sic. Identitas est ratio formalis, propter quam res est hæc res, quæ est: sed hæc ratio formalis est dicta affirmabilitas: ergo. prob. mi. est commune axioma: *Dici sequitur ad esse*: ergo. Confir. Si Petrus est filius Pauli, potest de eo affirmari, quod sit filius Pauli: &, si hoc potest de eo vere affirmari, debet ipse esse filius Pauli, aut deberent alias verificari prædicata contradictoria, quæ in creatis, ut infra videbimus, non sunt admittenda: ergo identitas, & affirmabilitas, sunt mutuo convertibiles, adeoque idem.

343. Est autem alia *identitas adæquata*, seu totius cum toto, aut totius cum omnibus partibus simul sumptis: sic identificatur homo cum animali rationali, vel cum complexo ex anima, corpore, & unione: alia est *identitas inadæquata*, seu totius cum parte: sic identificatur homo cum anima, præter quam adhuc alias partes, nempe corpus, & unionem involvit, adeoque totus homo non est sola anima: sed hæc est tantum partialiter, seu inadæquate homo. Omnis autem identitas inadæquata simul est distinctio inadæquata totius a parte, & distinctio adæquata partium inter se, ut consideranti patebit.

344. Ob. 1. Affirmabilitas est tantum prædicatum secundarium: ergo male per illud definitur identitas. Confir. Ubi datur identitas, tantam datur unum: ergo non est affirmabilitas duorum. Resp. om. ant. quia posset dici, hoc prædicatum respectu Logicæ esse primarium. neg. conseq. Sufficit, quod prædicatum sit clarius definito, & conveniat omni, & soli: quidquid sit de aliis minutiis logicis. Ad confirm. dist. ant. datur tantum unum realiter. conc. ant. datur tantum unum formaliter. neg. ant. & conseq. dum enim

eadem

eadem res diversis conceptibus repræsentatur, aliquo modo extrinsece apparet duplex, seu quasi essent duæ.

345. Ob. 2. Negationes sunt de se invicem affirmabiles, & tamen non datur inter eas identitas: ergo affirmabilitas non est identitas. prob. 2. p. ant. in negationibus non datur entitas: ergo neque identitas, quæ est eadem entitas. Confir. Personæ divinæ habent identitatem in natura: & tamen non sunt de se invicem affirmabiles in recto: ergo. Resp. neg. 1. p. ant. Negationes stricte loquendo non sunt de se affirmabiles tanquam duo; quia, cum nihil sint, non sunt unum & alterum, aut etiam tantum formaliter duo.

Unde, quidquid sit de eo, an affirmabilitas sit terminus supertranscendentalis, an non, saltem negationes stricte loquendo non sunt affirmabiles, ut requiritur ad identitatem. Dixi *stricte loquendo*; nam si latius, vel minus proprie loqui velumus, sicut possumus, eas de se invicem affirmare, ita etiam minus proprie dicere poterimus, eas esse inter se identificatas: ex quibus etiam patet responsio ad probationem.

Ad confir. dist. 1. p. ant. Personæ divinæ habent in natura identitatem, immediate ipsas inter se identificantem. neg. ant. habent identitatem mediatam, & eas tantum in tertio identificantem. conc. ant. & dist. etiam 2. p. ant. non sunt de se invicem affirmabiles immediate. conc. ant. non sunt affirmabiles mediate, sive in tertio, de quo immediate affirmantur. neg. ant. & conseq.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Distinctione.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Distinctio Realis, & quæ ejus Signa.

346. IDentitati superiore articulo explicatæ opponitur distinctio; unde etiam habet oppositam definitionem, & sicut illa dicitur affirmabilitas,

tas, ita ista dicitur *negabilitas*: intelligenda est autem negabilitas logica, id est, aptitudo, ut per formalem negationem logicam, seu per propositionem negativam, unum de altero negetur; quamvis enim distinctio, præsertim realis, sit negatio physica, utpote negatio identitatis, seu unitatis, quæ est aliquid positivum *ex n.* 338. tamen hæc ipsa negatio est fundamentum, ex quo Logicus postea unum de altero negat: tale autem fundamentum negandi, ut patet cuique consideranti, est negabilitas logica.

Varia autem genera distinctionum ab auctoribus adstruuntur; nam alia dicitur *distinctio realis*, alia *formalis*, alia *virtualis major*, alia *virtualis minor*, alia *Scotistica*, alia *Thomistica* &c. plures quoque ex his iterum habent suas subdivisiones, de quibus omnibus hac quæstione agendum, sed successive: modo de distinctione reali.

347. Dico 1. *Distinctio realis* recte definitur *negabilitas determinata unius de altero in recto, tam in concreto, quam in abstracto metaphysico*. Dicitur *negabilitas determinata*; indeterminate enim potest etiam negari aliquid identificatum, e. g. de homine rationale; nam *ex num* 75. vera est hæc propositio: *Homo vel non est animal rationale, vel non est animal irrationale*. Dicitur *in recto*; quia, licet aliquid sit negabile in obliquo, non sequitur necessario esse distinctum: sic vera est propositio: *Petrus non est exclusivus rationalitatis*: & tamen rationalitas est identificata Petro. Reliquæ particulæ *tam in concreto, quam in abstracto metaphysico*, additæ sunt propter identitatem in divinis, proportionaliter ad dicta *numer.* 341. Quia tamen ut Philosophi tantum agimus de creatis, etiam in probatione hujus conclusionis, earum particularum rationem non habebimus.

348. Prob. hæc definitio, sicut definitio identitatis *n.* 342. Distinctio est ratio formalis, ob quam hæc res determinate non est illa altera res: sed hæc ratio est dicta negabilitas: ergo. prob. mi. ratio, ob quam hæc res non est illa res, est etiam ratio, ob quam hæc res potest negari de illa altera re: sed hæc ratio est dicta negabilitas: ergo. ma. habetur ex axiomate: *Dici sequitur ad esse*: ex quo infertur facile

alte-

alterum: *Negari sequitur ad non esse*: sic, si Petrus, & Judas sunt distincti inter se homines, potest cum veritate negari, quod Petrus sit Judas: & vicissim, si hoc cum veritate potest negari, debent esse distincti homines; alias possent verificari contradictoria, ut facile patet expendenti.

349. Dividitur autem *distinctio realis* 1. in *adæquatam*, & *inadæquatam*. Prior, seu *adæquata*, est distinctio totius a toto, e. g. distinctio Petri a Paulo: & hæc vocatur quandoque *contradistinctio*. Altera, seu *inadæquata*, quæ etiam vocatur *distinctio includentis, & inclusi*, est distinctio partis a toto, ut distinctio digiti a manu, capitis a corpore. Hæc tamen semper secum affert distinctionem aliquam adæquatam partium inter se: sic e. g. quia anima inadæquate distincta est ab homine, est adæquate distincta a corpore tanquam comparte: & certe, si pars a nulla comparte esset adæquate distincta, esset totum, ut consideranti facile patet.

350. Dividitur 2. in distinctionem *positivam*, & *negativam*. Illa est inter duo entia positiva, e. g. Petrum, & Paulum: ista est vel inter ens, & non ens, e. g. inter lucem, & tenebras: vel inter duo non entia, e. g. inter negationem lucis, & negationem odoris: quæ ambæ insunt de nocte aeri. Scotistæ etiam dividunt in *realem simpliciter talem*, & in *realem secundum quid*, seu, ut vocant *formalem ex natura rei*: sed hanc cum aliis infra *a n.* 389. negabimus.

Dividitur 3. a quibusdam in *realem*, & *modalem*. Illa est inter rem, & ejus modum, e. g. inter animam, & ejus unionem cum corpore, vel etiam inter ipsos modos, e. g. ubicationem, & durationem. Hanc videtur Suarez *tom.* 1. *Metaphys. disp.* 7. *sec* 1. *n.* 16. asserere, esse mediam inter stricte realem, & formalem, seu rationis: sed, si totus legatur, tantum vult, modos non esse stricte loquendo res; quia per rem Suarez *cit. sec. n.* 18. intelligi vult illam entitatem, quæ ex se, & in se est tale aliquid, quod non postulat omnino intrinsece, & essentialiter esse semper affixum alteri.

Verbo Suarez per rem intelligi vult ens absolutum; nam *cit. n.* 18. ait, modos non esse nihil, & *n.* 17. ait, esse aliquid positivum; unde juxta modum loquendi

di nunc usitatum, ista distinctio est omnino realis; quia modi de facto vocantur res. Addo, istas divisiones distinctionis, assertas ratione diversitatis extremorum, forte non esse necessarias; alias videtur debere etiam assignari distinctio spiritualis ratione spiritualium, & materialis ratione materialium &c. quod esset superfluum.

351. Dico 2. Signum evidens distinctionis realis est oppositio primo producentis, & producti. Prob. Evidens est, nihil posse se primo producere, ut communiter docetur in Physica, in qua etiam idem a nobis probabitur: quinimo SS. Patres ex hac potissimum oppositione inferunt realem distinctionem Personarum divinarum: ergo producens & productum, debent esse realiter distincta. Dixi autem *primo producentis*; nam an non aliquid possit secundo producere seipsum, uti Theologi quidam docent, Christum producere seipsum secundo, sive per secundam actionem subordinatam, in Eucharistia, nolim hic disputare: minus velim asserere, assertionem illorum Doctorum esse evidenter falsam.

352. Dico 3. Etiam signum evidens distinctionis realis est separabilitas duorum quoad locum, aut tempus. Prob. Est evidens, quod non possit aliquid esse in aliquo loco, vel aliquo tempore, sine seipso, seu sine sua essentia, vel separatum a seipso, aut sua essentia; nam est clare chimæra, aliquid esse ita sine seipso: certe hoc aperte asserit Aristoteles 7. *Topic.* 1. ubi ait: *Si potest alterum sine altero esse, non erit idem*: idque etiam judicat communissimus sensus doctorum, & indoctorum omnium, qui, quandocumque intelligunt, unum esse aliquando, vel alicubi, quando, vel ubi alterum non est, statim rapiuntur ad judicandum, unum esse distinctum ab altero: ergo ista separabilitas est evidens signum distinctionis. Si quis vellet hic opponere separabilitatem actuum contingentium Dei, responderetur, nos loqui de creaturis, & quidem de separabilitate duorum etiam essentialiter, seu secundum essentiam separabilium, quæ separabilitas non datur in actibus contingentibus Dei: item nos loqui de separabilitate quoad locum, & tempus, quæ etiam non datur in divinis, in quibus omnia sunt immensa, & æterna.

353. Di-

353. Dico 4. Inseparabilitas e contra duorum non est semper signum identitatis. Prob. Imprimis in divinis SS. Personæ sunt mutuo inseparabiles, & tamen realiter distinctæ: dein etiam in creatis, gratia sanctificans, & habitus quidam supernaturales infusi, sunt, saltem ratione extrinseci decreti divini, mutuo inseparabiles, & tamen juxta communem Theologorum ab invicem realiter distinguuntur: ergo.

354. Dico 5. Si inseparabilitas mutua duorum determinate sumptorum sit orta ab intrinseco, est in creatis saltem signum probabile identitatis. Prob. Commune est axioma philosophicum: *Entia non sunt multiplicanda sine necessitate*: ergo, si possunt omnia explicari per unum ens, non debent adstrui duo: atqui, ubi datur ab intrinseco inseparabilitas, possunt omnia explicari per unum ens: ergo. Rursus, si darentur duo entia absolute mutuo inseparabilia, non posset Deus conservare, vel destruere unum sine altero: sed hoc non debet asseri, ne videatur restringi dominium, aut libertas Dei, nisi ratio necessaria cogat, qualis nulla ostenditur in isto casu: ergo. Dixi, hanc inseparabilitatem esse signum probabile; nam nullatenus est certum, an non duo realiter distincta possint esse mutuo etiam ab intrinseco inseparabilia, e. g. ut ubicatio aliqua reddat ubicatam suam durationem, quo casu duo isti modi essent mutuo inseparabiles: quod an impossibile sit, certo sane non constat: item non est certum, an non duo puncta continui uniantur per duplicem unionem mutuo inseparabilem, ut defendunt Lugo *de incarnat. disp.* 11. *sect.* 6. *n.* 69. & Arriaga *disp.* 4. *phys. sect.* 2. *n.* 72.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

355. Objic. 1. contra 3. conclus. Quilibet homo, existens diversis temporibus, est separabilis, imo separatus a se ipso quoad tempus, quin sit realiter a seipso distinctus: ergo separabilitas quoad tempus non est signum distinctionis realis. Confir. Christus existens in diversis locis, ubicumque nempe asservantur hostiæ consecratæ, est separabilis, imo actu

actu separatus a seipso quoad locum, nec tamen est a seipso realiter distinctus: ergo etiam separabilitas quoad locum non est signum distinctionis realis. Resp. neg. ant. nam idem homo est omni eo tempore, quo successive existit; unde quidem tempora, seu durationes sunt separatæ, atque etiam realiter distinctæ: non autem est separatus ipse homo. Ad confir. neg. iterum ant. Separata quoad locum dicuntur illa, quorum unum est in aliquo loco, in quo alterum non est: at idem Christus replicatus existit in omnibus locis, nec ipse est separatus a seipso, sed tantum loca, vel ubicationes, sunt inter se separatæ, atque etiam realiter distinctæ.

356. Dices. Si Christus in SS. Eucharistia non est separabilis, vel separatus a seipso, sed tantum replicatus, saltem separabilitas non est utile signum distinctionis; quia semper potest dubitari, an sint duo separata, vel tantum unum ens replicatum. Resp. neg. illatum; non enim potest dubitari prudenter; quia non est prudens, suspicari ubique miracula, etsi nec fides, nec ratio fundamentum suspicandi præbeat; cum Deus non soleat facere miracula, nisi ea manifestet: certe nemo prudenter suspicaretur, homines quosque sibi obvios esse a mortuis suscitatos, etsi plures miraculose resuscitati fuerint.

357. Objic. 2. Quæ sunt separabilia, sunt tantum distinguibilia: ergo non sunt actu distincta. prob. conseq. separabilia non sunt actu separata: ergo etiam distinguibilia non sunt actu distincta. Resp. neg. ant. nam separabilitas infert actualem distinctionem, ut probatum: imo, quæ sunt distinguibilia, etiam sunt saltem in creatis actu distincta: & in hoc casu argumentatio affirmativa a potentia ad actum est saltem materialiter bona: sicut etiam argumentatio a possibilitate Dei ad actualem ejus existentiam, de qua alibi, ad prob. imprimis debuisset probari antecedens, quod negatum fuit, dein neg. conseq. Ut aliquid ex non separato fiat separatum, tantum debet perdere unionem, quod facile est possibile: ut autem ex non distincto fieret distinctum, deberet perdere identitatem, hoc est, seipsum, quod est chimæricum: ergo, quod non est jam actu distinctum, non potest deinceps distingui: consequenter, quod potest distingui, jam est actu distinctum.

358. Ob.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

358. Objic. 3. Multa sunt realiter distincta, quin appareant esse separabilia: ergo separabilitas non est signum distinctionis. prob. ant. ignis, & calor, aqua, & humiditas, imo juxta multos intellectus, & voluntas, inter se, vel etiam ab anima, sunt realiter distincta, quin sint, vel appareant separabilia: ergo. Resp. 1. neg. conseq. Ad signum, etiam infallibile, non requiritur, ut semper ibi adsit, ubi adest significatum, sed tantum, ut signum non adsit, nisi etiam adsit significatum: sic locutio est signum vitæ, quin semper debeat dari locutio, quando homo vivit. Resp. 2. dist. ant. multa sunt distincta, quin appareant, vel probentur esse separabilia ex ratione naturali. conc. ant. quin probentur saltem ex ratione supernaturali. neg. ant. & conseq. ad prob. dist. iterum ant. ex ratione naturali. om. ant. ex supernaturali. neg. ant. & conseq.

Dixi om. ant. nam ab aqua separabilem esse humiditatem, videtur naturaliter apparere, dum aqua in glaciem concrescit: & idem forte aliqui dicent de igne, in lapidum in mediis aquis profundissime delitescentium poris incluso, ubi saltem calor videtur valde esse remissus. Quidquid autem de hoc sit, saltem accidentia aliqua esse separabilia a substantia, habetur ex ratione supernaturali, seu mysterio Eucharistico. Quod spectat ad intellectum, & voluntatem, ac animam, ex hoc ipso capite inseparabilitatis, plures probabilius inferunt, eorum identitatem, quod conclusioni sufficit; nec enim in ea dicitur inseparabilitas esse evidens signum identitatis. vide *num.* 353. & 354.

359. Objic. 4. contra 5. concluf. Modi, e. g. ubicatio, & duratio, sunt inseparabiles a modificatis, quin sint cum his identificati: ergo inseparabilitas est malum signum identitatis. Confir. Etiam modificata sunt inseparabilia a modis; nam Petrus e. g. non potest esse sine ubicatione, aut duratione: & tamen non sunt identificata: ergo. Resp. dist. ant. modi sunt inseparabiles mutuo. neg. aut. non mutuo. conc. ant. & dist. conseq. inseparabilitas non mutua est malum signum identitatis. conc. conseq. mutua. neg. conseq. Conclusio aperte loquitur de inseparabilitate mutua: hoc est, ut neutrum dari possit

possit sine altero; licet autem hæc ubicatio e. g. non possit dari sine Petro, potest tamen dari Petrus sine hac ubicatione.

Ad confirmat. dist. ant. modificata sunt inseparabilia a modis determinate sumptis. neg. ant. a modis indeterminate sumptis. conc. ant. & neg. conseq. loquimur enim in conclusione expresse de duobus determinate sumptis; nam inseparabilitas a modo, tantum indeterminate sumpto, est tantum aliqua exigentia, vel necessitas, cui possunt satisfacere plures modi; unde in tali casu datur suppositio confusa *ex num.* 38. consequenter non datur determinata affirmabilitas, & ideo nec identitas.

360. Objic. 5. Deus, & negatio chimeræ, sunt mutuo inseparabiles, & tamen non sunt identificatæ: ergo. Resp. Quidam auctores, præsertim, qui volunt, negationes identificari rebus positivis, negant 2. p. ant. voluntque, negationem chimeræ esse realiter ipsum Deum. Alii autem volunt, negationes esse purum nihil, quod & mihi videtur esse probabilius; unde cum istis dist. 1. p. ant. sunt inseparabiles, & sunt duo entia positiva. neg. ant. non sunt duo entia positiva. conc. ant. & neg. conseq. conclusio enim intelligenda est de entibus positivis. vide etiam supra n. 345.

ARTICULUS III.

Quid sit Præcisio, & Distinctio Formalis, & quotuplex ista.

361. EXplicata distinctione reali, subjungimus formalem, seu rationis, quæ cum ordinarie fundetur in aliqua præcisione, etiam hæc explicanda est: & utriusque notitia videtur necessaria, ad rite intelligenda ea, quæ dicenda sunt postea de distinctione virtuali, ac formali ex natura rei. Prænotandum autem 1. objectum quodlibet cognosci, vel per species proprias, vel per alienas. *Species propriæ* stricte dictæ sunt, quæ emittuntur ab ipso objecto: & per has de facto, dum sumus in corpore, tantum cognoscimus accidentia aliqua materialia, quorum saltem aliqua (ut communiter saltem Peripatetici docent) species emittunt in nostros sensus.

Spe-

Species alienæ sunt, quæ non emittuntur ab objecto, sed aliunde accipiuntur, ac dein a nobis applicantur objecto, de quo species proprias non habemus: & per has cognoscimus de facto omnes substantias, itemque accidentia spiritualia, & probabiliter etiam aliqua materialia, quæ scilicet non immediate in sensus incurrunt: e. g. quia non habemus species proprias de Angelo, applicamus ei species alienas juvenis alati: sic etiam Deum cognoscimus in ænigmate, seu per species alienas, ab entibus creatis abstractas. An non autem insuper Deum, Angelos &c. cognoscamus per species intellectuales, in sensu minus stricto proprias, alia quæstio est, de qua *in 2. p. phys. part. a num.* 1015.

362. Prænotandum 2. ejusdem rei diversas dari cognitiones; nam datur 1. *Cognitio intuitiva*, quæ vel fit per objectum seipso immediate concurrens, ut juxta S. Thomam, & nostros communiter, concurrit Deus ad visionem beatificam, seu cognitionem intuitivam sui: vel fit per species stricte proprias. 2. *Cognitio abstractiva*, quæ fit per species alienas. 3. *Cognitio præcisiva*, quæ non adæquate, aut plene discretive cognoscit objectum, sive etiam hoc non discernit in ordine ad varios ejus effectus. 4. *Cognitio discretiva*, quæ plene discernit suum objectum ab aliis. 5. *Cognitio quidditativa*, quæ cognoscit totam quidditatem, seu essentiam sui objecti, uti docent Conimbricenses *in 1. Poster. cap. 1. de præcognitis. qu. 3. art. 3.* & Suarez *tom. 2. Metaphys. disp. 30. sect. 12. num* 5. cum S. Thoma ab ipsis citato: quamvis forte Scotus cum suis eam etiam cognitionem quidditativam vocet, quæ unum tantum prædicatum essentiale cognoscit.

363. Datur 6. *Cognitio comprehensiva*, quæ exhaurit totam scibilitatem objecti, seu clarius, quæ in sua linea cognitionis est tam perfecta, quam perfectum est objectum in linea sua objectiva, sive in linea cognoscibilitatis. 7. *Cognitio supercomprehensiva*, quæ perfectior est, quam mereatur objectum, & superat hujus cognoscibilitatem: qualis est cognitio divina respectu creaturarum, & Angelica respectu aliquorum saltem entium materialium. 8. *Cognitio non comprehensiva*, quæ scilicet non est tanta in linea

linea sua, quantum est objectum in sua, sive quæ non adæquat meritum objecti in ordine ad cognitionem. 9. *Cognitio adæquata*, quæ vel est comprehensiva, vel saltem plene discretiva sui objecti. 10. *Cognitio inadæquata*, quæ vel non est comprehensiva, vel, ut communius sumitur, non est plene discretiva sui objecti, sed talis, ut vi illius objectum adhuc cum aliis confundatur: e. g. si video aliquid currere, neque tamen tam clare, ut possit intellectus dijudicare, an sit canis, an vulpes, an ovis, habeo cognitionem inadæquatam.

364. Jam est innegabile, respectu ejusdem objecti dari posse diversas cognitiones præcisivas, sive inadæquatas, quarum una est perfectior altera, nempe vel magis clara, vel magis discretiva &c. Sic potest dari circa eundem Petrum cognitio, quæ eum repræsentat tantum ut ens, & alia, quæ eum repræsentat ut substantiam, iterum alia, quæ eum repræsentat ut corpus, alia eum repræsentans ut vivens, alia eum repræsentans ut animal, alia denique eum repræsentans ut hominem, quæ omnes sunt cognitiones præcisivæ, & inadæquatæ, sive non plene discretivæ Petri ab omni alio, & tamen una est perfectior, & clarior altera.

365. Dico 1. Præcisio formalis est cognitio inadæquata, seu non plene discretiva sui objecti: e. g. si Petrum cognosco præcise ut animal, & præscindo, seu abstraho, aut non cogito, vel non cognosco, an sit rationalis: vel etiam, si eum præcise cognosco ut potentem elicere intellectiones: abstraho autem, an etiam possit elicere volitiones: item si aliquam cognitionem præcise cognosco ut operationem mentis, & præscindo, an sit recta, vel irrecta. In hac explicatione præcisionis formalis, saltem conveniunt auctores illi, qui non admittunt præcisiones objectivas, quas etiam nos inferius rejiciemus. A variis autem talibus præcisionibus oriuntur diversæ denominationes extrinsecæ, ita, ut eadem res pro diversitate talium cognitionum diversimode denominetur.

Nam, ut Conimbricenses *in 1. Periherm. cap. 1. qu. 3. art. 1. & 2.* cum communi probant, nomina non significant res nude sumptas, sed ut substantes

con-

conceptibus, seu cognitionibus; unde pro varietate cognitionum etiam res diversis nominibus afficiuntur: sic, si animam rationalem tantum cognosco in ordine ad intellectiones, & abstraho ab ordine ad volitiones, dicitur intellectus: & viciſſim, si eam cognosco in ordine ad volitiones, abstrahendo ab ordine ad intellectiones, dicitur voluntas: item si cognosco hominem in ordine ad sensationes, dicitur animal: si eum cognosco in ordine ad ratiocinationes, dicitur rationale: sic etiam in exemplo *num.* 363. adducto, si video aliquid currere, nec tamen agnosco, quidnam sit, licet reipsa sit canis, non potest a me dici canis, sed tantum dicetur animal; quia non subsistat conceptui tam claro, vi cujus discernatur ab omni non cane: si non curreret, sed quiete sederet, forte nec possem dicere, quod sit animal: sed deberem tantum dicere, ibi esse aliquid corporeum, sive animatum, sive inanimatum.

366. Dico 2. Distinctio formalis, seu rationis, est distinctio realis, vel æquivalenter talis, duorum conceptuum, idem objectum diversimode repræsentantium, ita communiter auctores, præsertim nostri. Explicatur hæc assertio in exemplo. Quando dico: *Risibile non est formaliter rationale*: sensus juxta communem est: *Idem homo, cognitus in ordine ad risum, non est cognitus in ordine ad discursum*: intellige *cognitus directe, vel exercite*, non autem *cognitus reflexe*; nam nulla cognitio se tenet ex parte objecti; alias enim istæ propositiones essent reflexæ, quod est falsum. Sæpius fit hæc distinctio per duos conceptus realiter distinctos, ita ut una cognitio repræsentet rem in ordine ad unum, altera in ordine ad aliud: potest tamen etiam fieri per unicum conceptum, æquivalentem duobus, qui eandem rem in ordine ad diversa repræsentat: e. g. si per unicam indivisibilem propositionem dico: *Petrus ut risibilis non est rationalis*: & hinc dictum, quod hæc distinctio sit realis, vel æquivalenter talis conceptuum.

367. Est autem distinctio formalis, seu rationis duplex, una *rationis ratiocinatæ*: altera *rationis ratiocinantis*. Prima, quæ etiam dicitur *distinctio cum fundamento in re*, datur tunc, quando res ipsa

ipsa præbet fundamentum, seu occasionem ita distinguendi. Est autem tale *fundamentum in re* imprimis capacitas subjecti ad verificanda prædicata contradictoria, quæ capacitas vel maxime præbet fundamentum, non tantum ad diversos, sed etiam ad oppositos conceptus; & hinc inter distinctiones rationis ratiocinatæ est maxima, & appellatur distinctio virtualis major: ab Ulloa autem *in Log. major. disp.* 1. *c.* 2. vocatur *distinctio rationis Theologica*.

368. Aliud tale fundamentum est respectus, quem res habet ad diversa connotata, id est, proprietates, accidentia, effectus, causas &c. Sic, quia homo est principium sentiendi, ratiocinandi, ridendi, flendi &c. potest in ipso formaliter distingui animalitas, rationalitas, risibilitas, flebilitas &c. Sic, quia Deus potest considerari in ordine ad pœnam, quam infligit peccantibus, & in ordine ad veniam, quam concedit pœnitentibus: item in ordine ad notitiam, quam habet de rebus omnibus, & in ordine ad potentiam producendi omnia &c. potest in eo formaliter distingui, justitia, misericordia, omniscientia, omnipotentia &c.

369. Aliud iterum *fundamentum in re* est similitudo, vel comparabilitas, aut æquivalentia, quam habet aliqua res cum aliis rebus, & ob quam potest cum aliis confundi: sic, quia homo similis est, & etiam æquivalet pluribus rebus, potest quoque cum pluribus confundi; hinc, si elicio has cognitiones, *omne ens, omne vivens, omne animal &c.* cognosco semper hominem, sed confuse, seu confundendo ipsum cum plurimis aliis, diverso tamen modo.

Nam per primam cognitionem confundo ipsum cum omnibus entibus, & discerno tantum a non entibus, seu negationibus, aut chimæris: per secundam confundo ipsum cum omnibus viventibus, plantis, ac animantibus, & discerno ipsum tantum ab inanimatis, saxis, metallis &c. per tertiam confundo ipsum cum omnibus animalibus, equis, canibus &c. & discerno tantum a non sensitivis, arboribus, floribus &c. & sic per primam cognitionem cognosco hominem ut ens, per secundam ut vivens, per tertiam ut animal; unde hæ cognitiones ho-

minem diversimode repræsentant, atque etiam diversimode discernunt, adeoque eum formaliter distinguunt: & hinc distinctio rationis ratiocinatæ datur, vel quando aliqua res repræsentatur in ordine ad diversa connotata, vel quando inæqualiter discernitur.

Nota tamen, non bene comparari duas cognitiones, facientes distinctionem formalem, cum duabus imaginibus, quarum una repræsentet Petrum e. gr. cum cane, altera cum equo; nam in utraque tali imagine Petrus clare apparet, nec ipse extrinsece mutatus, aut diversus a seipso repræsentatur, verum tantum aliquid diversum ei additur: sed comparatio dictarum duarum cognitionum debet fieri cum duabus imaginibus, in quarum una Petrus repræsentetur clare in veste sibi propria &c. in altera vero repræsentetur in veste etiam aliis communi, & quasi cum larva, ut non ita clare cognoscatur, & ipse saltem extrinsece mutetur, seu appareat mutatus, vel diversus a seipso, in propria veste depicto; Petrus enim per cognitionem ipsius qua animalis etrinsece mutatur, seu in ipsa apparet alius, quia apparet obscure, & quasi cum larva, ut ab aliis animalibus non possit discerni, dum e contra in cognitione ipsius qua rationalis, apparet clare, & quasi aperta facie: & hæc mutatio Petri, qui est rectus concreti, sufficit ad distinctionem formalem, nec alia major mutatio, aut diversitas recti, ad eam requiritur.

Nec dicas, sic duos repræsentative rectos fieri per ipsas cognitiones, adeoque istas debere seipsas habere pro objecto; nam negatur, quod cognitiones pro objecto habeant duos rectos; ipsæ enim diversimode repræsentando rectum, primum ex ipso apparenter duos faciunt, nec antecedenter ad cognitiones, seu repræsentationes, sive ex parte objecti, dantur jam duo recti; quia ad cognitiones non jam præsupponitur distinctio, sed ea primum per istas fit; sicut enim quælibet cognitio, dum cognoscit objectum, non habet pro objecto seipsam; quia non habet pro objecto totum hoc concretum *objectum cognitum*, neque præsupponit objectum jam cognitum: ita etiam cognitiones, facientes distinctionem formalem, non

non habent pro objecto totum hoc concretum *Petrus formaliter distinctus:* nec præsupponunt Petrum jam formaliter distinctum: sed pro objecto tantum habent ipsum Petrum, eumque diversimode repræsentando faciunt formaliter distinctum: & consequenter neque ipsæ habent seipsas pro objecto.

370. Altera autem, seu *distinctio rationis ratiocinantis*, quæ etiam dicitur *distinctio sine fundamento in re*, datur tunc, quando intellectus, studio, vel ratiocinatione utens, format de aliqua re conceptus aliquo modo dissimiles, ita tamen, ut res neque repræsentetur in ordine ad diversa connotata, neque inæqualiter discernatur. Dixi *conceptus aliquo modo dissimiles;* nam alias res, seu objectum non appareret diversum, aut distinctum, neque multiplex; cum tamen ad distinctionem necesse sit, ut objectum appareat tanquam duo, aut plura.

Ad hanc autem dissimilitudinem parum requiritur, & sufficit, e. g. si unus conceptus repræsentet rem clarius, quam alter: si unus sit definitum formale, alter definitio formalis: si unus objectum repræsentet per modum concreti, alter per modum abstracti: & sic Deus, & Deitas hac distinctione distinguuntur: aliqui addunt, si unus conceptus rem repræsentet per modum subjecti, alter per modum prædicati: alii tamen negant, hoc ad distinctionem formalem sufficere: sed hæc lis est parvi momenti, & nullus fere est usus distinctionis rationis ratiocinantis, licet frequentissimus sit usus distinctionis rationis ratiocinatæ. Videri hac de re potest Izquierdo *in Pharo scient. disp. 13. per totam.* ubi plura de distinctione scitu digna inveniuntur.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

371. OB. 1. contra 2. conclus. Juxta nos distinctio rationis esset realis: hoc non potest admitti: ergo. prob. mi. essent duo conceptus realiter distincti: ergo. Confir. 1. Conceptus non tantum deberent esse realiter distincti, sed etiam dissimiles: ergo distinctio rationis esset plusquam realis;

cum ad distinctionem realem non requiratur dissimilitudo distinctorum. Confir. 2. Conceptus isti diversi repræsentarent rem aliter, ac in se est: ergo distinctio formalis constitueretur ex falsitate.

Resp. dist. ma. esset distinctio realis conceptuum, si nempe distinctio fiat per duos conceptus. conc. ma. esset distinctio realis ipsius rei, seu objecti. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. om. ant. nam potest sæpe distinctio fieri per unum conceptum *ex num.* 366. & dist. conseq. ut prius. Res se habet suo modo, sicut, si dentur duæ imagines, e. gr. Christi Domini, crucifixi, & resurgentis; sicut enim in tali casu est realiter idem Christus, licet sint imagines non tantum distinctæ, sed etiam diversæ: ita in casu distinctionis formalis est realiter idem objectum, licet sint repræsentationes realiter diversæ.

Ad 1. confir. conc. ant. & sub priore distinctione conc. vel neg. conseq. Quod conceptus debeant esse dissimiles, probatum est *num.* 370. quanta autem diversitas conceptuum requiratur ad distinctionem rationis, & an notabilis esse debeat, auctores non consentiunt, nec est operæ pretium in re levis momenti multum tricari. Ad 2. confir. dist. ant. conceptus isti repræsentarent rem aliter, id est, imperfecte, & non plene eam concipiendo. conc. ant. ei aliquid affingendo. neg. ant. & conseq. Est receptum axioma: *Præscindentium non est mendacium:* & sicut narrando historiam, imperfecte quibusdam omissis, non dico falsitatem, quam tamen dicerem, si aliquid affingerem: ita nec committit falsitatem conceptus repræsentando objectum imperfecte, seu non plene, modo nihil ei affingat.

372. Ob. 2. vel quilibet conceptus ex iis, qui facerent distinctionem formalem, repræsentaret totum objectum, vel tantum ejus partem: neutrum potest dici: ergo. prob. mi. si quilibet tantum repræsentat partem, non habent unum, & idem objectum, consequenter non unum, & idem objectum fit formaliter distinctum: si autem quilibet repræsentat totum objectum, tunc unus repræsentat totum id, quod alter, adeoque non diversimode; ergo nunquam datur distinctio formalis. Confirm. Constitutivum, & distinctivum, ut habet receptum axioma, sunt idem: sed conceptus non est constitutivum objecti: ergo neque est distinctivum.

Resp. neg. mi. & dico, quemlibet conceptum repræsentare objectum physice totum, sed non totaliter, seu non quoad omnia connotata, sive non discernendo ab omnibus aliis; diversitas enim istorum conceptuum non stat in eo, quod unus repræsentet aliquod objectum, quod alter non repræsentat; sed in eo, quod idem non repræsentet eodem modo; aliter enim mihi repræsentatur Petrus, si dico: *Petrus est animal:* quam si dicam: *Petrus est homo*. Ad confir. dist. ma. constitutivum, & distinctivum reale intrinsecum sunt idem. conc. ma. constitutivum, & distinctivum formale, ac extrinsecum. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq. Potest utique homo extrinsece distingui ab altero ratione vestitus, quin hic constituat hominem.

373. Ob. 3. Si sufficit ad distinctionem rationis ratiocinatæ diversitas conceptuum, sufficeret etiam, si objectum semel conciperetur per primam, & dein per secundam mentis operationem: sed sic fieret distinctio formalis, si elicerem hanc primam mentis operationem *Petrus homo:* & hanc secundam: *Petrus est homo:* quod est absurdum: ergo. Confir. Juxta dicta *nu.* 366. hæc distinctio posset etiam fieri per unum conceptum: sed tunc verificarentur prædicata contradictoria de hoc ipso conceptu indivisibili, quod admitti non potest: ergo.

Resp. neg. ma. Non debet dissimilitudo conceptuum tantum esse entitativa, seu in essendo, sed repræsentativa, seu in repræsentando, quam diversitatem, prout hic requiritur, non habent inter se prima, & secunda mentis operatio. Ubi tamen nota, aliud esse, e. g. hominem concipi per primam, & secundam mentis operationem: aliud eum concipi in ordine ad primam, & secundam mentis operationem: sive concipi semel ut potentem elicere primam mentis operationem, & dein ut potentem elicere secundam; nam in primo casu non datur distinctio rationis ratiocinatæ: attamen datur in secundo.

Ad confir. neg. mi. quomodo autem hæc res explicetur sine contradictione, melius declarabitur infra

fra *a num.* 534. Solum interim hic dico, ad distinctionem pure formalem non esse necesse, ut verificentur prædicata contradictoria; cum enim non sit ullatenus vera distinctio, imo neque sit distinctio virtualis, non est opus verificari contradictoria. Verum est, quod, quando distinctio pure formalis reflexe explicatur, ordinarie adhibeantur contradictoria, dicendo e. g. *Petrus, cognitus ut animal, non est cognitus ut rationale*: sed aliud est, per quod distinctio pure formalis reflexe explicatur: aliud, per quod exercite fit: sic etiam permanentia universalis in actuali prædicatione ordinarie explicatur per duas cognitiones, quamvis ex una sola constituatur.

374. Ob. 4. Juxta nos distinctio rationis ratiocinantis datur tunc, quando unus conceptus est clarior altero: sed non potest unus esse clarior altero, nisi repræsentet aliquid, quod non repræsentat alter, ex. gr. aliquod prædicatum, quo casu jam datur saltem distinctio rationis ratiocinatæ: ergo mala est nostra explicatio hujus distinctionis. Resp. neg. mi. nam sicut potest dari clarior visio ejusdem corporis in uno vidente, quam in altero, quin unus videat aliud, quam alter, ita etiam potest dari clarior cognitio ejusdem rei in uno cognoscente, quam in altero, quin unus cognoscat aliud, quam alter: certe, licet Angelus comprehendat ens aliquod materiale, adeoque omnia ejus prædicata cognoscat, tamen idem ens adhuc infinite clarius cognoscit Deus.

375. In quo autem consistat, vel unde desumatur major, vel minor claritas cognitionis, est quæstio satis difficilis. Mihi visum, probabilius respondere eos, qui dicunt, eam cognitionem esse clariorem, quæ magis illustrat intellectum: sicut scilicet illa lux clarior est, quæ magis illuminat oculum. Signa autem, vel indicia majoris illustrationis afferuntur ab auctoribus plura, sed non omnia omnino universalia. Quidam ergo dicunt, illam cognitionem esse clariorem, quæ reddit intellectum magis certum, & imperturbabilem: sed actus fidei, licet obscurus, reddit intellectum magis certum, & imperturbabilem, quam quilibet actus naturaliter evidens,

dens, idque non tantum ratione imperii extrinseci voluntatis, sed ex intrinseca sua exigentia, & supernaturali efficacia, unde hoc signum universaliter non subsistit.

376. Alii dicunt, eam cognitionem esse clariorem, quæ repræsentat plura connotata, vel effectus rei, aut similia: sed, licet hoc aliquando cæteris paribus sit verum, tamen hic conceptus, quo dico *omne ens*, vel *omne connotatum*, est valde obscurus, quamvis repræsentet omnia connotata, ita ut non possint plura cognosci. Si dicant, debere connotata cognosci sub conceptu specifico, videtur redire quæstio, an iste conceptus specificus possit clare cognosci sine novis connotatis; si enim hoc potest fieri, videtur etiam alterius rei conceptus specificus posse clare cognosci sine cognitione connotatorum: si autem id non potest fieri, videtur iri in infinitum: vel debent connotata per se invicem mutuo declarari; quod quidem admittunt aliqui, & sic discurrunt.

Sicut explicari debet pater in ordine ad filium, & filius in ordine ad patrem, ita, ut rudis cognitio unius præsupponatur ad claram cognitionem alterius, & sicut diximus *num.* 6. & 7. quod terminus possit clare explicari in ordine ad propositionem, tantum imperfecte, & ruditer cognitam: ita etiam potest rudis cognitio unius connotati præsupponi ad claram cognitionem alterius &c. Simile quid etiam diximus *numer.* 339. Quidquid autem de hac opinione sit, quam Hurtadus non censet universaliter procedere, saltem non videtur universaliter necessarium esse ad cognitionem clariorem, cognoscere nova connotata; tum quod talis cognitio videatur non esse intensive, sed tantum extensive perfectior, aut clarior; tum quod idem indivisibile objectum possit in seipso solo clarius cognosci, ut probavimus *num.* 374. ex cognitione Angeli, & Dei.

377. Alii dicunt, eam cognitionem esse clariorem, quæ rem magis discernit, seu a pluribus, non tantum existentibus, sed etiam possibilibus, imo & impossibilibus. Sed licet iterum hoc cæteris paribus sit aliquando verum, tamen non videtur esse universale; nam non videtur res posse magis discerni ab

omnibus, quam si clare, & distincte cognoscatur prædicatum individuale, quod tam Deus, quam Angelus aperte cognoscunt: & tamen Deus rem quamcumque infinite clarius cognoscit. Dein discretio rei tantum ab impossibilibus est adhuc obscurissima; quia est tantum cognitio rei sub prædicato entis: discretio a possibilibus aliis in specie non est necessaria; nec enim debet cognosci in ente species immultiplicabilis.

378. Mihi videtur dicendum, universale signum majoris claritatis in cognitione, seu majoris illustrationis in intellectu esse, si quis possit ad plures quæstiones formabiles de objecto determinate cum veritate respondere: certe a posteriori, seu experientia habetur, quod, quo magis clare objectum cognoscimus, eo etiam ad plura de eo quæsita respondere possimus: sive dein quæratur de ejus causis, & effectibus, sive de connotatis, & respectibus, sive de ipsa formali quidditate, aut essentia ipsius rei, vel etiam de aliqua proprietate metaphysica &c. Et certe Deus ad plures quæstiones de qualibet re posset respondere, quam creatura, quin deberet afferre semper nova alia connotata, aut discernicula.

ARTICULUS V.

Quid sit, & an detur Distinctio Scotistica.

379. *Distinctio Scotistica* juxta suos auctores est distinctio non pure formalis; quia est antecedens omnem operationem intellectus: neque simpliciter realis; quia non datur inter res: sed est quoddam medium inter distinctionem simpliciter realem, & pure formalem: non quidem medium participans de utraque, sed medium excludens utramque memoratam distinctionem. Verbo: est distinctio objectiva inter formalitates ejusdem rei, (quas etiam vocant realitates) quæ cum non sint simpliciter res, sed tantum aliquo modo secundum quid, etiam ista distinctio non est simpliciter realis, sed tantum secundum quid; unde necesse est scire, quid apud Scotistas sit *res*, & quid *formalitas*, in quibus tamen explicandis non omnes omnino conveniunt.

380. Ma-

380. Mastrius *disp. 1. Log. q. 5. a. 2. n. 63.* intelligit *per rem, quæ* (ut ait) *multiplicata facit pluralitatem simpliciter, & est nata fundare distinctionem realem*, intelligit, inquam, *omne id, quod per veram efficientiam, & physicam causalitatem, accipit esse, sive solitarie existere possit, sive non; & ita se habent omnes physicæ entitates, omnes nimirum substantiæ, sive completæ, sive incompletæ, ut materia, & forma: omnia item accidentia, sive absoluta, sive respectiva; hæc enim omnia vere sunt entia in recto, propriam essentiam, & existentiam habentia, etsi non omnia solitarie existere nata.* Addit: *Per realitatem vero, quæ multiplicata solum nata est facere pluralitatem secundum quid, & fundare distinctionem ex natura rei formalem, intelligitur id, quod est aliquid rei, prædicto sensu explicatæ, non quomodocumque, sed per identitatem realem . . . . atque ita per realitatem omne id intelligendum venit, quod per se non recipit esse a sua proxima causa per verum influxum physicum, sed per simplicem dimanationem metaphysicam.*

381. Scotista recentior imprimis doctus *in Thesibus de distinct. Scotistic. an. 1689. hic loci editis. num. 4.* sic habet: *Realitas, seu formalitas (diminutum vocabulum sumptum a re, seu forma totius) est positiva rei inadæquate sumpta perfectio, propria ratione determinans ad tale esse, seu faciens proprium effectum formalem, incapax existendi, aut subsistendi per propriam existentiam, aut subsistentiam, sed existens per existentiam illius rei, cujus est aliquid per identitatem*: intelligit autem identitatem genericam realem.

Nam *n. 6. & 7.* distinguit triplicem identitatem, nempe genericam, specificam, & numericam: & hanc subdividit in realem, & formalem. Verum generica, & specifica identitas, non est proprie dicta (quis enim dicat, leonem proprie loquendo identificari homini, vel etiam Petrum Paulo?) sed tantum est aliqua identitas analogica, seu aliqua convenientia, & si specifica est, vocatur identitas similitudinis: dein saltem juxta nostros, & plurimos alios, nulla est vera identitas inter objective, seu plus, quam pure formaliter, sive per conceptum distincta.

omnibus, quam si clare, & distincte cognoscatur prædicatum individuale, quod tam Deus, quam Angelus aperte cognoscunt: & tamen Deus rem quamcumque infinite clarius cognoscit. Dein discretio rei tantum ab impossibilibus est adhuc obscurissima; quia est tantum cognitio rei sub prædicato entis: discretio a possibilibus aliis in specie non est necessaria; nec enim debet cognosci in ente species immultiplicabilis.

378. Mihi videtur dicendum, universale signum majoris claritatis in cognitione, seu majoris illustrationis in intellectu esse, si quis possit ad plures quæstiones formabiles de objecto determinate cum veritate respondere: certe a posteriori, seu experientia habetur, quod, quo magis clare objectum cognoscimus, eo etiam ad plura de eo quæsita respondere possimus: sive dein quæratur de ejus causis, & effectibus, sive de connotatis, & respectibus, sive de ipsa formali quidditate, aut essentia ipsius rei, vel etiam de aliqua proprietate metaphysica &c. Et certe Deus ad plures quæstiones de qualibet re posset respondere, quam creatura, quin deberet afferre semper nova alia connotata, aut discernicula.

ARTICULUS V.

Quid sit, & an detur Distinctio Scotistica.

379. *Distinctio Scotistica* juxta suos auctores est distinctio non pure formalis; quia est antecedens omnem operationem intellectus: neque simpliciter realis; quia non datur inter res: sed est quoddam medium inter distinctionem simpliciter realem, & pure formalem: non quidem medium participans de utraque, sed medium excludens utramque memoratam distinctionem. Verbo: est distinctio objectiva inter formalitates ejusdem rei, (quas etiam vocant realitates) quæ cum non sint simpliciter res, sed tantum aliquo modo secundum quid, etiam ista distinctio non est simpliciter realis, sed tantum secundum quid; unde necesse est scire, quid apud Scotistas sit *res*, & quid *formalitas*, in quibus tamen explicandis non omnes omnino conveniunt.

380. Ma-

380. Mastrius *disp. 1. Log. q. 5. a. 2. n. 63.* intelligit *per rem, quæ* (ut ait) *multiplicata facit pluralitatem simpliciter, & est nata fundare distinctionem realem*, intelligit, inquam, *omne id, quod per veram efficientiam, & physicam causalitatem, accipit esse, sive solitarie existere possit, sive non; & ita se habent omnes physicæ entitates, omnes nimirum substantiæ, sive completæ, sive incompletæ, ut materia, & forma: omnia item accidentia, sive absoluta, sive respectiva; hæc enim omnia vere sunt entia in recto, propriam essentiam, & existentiam habentia, etsi non omnia solitarie existere nata.* Addit: *Per realitatem vero, quæ multiplicata solum nata est facere pluralitatem secundum quid, & fundare distinctionem ex natura rei formalem, intelligitur id, quod est aliquid rei, prædicto sensu explicatæ, non quomodocumque, sed per identitatem realem . . . . atque ita per realitatem omne id intelligendum venit, quod per se non recipit esse a sua proxima causa per verum influxum physicum, sed per simplicem dimanationem metaphysicam.*

381. Scotista recentior imprimis doctus *in Thesibus de distinct. Scotistic. an. 1689. hic loci editis. num. 4.* sic habet: *Realitas, seu formalitas (diminutum vocabulum sumptum a re, seu forma totius) est positiva rei inadæquate sumpta perfectio, propria ratione determinans ad tale esse, seu faciens proprium effectum formalem, incapax existendi, aut subsistendi per propriam existentiam, aut subsistentiam, sed existens per existentiam illius rei, cujus est aliquid per identitatem*: intelligit autem identitatem genericam realem.

Nam *n. 6. & 7.* distinguit triplicem identitatem, nempe genericam, specificam, & numericam: & hanc subdividit in realem, & formalem. Verum generica, & specifica identitas, non est proprie dicta (quis enim dicat, leonem proprie loquendo identificari homini, vel etiam Petrum Paulo?) sed tantum est aliqua identitas analogica, seu aliqua convenientia, & si specifica est, vocatur identitas similitudinis: dein saltem juxta nostros, & plurimos alios, nulla est vera identitas inter objective, seu plus, quam pure formaliter, sive per conceptum distincta.

382. Alii cum nostro P. Mauro, magis intelligibiliter dicunt, *res* esse ea, quæ sunt inter sese separata, vel actu, vel potentia, vel proportione : id est, quæ vel sunt actu divisa, vel divisibilia (sive mutuo, sive non mutuo sint divisibilia) vel habent se proportionaliter, ac si essent divisibilia, quo modo se invicem habent ea, inter quæ datur oppositio producentis, & producti : ex quo capite res, & realiter distinctæ sunt tres SS. Personæ divinæ, quamvis metaphysice inseparabiles sint. Alia autem, quæ non sunt ita separata, attamen habent diversas definitiones adæquatas, vel diversos conceptus objectivos, dicunt esse formalitates, atque formaliter ex natura rei distingui.

Ubi addo, supra laudatum recentiorem Scotistam *cit. thes. n. 71.* docere, oppositionem relativam producentis, & producti inferre distinctionem realem ; *quia* (scribit) *producens semper dat existentiam producto, & quidem a se diversam ; alias enim productum existeret, antequam produceretur :* & videtur plane loqui de illa oppositione in divinis ; nam de ea agit objectio : interim postea *n.* 141. de divinis Personis, inter quas datur oppositio, ait : *Non tamen habent propriam existentiam, sicut non habent propriam singillatim essentiam, & naturam divinam, ideoque existunt eadem numero existentia . . . . nec Pater dat Filio duas existentias, unam absolutam, & alteram relativam, sed unicam :* quæ dicta difficulter combinantur : sed quidquid de hoc sit, interim omitti potest.

383. Omittendum autem non est, quod definitiones formalitatum supra positæ supponant multa, quæ minime possunt probari, & probabilius falsa sunt ; nam imprimis omnes creaturæ accipiunt suum esse per physicam efficientiam, sive a Deo, sive a causis creatis, etiam eæ, quæ dicuntur emanare ; si enim emanent pure formaliter, sive tantum concipiantur quasi emanare, sicut e. g. risibilitas emanat a rationalitate, tunc accipiunt esse per eandem actionem cum ipsa re, a qua emanant. Si autem emanent physice, seu per emanationem naturalem, tunc accipiunt esse per physicam efficientiam ; quia producuntur physice ab eo, a quo emanant, ut bene Eximius *tom. 1. Metaph. disp. 18. sec. 3. a n. 3. ad 13.* ubi etiam citat pro se Cajetanum : & sane talis emanatio physica aliud non est, quam productio alicujus necessario consequentis ad alterum, tanquam proprietatis, vel termini aliquo modo connexi.

384. Dein, ut pluribus probabimus in Physica, essentia, & existentia, sunt tantum formaliter inter se distinctæ, adeoque, quidquid habet propriam essentiam, habet etiam propriam existentiam ; quare, cum isti auctores videantur in formalitatibus admittere propriam essentiam ; eo quod attribuant cuilibet formalitati propriam adæquatam definitionem, videntur non satis convenienter negare propriam ipsis existentiam ; unde convenientius alii quidam Scotistæ admittunt, aliquam existentiam cuilibet formalitati propriam. Ulterius loquendo de creatis, in nostris principiis (quæ adversarii deberent positivis argumentis evertere, & tamen non possunt, ut patebit ex solutione objectionum) quidquid non habet aliam, & distinctam essentiam ab altero, non est ab isto plusquam per solum conceptum, seu pure formaliter distinctum : adeoque, ubi non datur diversa essentia, neque datur diversa existentia, & vicissim : consequenter non dantur diversæ res, neque datur ulla distinctio objectiva, seu plusquam pure formalis.

Dixi *loquendo de creatis* ; nam utique in divinis Personæ realiter distinctæ non habent distinctam essentiam : sed ista perfectio humanum, & Angelicum intellectum, viribus naturalibus relictum, longe exuperans, non debet statim tribui creaturis ; unde utique probabilius est, quod, quæ antecedenter ad operationem intellectus objective distinguuntur, sint res, & distinctio Scotistica, si daretur, futura esset realis.

385. Quod spectat ad sententiam Mauri, & aliorum, docentium, duo mutuo etiam proportional ter inseparabilia esse tantum formalitates, non res, recolendum est, jam esse dictum *num.* 354. inseparabilitatem, etiam mutuam, esse tantum probabile figmum identitatis, adeoque neutiquam esse supponendum, tanquam certum, quod inseparabilia sint realiter identificata. Saltem tunc minime hoc admit-

tendum esset, si de taliter inseparabilibus verificarentur prædicata contradictoria; ista enim inferrent necessitatem sufficientissimam ea distinguendi, & multiplicandi.

Neque tunc locum haberet illud principium: *Entia non sunt multiplicanda sine necessitate*: ex quo solo tamen probari potest realis identitas inseparabilium. Hoc tamen admitti potest, & debet, quod, quia saltem ordinarie de ita inseparabilibus non verificantur contradictoria (id quod maxime verum est de gradibus metaphysicis, ut ex solutione objectionum patebit) possit ordinarie dici, ea esse realiter identificata, ita tamen, ut simul negetur, ea esse pluſquam pure formaliter distincta.

386. Addendum adhuc aliquid circa contradictoria, quæ vel supponit, vel infert distinctio Scotistica. Imprimis Scotistæ negant, quod de formaliter ex natura rei distinctis verificentur propositiones contradictoriæ; nam (ajunt) ne istæ verificentur, impedit hæc ipsa distinctio; quia facit, ut objectum non sit omnino idem: & sic etiam loquuntur alii Theologi, qui admittunt distinctionem virtualem in divinis. Dein Scotistæ distinguunt prædicata contradictoria, atque dicunt, alia esse contradictoria realia, alia formalia ex natura rei, alia puré formalia, seu per conceptum, de quibus videatur memoratus Scotista *cit. thes. n. 68.* ubi addit, juxta Scotistas inter formalitates non dari prædicata contradictoria realia, sed tantum formalia ex natura rei; cum formalitates non possint de se invicem *simpliciter negari*, sed tantum *formaliter ex natura rei*: quem terminum, ait, a Scotistis semper subintelligi, utpote omnibus notum, quando dicunt: *Animalitas non est principium sentiendi*. videatur idem auctor *n. 65. & seq.*

387. Sed, quidquid sit de eo, an una formalitas possit sub omni ratione simpliciter negari de altera, certe debet admitti, aliquod prædicatum simpliciter negari de una formalitate, quod simpliciter affirmatur de altera. Et quidem in divinis, ubi eandem suam distinctionem ponunt Scotistæ, inter naturam divinam, & Personalitates, debet simpliciter affirmari de natura, quod sit communicata Filio: at de Paternitate realiter identificata naturæ, attamen juxta

juxta Scotistas formaliter ex natura rei distincta, debet simpliciter negari, quod sit communicata Filio; nam Paternitas nec realiter identificatur Filio: adeoque aliquod prædicatum simpliciter negatur de uno, quod simpliciter affirmatur de altero ipsi identificato.

388. Idem debet a Scotistis admitti in creatis; nam juxta ipsos e.g. de animalitate hominis simpliciter affirmatur, quod sit similis animalitati leonis: at de rationalitate negatur simpliciter quod sit similis animalitati leonis: & certe juxta ipsos rationalitas non potest habere saltem eandem similitudinem cum leone, quam habet animalitas; alias enim rationalitas etiam esset formaliter similis leoni, quod tamen Scotistæ constanter negant, & propterea suam distinctionem inducunt.

Quare juxta ipsos de rationalitate simpliciter neganda est formalis similitudo cum animalitate leonis, & admittenda sunt contradictoria simpliciter talia, adeoque realia, seu affirmantia, & negantia realem identitatem alicujus prædicati de eodem realiter ente; nam, ut ipse hic auctor *cit. thes. n. 66.* habet, negatio simpliciter talis, utpote malignantis naturæ, excludit omnem identitatem. His pro aliqua declaratione controversiæ, ex se satis obscuræ, necessario præmissis,

389. Dico. In creatis distinctio Scotistica nec inter gradus metaphysicos, nec inter ulla alia, est admittenda. Dico *in creatis*; nam quid in divinis dicendum sit, ad Theologos spectat: tantum addo, in Concilio Florentino, non solum Joannem Theologum *sess. 18.* asseruisse tantum distinctionem *secundum modum intellectionis nostræ*: sed *sess. 25. seu ultima*. Patres Latinos communi nomine ad Græcos *in litteris*: *Quoniam Graci*: sic scripsisse: *Ne identitatem, conjunctionemque divinæ substantiæ distribuere, ac ipsam eandem substantiam re, non autem alia ratione, ab hypostasibus, & personis differre, credere videamur*: quibus in verbis nulla alia, præterquam distinctio rationis, admittitur.

Neque hic retorsio fieri potest ex Concilio Rhemensi *apud Binium tom. 3. p. 2. Concil. fol. 1333.* quasi ibi etiam distinctio rationis negaretur; nam in *solo*

folio 1334. non negatur distinctio rationis : sed tantum definitur, *ne aliqua ratio in Theologia inter naturam, & personam divideret, neve Deus divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantum, sed etiam nominativi :* hoc est, nullam esse rationem, naturam divinam, & Personas objective, seu ita dividendi, ut de se in recto affirmari non possint, sed tantum in ablativo : quod ratione, & authoritate probaturum se Gilbertus Porretanus asseruerat.

390. Prob. jam conclusio, imprimis auctoritate ferme omnium extra Scholam subtilem : dein ratione. Distinctio hæc non datur, nisi de eodem realiter ente verificentur prædicata contradictoria : atqui de nullo ente creato verificantur prædicata contradictoria ; nam sine his omnia, quæ de creatis cum veritate dicuntur, possunt salvari : ergo. ma. est Scotistarum, qui admittunt de formalitatibus realiter identificatis verificari prædicata contradictoria, saltem formalia ex natura rei. minor satis patebit ex solutione objectionum.

Confirm. 1. Posse verificari de eadem re contradictoria qualiacumque, etiam tantum, ut dicunt, formalia ex natura rei, non debet admitti sine urgentissimis rationibus, quales adversarii non afferunt : ergo. prob. ant. etiam contradictoria formalia ex natura rei sunt reipsa affirmatio, & negatio ejusdem (nam eadem res est formaliter ex natura rei e. g. similis : & eadem non est formaliter ex natura rei similis) unde videntur non minus opposita lumini naturali, & primis ejus principiis, quam contradictoria etiam juxta Scotistas realia : dein *ex n.* 388. habetur, illis contradictoriis admissis, sequi alia contradictoria simpliciter talia, ac aliqua etiam realia : certe aliquod prædicatum, e. g. simile, identificatur e. g. animalitati hominis, & huic etiam identificatur rationalitas, quin rationalitati identificetur prædicatum simile, adeoque datur identitas in tertio sine identitate inter se, consequenter aliquod quasi mysterium Sanctissimæ Trinitatis, cui in creatis nihil vel a longe hoc in genere simile est admittendum : ergo.

Nec dicas, contradictoria admitti in divinis, adeoque non esse contraria primis principiis, vel lumini naturali ; nam facile respondetur, divina esse supra lumen naturæ, & hoc se ad illa non extendere, consequentet divina non esse contraria iis principiis, sed tantum esse superiora : at vero creata non sunt ita superiora lumini naturali, sed hoc ad illa se extendit, adeoque, si de creatis quibusdam non verificarentur illa principia, tunc illa creata essent istis opposita.

391. Confirm. 2. Juxta Scotistas darentur distinctiones objectivæ, & formalitates objective distinctæ quasi infinitæ : hoc non debet admitti : ergo. prob. ma. imprimis in ipsa rationalitate dantur plures perfectiones, eodem modo non habentes propriam existentiam, vel subsistentiam, vel non accipientes esse per physicam causalitatem, e. g. in intellectu datur potentia simpliciter apprehendendi, judicandi, discurrendi, & hoc diversissimis modis : in voluntate datur potentia amandi, odio habendi, gaudendi, tristandi, & aliæ absque numero : in animalitate datur potentia videndi, audiendi, gustandi, olfaciendi, tangendi &c. & iterum diversissimis modis : item datur potentia nutriendi, augmentandi, currendi, sedendi, & similia possent afferri sine fine : ergo ista omnia deberent quasi in infinitum distingui objective, quod plane est nimium.

392. Respondet 1. jam sæpe citatus Scotista *cit. thes. n.* 87. potentiam, sive principium discurrendi, differre tantum in modo tendendi a principio apprehendendi, vel judicandi. Sed imprimis hoc est falsum ; aliud enim est, quod actus differant in modo tendendi, aliud, quod ipsa principia ; hæc enim differunt in potentia ipsa productiva diversorum effectuum, & habent etiam diversas definitiones, eodem modo oppositas, & adæquatas, sicut aliæ formalitates Scotisticæ. Dein etiam de habentibus alium modum tendendi intrinsecum eodem modo verificantur prædicata contradictoria, ut de aliis, in quibus Scotistæ admittunt suam distinctionem : ergo. Respondet 2. idem auctor *num.* 82. in multiplicatione formalitatum non esse abeundum in infinitum. Sed hoc ipso, quod ratio Scotistarum probet, abeundum esse in infinitum, probat nimium, adeoque nihil, ut communiter dici solet.

393. Re-

393. Respondet 3. idem *num.* 81. requiri ad diversas formalitates etiam diversam æstimabilitatem ob peculiares operationes, & diversos effectus formales. Sed imprimis hæc sæpissime adesset, e. g. quoad rationalitatem in potentia discurrendi, judicandi &c. quoad animalitatem in potentia videndi, audiendi &c. Dein, sive adsit specialis talis æstimabilitas, sive non adsit, tamen verificantur eadem contradictoria, & habentur diversæ definitiones, atque habetur etiam totum id, quod adversarii in suis definitionibus, vel descriptionibus, ad formalitatem requirunt: quæ sunt fundamenta, ex quibus distinctionem suam inferunt. Accedit, quod quidem differentia specifica, vel etiam distinctio numerica, in sensu morali accepta, desumendæ aliquando sint ex æstimabilitate, vel æstimatione morali: e. g. quando agitur de diversitate specifica, vel etiam distinctione numerica peccatorum, in ordine ad confessionem: at non debeat ex ea desumi distinctio numerica in genere physico.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

394. OB. 1. Animalitas, & rationalitas e. g. Petri, realiter identificantur: ergo non distinguuntur realiter: atqui tamen distinguuntur ante omnem operationem intellectus: ergo distinguuntur formaliter ex natura rei. prob. subsumpt. animalitas, & rationalitas Petri habent diversas definitiones adæquatas, adeoque diversas essentias: ergo distinguuntur ante omnem operationem intellectus, prob. ant. animalitas adæquate definitur principium sentiendi, & rationalitas principium ratiocinandi: ergo.

Resp. neg. subsumpt. ad prob. neg. ant. ad hujus prob. iterum neg. ant. Animalitas Petri, vel alterius hominis realiter accepta, non definitur adæquate principium sentiendi, sed principium sentiendi, & ratiocinandi; illa enim est *definitio adæquata*, quæ totaliter explicat totam naturam, seu quidditatem rei realiter acceptæ: at hujus animalitatis, quæ

quæ est Petro identificata, realiter acceptæ totam quidditatem non explicat totaliter ista definitio *principium sentiendi*, ut patet: ergo non est definitio adæquata: sed tantum est *definitio inadæquata*, quæ non explicat totaliter totam quidditatem rei: non, quod tantum explicet unam partem physicam, & alteram omittat: sed, quod rem totam tantum explicet imperfecte per conceptum præcisivum: & inadæquatum, seu, quod idem est, per cognitionem præcisivam, & inadæquatam, de qua supra *a num.* 363.

395. Dices. Animalitas ut sic, seu in genere sumpta, adæquate definitur esse principium sentiendi: ergo etiam animalitas Petri, seu identificata cum rationalitate; quia per identitatem non perdit suam naturam. Resp. neg. suppos. nam animalitas ut sic non datur a parte rei, ut infra probabimus, agendo de universali. Urgebis. Quando definitur animal ut sic, non definitur tantum conceptus: ergo definitur animalitas a parte rei. Resp. dist. conseq. definitur animalitas a parte rei adæquate. neg. conseq. definitur inadæquate. conc. conseq. Nulla animalitas a parte rei est tantum principium sentiendi, sed quælibet habet adhuc aliud prædicatum sibi essentiale, adeoque nulla adæquate definitur esse principium sentiendi.

396. Instabis. Juxta communissimam Philosophorum animalitas adæquate definitur principium sentiendi: ergo, cum non definiatur tantum conceptus, debet dari aliqua animalitas, quæ adæquate definiatur principium sentiendi. Resp. dist. ant. animalitas adæquate definitur, id est, definitio formalis adæquat significationem definiti formalis, sive conceptus *principium sentiendi* repræsentat totum id, quod repræsentat conceptus *animalitas*, & hi duo conceptus sunt repræsentative adæquate convertibiles. conc. antec. id est, adæquate explicatur natura animalitatis a parte rei existentis. neg. ant. & conseq.

In hoc solo sensu a nobis hic admissio, & non in alio, definitio animalitatis est adæquata. Quia autem ipsum definitum formale, seu terminus *animal*, repræsentat tantum inadæquate objectum, quod ipsi a

parte

parte rei correspondet, non est mirum, si etiam definitio formalis, seu conceptus *principium sentiendi*, idem objectum tantum inadæquate repræsentet: adæquata tamen dicitur, quia adæquat definitum formale. Quod autem hic dictum de definitione animalitatis ut sic, idem intelligendum est de definitionibus substantiæ ut sic, viventis ut sic, & similibus.

397. Objic. 2. Animalitas Petri est similis animalitati leonis: rationalitas Petri non est similis animalitati leonis: ergo verificantur de ipsis contradictoria, adeoque distinguuntur: non stricte realiter: ergo formaliter ex natura rei. prob. ant. idem non potest esse simile, & dissimile eidem alteri: sed rationalitas est dissimilis animalitati leonis: ergo non potest eidem esse similis. Huic argumento Scotistæ multum tribunt; unde ad clariorem ejus solutionem præmittenda est explicatio similitudinis, & dissimilitudinis.

Aristoteles 5. *Metaph. text.* 16. ait: *Similia dicuntur ... quorum qualitas una ... opposita vero similibus dissimilia dicuntur*. S. Thomas autem 1. *p. qu.* 4. *art.* 3. *in corp.* ait, quod *similitudo attendatur secundum convenientiam, vel communicationem in forma*: intellige physica, vel metaphysica: ex quibus nostri communiter deducunt, quod *similitudo* sit aliqua convenientia in aliqua perfectione, seu aliquo prædicato: & *similia* sint, quæ ita conveniunt, ut possint fundare conceptum confusum, per quem confuse apprehensa non possint ab invicem discerni: & quod eo magis aliqua sint similia, quo plures tales conceptus possunt fundare, iisque substare.

398. Sic e. g. Petrus, & arbor, possunt substare his conceptibus *ens*, *substantia*, *corpus*, *vivens*. Petrus, & leo possunt insuper substare conceptui *animal*. Petrus vero, & Paulus possunt ulterius substare conceptui *homo*. Unde Petrus est similis arbori, similior tamen leoni, & adhuc magis similis Paulo: imo, quia Petrus, & Paulus, possunt substare omnibus conceptibus essentialibus, dicuntur adæquate, & perfecte similes, saltem quoad essentiam, seu prædicata metaphysica, licet quoad accidentalia differant.

E contra *dissimilia* sunt, quæ non ita conveniunt in

in perfectionibus, vel prædicatis, ut omnibus iisdem conceptibus confusis possint substare: & quibus substare non possunt, in iis dissimilia sunt: sic arbor est Petro dissimilis in ratione animalis, & leo in ratione rationalis; quia scilicet non potest arbor substare conceptui *animal*, nec leo conceptui *rationale*.

399. Ex quibus deducitur, quod idem secundum idem possit esse simile, & dissimile; quia nempe idem secundum idem substare potest alicui conceptui confuso, & non alteri. Hoc quidem, adversarii ajunt, se non capere: at certe admittere debent, nisi in distinctione formalitatum velint procedere in infinitum; nam e. g. ipsa animalitas Petri est similis animalitati leonis, & est ipsi dissimilis; nam habet aliqua prædicata, quæ animalitas leonis non habet: e. g. est inseparabilis a rationalitate etiam juxta adversarios, saltem consequenter: item est cum ipsa realiter identificata &c. Equidem auctor allegatus *cit. Thes. num.* 80. ait, hanc similitudinem, & dissimilitudinem esse similem illi, quam habet aqua tepida respectu calidæ, cui aqua tepida similis est propter aliquos gradus caloris, & dissimilis propter aliquos gradus frigoris: adeoque est similis, & dissimilis, non secundum idem, sed secundum diversa.

Sed hoc dici non potest, nisi in Petri animalitate iterum formaliter ex natura rei distinguantur duæ formalitates, quarum una sit similis animalitati leonis, altera dissimilis, quod adversarii non videntur velle: &, si id etiam velint, redit argumentum iterum, de hac distincta formalitate simili animalitati leonis; nam hæc iterum differt in uno, & altero prædicato ab animalitate leonis, e. g. quod sit realiter identificata cum altera formalitate, imo cum ipsa rationalitate: & hæc differentia rediret in infinitum, atque darentur formalitates tales infinitæ, quod est falsum: ergo eadem formalitas erit similis, & dissimilis.

400. Resp. jam in forma. neg. 2. p. ant. nam eodem modo, quo animalitas Petri, etiam rationalitas ejusdem est similis animalitati leonis. ad prob. dist. maj. idem non potest esse perfecte simile, & simul dissimile eidem alteri. om. maj. imperfecte, seu inadæquate simile, & simul imperfecte, & inadæquate dissi-

dissimile. neg. maj. & proportionaliter dist. min. neg. conseq. Ratio responsionis patet ex dictis.

Dices 1. Omnis identitas inadæquata infert identitatem adæquatam partis cum parte: ergo etiam similitudo inadæquata infert similitudinem adæquatam alicujus partis: ergo, si homo est inadæquate similis leoni, erit aliqua pars hominis ei adæquate similis: hæc non potest esse alia, quam animalitas: ergo. Resp. neg. conseq. Identitas inadæquata supponit partes realiter distinctas: similitudo autem inadæquata, etiam juxta adversarios, non supponit partes, vel formalitates realiter distinctas; unde terminus *inadæquate*, adhibitus in ordine ad similitudinem, significat idem, ac *imperfecte*, quæ significatio non requirit partes realiter distinctas; est enim eadem indivisibilis entitas, vel etiam formalitas imperfecte similis Deo, quin ulla pars, vel formalitas formalitatis, sit perfecte, seu adæquate Deo similis.

401. Dices 2. Est evidens, hominem accepisse a Deo plures perfectiones, quam acceperit brutum, & propterea etiam grates ei debere: ergo homo est similis Deo in pluribus perfectionibus. Resp. nego ant. Evidens tantum est, quod homo acceperit majorem perfectionem essentialem, quam brutum, eumque secundum istam esse realiter similem, & dissimilem, Deo, bruto, & aliis: hoc est, esse similem aliquo modo, & non esse similem majori modo: tamen respectu unius esse magis similem, quam respectu alterius &c.

Dices 3. Juxta nos homo esset arbori, imo etiam saxo, realiter similis secundum omnes gradus metaphysicos, sive secundum omnia prædicata: sed sic non esset magis similis alteri homini, quam arbori, quod est falsum: ergo. Resp. neg. min. nam homo est similis cuicumque rei secundum omnes gradus, seu omnia prædicata identificata realiter accepta: attamen magis, vel minus perfecte, prout cum qualibet re potest, vel plures, vel pauciores fundare conceptus confusos: sic calor est similis frigori, & etiam est similis igni secundum omnes gradus metaphysicos: sed tamen est magis similis frigori accidentali, quam igni substantiali; quia potest pluribus conceptibus confusis subsistare cum frigore, quam cum igne.

402. Di-

402. Dices 4. Idem non potest esse æquale, & inæquale eidem: ergo etiam non potest esse simile, & dissimile eidem. Resp. om. ant. (nam Aristoteles *in Prædicam. tract. 2. cap. 3.* ait: *Simile enim, & dissimile magis, & minus dicitur: & æquale, & inæquale magis, & minus dicitur*) neg. conseq. Hac in re Aristoteli longe communior est opposita, & æqualitas communiter dicitur consistere in indivisibili; nam æqualia dicuntur, quorum unum præcise est tantum, quantum alterum: non autem etiam similitudo consistit in indivisibili; nam utique unum est alicui magis simile, quam alterum: e. g. una imago magis est similis prototypo, quam altera; nec enim ad similitudinem requiritur omnimoda convenientia; alias neque animalitas hominis esset similis animalitati leonis.

403. Dices 5. Juxta nos etiam similitudo debet stare in indivisibili: ergo. prob. ant. juxta nos tam animalitas hominis, quam animalitas leonis, sunt indivisibiles in plures formalitates objectivas: & in iis stat similitudo: ergo. Resp. neg. ant. Aliud est, quod similitudo stet in indivisibilibus, aliud quod in indivisibili: illud significat, quod objecta, quæ dicuntur similia, sint a parte rei indivisibilia: & est verum: istud significat, quod una similitudo non possit esse major altera, sicut una æqualitas non potest esse major altera: & hoc est falsum. ad prob. conc. ant. neg. conseq.

404. Objic. 3. Ubi datur compositio, etiam datur distinctio: sed inter genus, & differentiam, seu inter animal, & rationale, datur compositio, quando scilicet componuntur in unam definitionem: ergo etiam datur distinctio: sed ista compositio, nec est stricte realis, nec pure formalis: ergo est media, seu formalis ex natura rei: ergo etiam talis est distinctio. prob. subsumpt. quoad 2. p. (nam quoad primam ab omnibus admittitur) si compositio illa esset pure formalis, posset etiam dari in Deo: atqui ex Magistro Sententiarum, & S. Thoma 1. *p. quæst. 3. art. 5. in corp.* non potest dari in Deo: ergo non est pure formalis.

Resp. om. syllog. neg. subsumpt. quoad 2. p. ad prob. neg. maj. juxta mentem S. Thomæ; quia, ut *loc. cit. in corp.* docet Angelicus, ratio, quare non possit dari illa compositio, est, quia respectu Dei non

potest

potest dari genus; nam, ut ait S. Doctor, si esset aliquod genus esset *ens*: sed *ens*, ut iterum ait, non potest esse genus; quia differentia debet esse extra genus; nihil autem positivum potest esse extra ens: negativum autem non est differentia entis; unde, etsi ista compositio sit tantum formalis, tamen non potest juxta S. Thomam dari in Deo.

Certe S. Thomas non vult, compositionem generis, & differentiæ, debere esse plusquam formalem; nam inter genus, & differentiam Angelorum (qui tamen capaces sunt compositionis plusquam formalis) non admittit, nisi compositionem rationis, seu pure formalem; sic enim ait 1. p. quæst. 50. art. 2. ad. 1. *Genus, & differentia in eis* Angelis *non accipitur secundum aliud, & aliud, sed secundum unum, & idem: quæ tamen differunt secundum considerationem nostram; in quantum enim intellectus noster considerat illam rem ut indeterminate, accipitur in eis ratio generis: in quantum vero considerat ut determinate, accipitur ratio differentiæ.* Alii, qui putant, quod *ens* possit esse genus respectu Dei, & pro differentiis possint assignari *aseitas*, & *abaleitas*, admittunt etiam istam qualemcumque compositionem Deo pure extrinsecam.

405. Objic. 4. Diversitas specifica effectuum arguit diversitatem principiorum: sed animalitas, & rationalitas, habent effectus specie diversos: ergo etiam sunt diversa principia. Resp. Hoc argumentum probaret distinctionem realem, si quid probaret. dist. maj. diversitas specifica effectuum arguit diversitatem principiorum in eodem supposito. neg. maj. in diversis suppositis. conc. maj. & dist. min. animalitas, ac rationalitas, sunt in eodem supposito. conc. min. sunt in diversis suppositis. neg. min. & conseq. si enim diversitas effectuum etiam in eodem supposito argueret distinctionem principiorum, omnipotentia Dei esset infinities distincta: & ipsa animalitas nescio quoties, cum habeat diversissimos effectus; eo quod habeat quinque sensus, & cujuslibet actus diversissimi sint, diversitate etiam valde notabili, & æstimabili: ad quid autem tot sectiones?

406. Objic. 5. Ex una formalitate probatur altera a priori, seu per demonstrationem propter quid, e. g.

e. g. ex rationalitate risibilitas: ergo una debet esse causa alterius: ergo debet esse plus quam per conceptum, adeoque formaliter ex natura rei distincta. Resp. dist. conseq. debet esse causa proprie dicta, aut physica. neg. conseq. debet esse causa tantum analogica, vel metaphysica. om. primam, & nego secundam conseq. Ad demonstrationem *propter quid*, juxta communem extra Scholam subtilem, sufficit causa metaphysice talis, hoc est, entitas per conceptum repræsentata, quasi esset causa: sicut nempe apprehenditur essentia quasi causa proprietatum metaphysicarum, quæ ab essentia metaphysice, seu formaliter emanant, de qua re dictum *num.* 383. Similiter effectus metaphysice talis sufficit ad demonstrationem *quia*.

407. Objic. 6. Ubi datur ordo plusquam pure formalis, etiam datur distinctio plusquam pure formalis: sed inter formalitates, seu gradus metaphysicos ejusdem rei, datur ordo plusquam pure formalis: ergo etiam datur distinctio plusquam pure formalis. prob. min. formalitas, seu gradus animalitatis, est superior, latius patens, & prior a subsistendi consequentia: formalitas autem, seu gradus rationalitatis, est inferior, minus late patens, & posterior a subsistendi consequentia: sed hic ordo est plusquam pure formalis: ergo.

Antequam respondeam, noto 1. *A subsistendi consequentia prius* dicitur illud, quod legitime infertur ex altero, ut animalitas ex rationalitate: vicissim *a subsistendi consequentia posterius* dicitur illud, quod infert alterum, ut rationalitas infert animalitatem. Noto 2. A parte rei non dantur formalitates; aut gradus metaphysici; nam istæ denominationes proveniunt rebus a variis conceptibus præcisivis: & formalitates, seu gradus, dicunt in recto res, in obliquo vero conceptus. Sed hoc interim omisso, & præscindendo a conceptibus, ac loquendo tantum de rebus, prout dantur a parte rei,

408. Resp. dist. min. datur ordo plusquam formalis inter formalitates, vel gradus ejusdem suppositi. neg. min. inter formalitates, vel gradus diversorum suppositorum, sive entium. om. min. & neg. conseq. ad prob. dist. maj. formalitas animalitatis est supe-

superior, & formalitas rationalitatis est inferior &c. in eodem supposito. neg. maj. in diversis suppositis. conc. maj. & dist. min. hic ordo est plusquam formalis in diversis suppositis. om. min. in eodem supposito. neg. min. & conseq.

Hoc autem non est aliud dicere, quam plura esse in diversis suppositis animalia, quam sint rationalia: item omne rationale debere esse animal, non vicissim omne animal debere esse rationale: adeoque animal in tota sua latitudine, sive pro omnibus animalibus acceptum, esse superius, seu, quod hic idem est, esse latius patens, & esse prius a subsistendi consequentia; cum interim animal, sumptum pro hoc determinato animali in supposito rationali, a parte rei nec sit superius, nec latius patens, nec prius, quam rationale, sed, quidquid verificatur de hoc animali, verificetur etiam de rationali, & vicissim. Vide etiam inferius *num.* 572.

409. Objic. 7. Animal in homine est genus: rationale non est genus: ergo de istis formalitatibus verificantur contradictoria, adeoque plusquam pure formaliter distinguuntur. Confir. Animal est perfectibile, & determinabile a rationali: rationale non est perfectibile, aut determinabile a rationali: ergo. Resp. dist. 1. p. ant. animal a parte rei, seu realiter sumptum, est genus. neg. ant. animal formaliter sumptum est genus. conc. ant. dist. etiam 2. p. ant. rationale realiter sumptum non est genus. conc. ant. formaliter sumptum. subdist. sumptum sub diversa formalitate. conc. ant. sumptum sub eadem formalitate, sub qua sumitur animal. neg. ant. & conseq.

Genus, species, differentia, & similes termini secundo intentionales, non dantur a parte rei, seu independenter ab actibus intellectus: sed dicunt, saltem in obliquo, cognitiones, & quidem inter se diversas: sic genus dicit cognitionem, confundentem objectum cum pluribus specie differentibus; nam cognitio, per quam animal denominatur genus, confundit suum objectum, e. g. Petrum, quem tanquam animal cognoscit, cum omnibus animalibus, homine, leone, equo &c.

410. Differentia e contra dicit cognitionem, discernentem suum objectum ab omnibus specie differentibus; nam cognitio, per quam rationale denominatur differentia, discernit suum objectum, e. g. Petrum, ab omni eo, quod non est ejusdem speciei, sive non est homo. Jam res a parte rei est indifferens, ut cognoscatur, vel hac, vel illa cognitione, adeoque etiam est indifferens, ut denominetur genus, vel differentia; unde denominata genus, sive animal, non est nisi formaliter diversa a seipsa denominata rationale, sive differentia.

Ad confirm. eodem modo dist. ant. & neg. conseq. nam iterum eadem entitas est indifferens ad recipiendam hanc, vel illam denominationem a variis cognitionibus; nam cognitio, repræsentans objectum ut genus, repræsentat id ut determinabile, & cognitio repræsentans idem objectum ut differentiam, repræsentat illud ut determinans: prout scilicet loquitur S. Thomas de genere, & differentia Angelorum. vide *num.* 404. *in fine*.

411. Ob. 8. Rationalitas est de essentia hominis: risibilitas non est de essentia hominis: ergo de his formalitatibus verificantur contradictoria, adeoque distinguuntur distinctione Scotistica. Confirm. Petrus convenit cum Paulo in rationalitate, non convenit in hæcceitate, sive individuo: ergo iterum verificantur contradictoria. Resp. dist. 2. p. ant. risibilitas realiter sumpta non est de essentia hominis. neg. ant. formaliter sumpta. conc. ant. & neg. conseq. Realiter absque dubio risibilitas, utpote ipsa rationalitas, seu ipsum complexum ex corpore, & anima rationali unitis, est ipsa essentia hominis.

Quando autem risibilitas subsistat conceptui, ipsam repræsentanti in ordine ad risum, qui conceptus dicitur metaphysice accidentalis, non essentialis, tunc non dicitur esse de essentia metaphysica, seu non subsistare conceptui metaphysico essentiali: & sic etiam, si rationalitas subsistat tali conceptui, (id quod a parte rei semper fit, quando risibilitas realiter identificata tali conceptui subsistat) eodem modo non dicetur esse de essentia metaphysica; unde eadem res simul, & semel a diversis conceptibus diversimode denominabitur: quæ tamen omnia non important, nisi distinctionem pure formalem.

412. Ad confirm. dist. 2. p. ant. Petrus non convenit

nit realiter cum Paulo in hæcceitate eo modo, quo convenit in rationalitate. neg. ant. diverso modo. om. ant. & neg. conseq. Ideo convenit Petrus cum Paulo in rationalitate, quia ejus rationalitas est similis rationalitati Pauli: sed etiam hæcceitas ejus est similis hæcceitati Pauli, adeoque eodem modo convenit in ista: dicitur autem in hæcceitate non convenire, quia Petrus est aliud individuum, quam Paulus: sed etiam rationalitas Petri est aliud individuum, quam rationalitas Pauli: verbo: in utraque datur convenientia similitudinis, in neutra autem datur convenientia physicæ indentitatis, seu tanta, ut identificentur, in quibus nec est mica contradictionis.

413. Ob. 9. Differentia, e.g. rationale, est extra conceptum generis: genus, e.g. animal, non est extra conceptum generis: ergo adhuc dantur contradictoria, & consequenter distinctio Scotistica. Resp. A parte rei non datur genus, & differentia, ut jam dictum *num.* 409. sed isti termini secundo intentionales primum dantur post operationes, seu actus intellectus, sive cognitiones, a quibus hæ denominationes proveniunt: a parte rei autem tantum datur objectum, quod nunc genus, nunc differentia denominatur, & modo dicitur esse extra conceptum generis, modo intra ipsum, prout nempe generico, vel differentiali conceptui subsstat: & hinc etiam quandoque vocatur genus fundamentale, vel differentia fundamentalis.

Et, si objectio de hac differentia, vel de hoc genere fundamentali intelligatur, prout videtur ab adversariis intelligi (alias nihil probarent, quam conceptus, genericum, & differentialem, inter se distingui, inter quos libenter admittimus distinctionem realem) dist. 1. p. ant. rationale est extra conceptum generis, si subsstet conceptui generico. neg. ant. si subsstet conceptui differentiali. conc. ant. Eodem etiam modo dist. 2. p. ant. & neg. conseq. supponitur autem, animal esse realiter identificatum cum rationali; alias a duobus realiter distinctis mala fieret argumentatio, ut per se patet.

414. Quæres, an distinctio Scotistica saltem sit possibilis. Resp. Si formalitates ex natura rei diversæ intelligantur in sensu Mastrii, adducto *num.* 380. tales dari non possunt *ex n.* 383. adeoque nec earum distinctio. Si intelligantur formalitates in sensu recentioris adducto *nu.* 381. iterum dari non possunt, & consequenter neque earum distinctio; quia essentia, & existentia, non nisi pure formaliter, seu per conceptum distinguuntur, nec potest aliquid existere per existentiam alterius, plusquam pure formaliter distincti, ut cum communissima nostrorum probabimus in Physica. Si autem formalitates intelligantur in sensu Mauri, & dicantur esse entitates inseparabiles &c. de qua re *n.* 382. nolim defendere, tales formalitates esse absolute impossibiles, ob dicta *numer.* 354. consequenter nec earum distinctionem esse chimæricam: judico tamen, eam fore vere realem; cum talibus formalitatibus nihil desit, quo minus dicantur stricte esse res, & Maurus ac Scotistæ absque ratione contra communissimam eas e numero rerum stricte dictarum excludant, ut sufficienter colligitur ex dictis *a num.* 385.

ARTICULUS VII.

Quid sit, & an detur in Creatis Distinctio Virtualis Intrinseca.

415. Aliquid esse *virtualiter* alterum, est esse revera diversum ab isto: attamen habere talem virtutem, vel perfectionem, ut illi æquivaleat: sic in commercio humano pecuniæ sunt virtualiter omnia, quæ emi possunt. Quare etiam *distinctio virtualis* reipsa non est distinctio, sed tantum virtus, vel perfectio subjecti, in quo ipsa datur, æquivalens distinctioni in ordine ad admittenda prædicata contradictoria, ita, ut de ente virtualiter distincto possint prædicari talia prædicata, æque, ac de duobus realiter distinctis; unde recte definiri potest ex Ulloa *in Log. major. disput. 1. c. 2. Identitas realis duorum capacium suscipiendi prædicata contradictoria.*

Distinguit quidem *ibidem* Ulloa prædicata contradictoria *absolute talia*, & *conditionate talia* (de quibus egi *in tract. de Deo a n. 777.*) sed quia adversarii, hanc distinctionem etiam in creatis dari, probare

bare volunt ex contradictoriis absolute talibus, & contradictoria conditionate talia non videntur posse dari, nisi etiam dentur aliqua *absolute talia*, ut contingit in divinis, hinc non videtur illa difficultas Theologica transferenda in Philosophiam: qui de ea erudiri cupit, inveniet *locis citatis* traditam hac de quæstione desideratam doctrinam.

416. Notandum hic etiam 1. Aliqua prædicata sunt *intrinseca*, alia *extrinseca*: & quidem *extrinseca* sunt extra subjectum, quod denominant: ex. gr. quando aliquid dicitur *visum*, *cognitum*: & hæc prædicata dicuntur etiam concreta logica, seu denominationes logicæ: prædicata autem *intrinseca* sunt illa, quæ insunt subjecto, quod denominant, vel per identitatem, ut rationale homini, & vocantur *concreta metaphysica*: vel per unionem physicam, ut album muro, & vocantur *concreta physica*, de qua re jam supra *num.* 20. actum. Pro diversitate autem prædicatorum adstruitur a suis auctoribus etiam diversa distinctio virtualis: una *intrinseca*, quando scilicet involvit prædicata contradictoria intrinseca, de qua modo agimus: alia *extrinseca*, quando involvit prædicata contradictoria extrinseca, de qua postea.

417. Notandum 2. Aliud est verificari prædicata contradictoria: aliud verificari propositiones contradictorias. Prædicata contradictoria verificantur, quando vera est affirmatio, & negatio ejusdem prædicati, sive de eodem, sive de diversis subjectis: & sic dantur prædicata contradictoria in his propositionibus: *Homo est rationalis: Equus non est rationalis*. At vero propositiones contradictoriæ verificantur, quando vera est affirmatio, & negatio ejusdem prædicati, de subjecto omnino, sive tam realiter, quam virtualiter eodem: & hinc distinctio virtualis impedit, ne unquam verificentur propositiones contradictoriæ, neque etiam in divinis, ubi tamen juxta plurimos Theologos de natura divina, & personalitatibus, verificantur prædicata contradictoria: vide etiam dicta *num.* 386.

418. Dico. Non datur distinctio virtualis intrinseca in creatis. Ita contra Thomistas Scotistæ cum plerisque aliis auctoribus. Dico *in creatis*; nam in divi-

divinis eam plures etiam ex nostris admittunt. Conclusio probatur eadem ratione, qua *n.* 390. probatum est, non dari distinctionem Scotisticam. Scilicet non est admittenda hæc distinctio, eo quod in creatis omnia salvari possint, quin admittantur ulla contradictoria, etiam tantum conditionate talia.

Nec enim potest dici, quod, sicut in divinis non idem prædicatum *communicabile* negatur de Patre, quod affirmatur de essentia, ita etiam non idem prædicatum, e. g. *simile*, negetur de rationalitate, quod affirmatur de animalitate; cum *similitudo animalitatis* sit quoque realiter *similitudo rationalitatis*: neque ulla ratione probari possit diversitas plusquam pure formalis inter has duas similitudines: e contra autem *communicabilitas essentiæ* non sit *communicabilitas Patris*, ut fides nos docet. Sed, ut jam diximus *num.* 415. de prædicatis contradictoriis conditionate talibus non agimus, sed ea explicanda Theologis relinquimus. Huc etiam spectat confirmatio prima *ibidem* nempe *num.* 390. allata de oppositione contradictoriorum cum primis principiis, ac lumine naturali.

ARTICULUS VIII.

Solvuntur Objectiones.

419. OB. 1. celebre argumentum de actu contritionis, qui est actus voluntatis, indivisibiliter habens pro objecto Deum, & peccatum, estque amor Dei, & odium peccati. Huic actui similes quoad hoc sunt plures alii, e. g. eadem propositio mentalis affirmans unum, & negans alterum, eadem volitio gaudens de uno, & alterum desiderans, ad quos actus datur eadem proportionaliter responsio: ita ergo objicitur. Amor contritionis tendit in Deum: odium contritionis non tendit in Deum: ergo idem actus tendit, & non tendit in Deum: hæc sunt prædicata contradictoria: ergo. ant. 1. pars est clara.

Prob. 2. p. ant. Si odium contritionis tenderet in Deum, tunc Deus denominaretur odio habitus a contritione: hoc est manifeste falsum: ergo. Eodem

modo probari potest, amorem contritionis non tendere in peccatum. Resp. neg. 2. p. ant. vel dist. odium non tendit in Deum aversive, sive ipsum odio habendo. conc. ant. non tendit affective, sive ipsum amando. neg. ant. & conseq. ad prob. dist. ma. si odium tenderet in Deum aversive, Deus denominaretur odio habitus. conc. ma. si tendat tantum affective. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq.

420. Dices 1. Vel aversive tendere est præcise odium tendere, vel est aliquid aliud: si primum, tunc eo ipso, quod odium tendat in Deum, tendit in ipsum aversive: si secundum, non potest explicari, quid sit: ergo. Resp. conc. ma. & neg. 2. p. mi. atque explico, quid sit. Est autem aversive tendere in objectum, non quomodocumque istud respicere, sed ita, ut voluntas per illum actum amplectatur motiva, ad Deum odio habendum allicientia, & actus habeat tendentiam, ea motiva approbantem: at voluntas nequaquam per contritionem approbat motiva odio habendi Deum, nec actus contritionis habet tendentiam, ea motiva approbantem. Si quæras ulterius, quid sit voluntatem amplecti talia motiva, respondeo, hoc per se satis cadere sub experientiam; utique enim experimur, longe aliter se habere voluntatem, quando amat, quam quando odit: quod nec adversarii ulterius explicant: vel, si id explicent, eorum explicatio serviet etiam nobis.

421. Dices 2. Omnis actus, seu forma sufficienter unita debet subjecto capaci tribuere omnem denominationem, quam potest tribuere: sed odium contritionis juxta nos est sufficienter unitum Deo; quia in eum tendit, ac potest tribuere denominationem odio habiti, & Deus est capax hujus denominationis: ergo deberet istam denominationem tribuere Deo. Resp. neg. mi. quoad 2. membrum. Odium contritionis tam parum est forma potens Deo tribuere denominationem odio habiti, quam parum propositio, qua dico: *Deus potens creare alterum mundum existit:* est forma potens alterum mundum denominare affirmatum existentem; quia, sicut ad affirmationem alterius mundi existentis non sufficit actus affirmativus qualiscumque existentiæ, sed debet esse affirmativus certæ existentiæ, nempe alterius mundi,

di, ita ad denominationem Dei odio habiti, non sufficit actus qualiscumque odii, sed debet esse actus amplectens, & approbans motiva ad Deum odio habendum: & hic solus est forma requisita ad hanc denominationem.

422. Dices 3. Non potest uniri forma subjecto, nisi possit huic tribuere omnem effectum formalem: ergo odium contritionis non potest intentionaliter uniri Deo, nisi ei possit tribuere omnem effectum formalem, seu denominationem odio habiti. Resp. 1. neg. suppositum; nam odium contritionis *ex numer.* 421. non est forma potens hunc effectum formalem tribuere. Resp. 2. neg. ant. alias cognitio, qua Petrus cognoscit Paulum, deberet etiam Petrus denominare cognitum, & gratia sanctificans deberet Christum denominare filium Dei adoptivum: quæ sunt falsa.

Aliquem effectum videtur forma debere tribuere; quia non videtur alius finis unionis, seu physicæ, seu intentionalis cum subjecto, seu objecto: at non debet tribuere omnem, etiam ideo, quia subjectum sæpe non est capax omnis effectus formalis: & sic Christus non est capax denominationis filii adoptivi (de qua re Theologi) contritio autem jam tribuit Deo aliquam denominationem, nempe amati: alteram autem non potest tribuere, neque Deus potest eam a contritione recipere.

423. Dices 4. Omnis cognitio debet denominare suum objectum repræsentatum; quia est repræsentatio: ergo omnis forma debet subjecto tribuere omnem denominationem. Resp. conc. ant. neg. conseq. Cognitum, & repræsentatum sunt idem: omnis autem cognitio, utpote essentialiter cognoscens objectum, debet illud denominare cognitum. Dico *objectum*, non *subjectum*; nam cognitio Petri, qua hic cognoscit Paulum, non denominat Petrum cognitum, aut repræsentatum. Minus autem sequitur, quod omnis forma debeat tribuere subjecto, vel etiam objecto, omnem denominationem, quam potest quomodocumque tribuere; nam cognitio affirmativa non denominat omne objectum affirmatum: item cognitio vitalis non denominat omnem objectum vivens &c.

424. Ob. 2. Datur actus, qui simul est odium, & amor, respectu ejusdem objecti: ergo debent de ipso verificari contradictoria. prob. ant. mercator in periculo naufragii amat, & odit projectionem mercium: ergo. Confirm. Ægrotus amat medicinam ut salubrem, odit eandem ut amaram: ergo. Resp. dist. ant. datur actus, qui simul est odium efficax, & amor efficax ejusdem. neg. ant. odium efficax, & amor inefficax, vel vicissim. conc. ant. & neg. conseq. ad prob. dist. ant. amat efficaciter, & odit inefficaciter. conc. ant. amat efficaciter, & odit efficaciter. neg. ant. & conseq.

Mercator in tali casu, efficaciter volens servare vitam, amat, seu vult efficaciter projectionem mercium ad exonerandam navem, eamque cum vita salvandam: simul tamen inefficaciter odit, seu non vult projectionem; quia videt sibi damnosam: qua in re nulla est contradictio; nam talis actus sic tendit: *Volo absolute & efficaciter projectionem mercium, necessariam ad servandam vitam, quam efficaciter servatam volo: vellem tamen abesse hanc necessitatem; quia me reddit pauperem.*

Ubi obiter noto, quod *volitio efficax* sit duplex, una, quæ dicitur *effective efficax*, quæ voluntatem determinat ad faciendum, quantum est in se, ad obtinendam rem aliquam, & quæ, positis aliis omnibus a voluntate independentibus, infallibiliter obtinet rem illam: altera, quæ dicitur *affective efficax*, quæ saltem determinat voluntatem ad faciendam omnia, quæ ex parte sua necessaria sunt ad rem obtinendam. At *volitio inefficax* est tantum aliqua velleitas, quæ non ita determinat voluntatem: & proportionaliter loquendum est de nolitione efficaci, & inefficaci; unde quidem opponuntur volitio, & nolitio efficax respectu ejusdem objecti: sed non volitio efficax, & nolitio inefficax. Ad confir. servit eadem distinctio; nam amor medicinæ est efficax, odium inefficax.

425. Ob. 3. Intellectus, & voluntas sunt realiter idem: & tamen de his verificantur prædicata contradictoria: ergo datur distinctio virtualis. prob. 2. p. ant. voluntas producit volitiones: intellectus non producit volitiones: hæc sunt contradictoria; ergo.

ergo. Confir. Voluntas est libera: intellectus non est liber: hæc iterum sunt contradictoria: ergo. Resp. neg. 2. p. ant. ad prob. dist. 2. p. ma. intellectus realiter sumptus non producit volitiones. neg. ma. formaliter sumptus. conc. ma. & dist. proportionaliter mi. neg. conseq.

Eadem anima producit, tam volitiones, quam cognitiones; sed per præcisionem formalem (de qua *n.* 365.) cognita tantum in ordine ad intellectiones, dicitur intellectus: & per aliam præcisionem formalem cognita tantum in ordine ad volitiones, dicitur voluntas: quæ plus non inferunt, quam distinctionem pure formalem. Ad confirm. dist. 2. p. ma. intellectus realiter sumptus non est liber eodem modo, sicut voluntas, nempe in ordine ad volitiones. neg. ma. non est liber formaliter sumptus in ordine ad intellectiones, ad quas neque voluntas est libera. conc. ma. & dist. proportionaliter mi. neg. conseq. Scilicet eadem anima est libera ad aliquos effectus, non autem ad alios, in quo non est contradictio.

Ubi addo, quod intellectus, in sensu reali acceptus, non minus denominetur malus a peccato, & bonus ab opere bono, quam voluntas: & vicissim voluntas, in sensu reali accepta, non minus denominetur sciens a cognitione scientifica, quam intellectus: & hinc, cum in homine docto possint cognitiones esse bonæ, hoc est, scientificæ, e contra volitiones ejus malæ, hoc est, peccaminosæ, poterit idem intellectus realiter acceptus dici bonus, scilicet secundum cognitiones, & malus secundum volitiones: & idem dicendum est de voluntate; nam hoc non est aliud dicere, quam animam esse bonam propter aliquas operationes, & malam propter alias: sive dein hæ denominationes tribuantur *simpliciter*, sive tantum *secundum quid*, quod hic non vacat examinare. Tantum adhuc noto, quod, quando adhibentur isti termini *intellectus*, *voluntas*, hoc ipso juxta receptum communem modum loquendi, intelligatur intellectus formaliter acceptus, atque etiam voluntas formaliter accepta.

426. Dices 1. Juxta modo dicta, ex communi modo loquendi, intellectus est formaliter intellectus, voluntas non est formaliter intellectus: hæc

saltem sunt contradictoria : ergo. Confir. Intellectus producit , & connotat intellectiones : voluntas non producit , nec connotat intellectiones : hæc iterum sunt contradictoria : ergo. Resp. dist. ma. intellectus realiter sumptus, sive anima , est formaliter intellectus , si cognoscatur in ordine ad intellectiones , & voluntas realiter sumpta , sive eadem anima , non est formaliter , sive , quod idem est , non dicitur intellectus , si cognoscatur in ordine ad volitiones . conc. ma. intellectus est formaliter intellectus , si ipse cognoscatur in ordine ad volitiones , & voluntas non est formaliter intellectus , si ipsa cognoscatur in ordine ad intellectiones . neg. ma. & dist. mi. hæc sunt contradictoria , quæ cadunt super eandem rem , scilicet animam , aut intellectum , & voluntatem identificatos . neg. mi. quæ cadunt supra diversas cognitiones . conc. mi. & neg. conseq. Unde potest admitti , quod intellectus , & voluntas , si formaliter sumantur , distinguantur inadæquate realiter , quatenus in iis involvuntur diversæ cognitiones realiter distinctæ . Ad confirm. servit eadem distinctio .

427. Dices 2. Si intellectus etiam vult , tunc sequitur , quod , si aliquis intelligat peccatum , id etiam velit : item , si voluntas etiam intelligit , sequitur iterum , quod , si quis intelligat peccatum , in illud voluntate feratur , adeoque id amet : sed hoc est falsum : ergo . Resp. neg. utramque partem majoris . Eo ipso , quod intellectus , & voluntas , possint elicere actus diversos , non etiam amatur , quod tantum intelligitur , aut in quod voluntas , tantum realiter accepta , per cognitionem dumtaxat fertur : præterquam , quod voluntatem ferri in aliquid , & illud amari , non sint idem ; cum voluntas etiam possit ferri odio .

428. Ob. 4. In peccato sunt idem actio creaturæ , & concursus Dei : & tamen , concursus Dei amatur a Deo : actio creaturæ non amatur : ergo de eodem peccato verificantur contradictoria . Confir. In quolibet ente creato sunt idem perfectio , & imperfectio : illa amatur a Deo , non amatur ista : ergo iterum verificantur contradictoria . Resp. neg. 2. p. ant. Deus in peccato neque amat suum concursum , sed hunc tantum permittit , in genere morali , sicut etiam actionem creaturæ : physice autem utrumque pro-

producit , sed ut determinatus a creatura , de qua re plura Theologi .

Ad confirm. neg. 2. p. ant. nam Deus etiam realiter amat talem imperfectionem , seu amat ens positivum , licet physice imperfectum , hoc est , non perfectius ; alias nec amaret B. Virginem . Aliud est , quod forte non amet negationem formalem majoris perfectionis ; quamvis forsan aliquis etiam de hoc posset disputare , an non Deus amet suo modo eam negationem ut conformem suæ rectissimæ voluntati : sed quidquid de hoc sit , ea negatio non est identificata cum physica perfectione entis.

429. Ob. 5. In actu supernaturali , e. g. amoris , realiter sunt idem supernaturalitas , & vitalitas : sed ista procedit a voluntate creata naturali , non autem illa : ergo de eodem actu verificantur contradictoria . Confir. In eadem albedine sunt idem color , & dependentia a Deo : sed color videtur , dependentia a Deo non videtur : ergo idem videtur , & non videtur , quæ sunt contradictoria . Resp. neg. mi. Utraque , tam supernaturalitas , quam vitalitas procedit a voluntate creata : at non tanquam a causa adæquata , sed tantum inadæquata .

Hoc tamen non est ita intelligendum , quasi una pars actus procedat a voluntate naturali , & altera a principio supernaturali : sed quod voluntas se sola non possit eum actum producere : sicut scilicet quilibet equus , ex quatuor currui graviter onusto junctis , producit totum motum currus : sed non totaliter , seu tanquam causa adæquata , & se sola sufficiens . Ad confirm. neg. 2. p. mi. nam etiam dependentia a Deo , in quantum est identificata cum colore , videtur , quamvis non videatur secundum obliquam , nempe Deum , realiter a colore distinctum .

430. Ob. 6. In quovis ente , est idem verum , ac bonum : verum est objectum intellectus : bonum non est objectum intellectus , quæ sunt iterum contradictoria : ergo . Confir. In operatione recta Logicæ idem est productio ejus , & introductio in intellectum : sed a Logica intenditur productio , non autem introductio : ergo &c. Resp. dist. 2. p. mi. bonum realiter sumptum non est objectum intellectus realiter sumpti . neg. mi. bonum formaliter sumptum non est

objectum intellectus formaliter sumpti. conc. mi. & neg. conseq. Quando dicitur, bonum non esse objectum intellectus, significatur tantum, quod res cognita ut bona, seu ut potens terminare volitionem, sive amorem, non sit cognita ut vera, seu ut potens terminare intellectionem: itaque contradictio non cadit in ipsam rem realiter acceptam, sed tantum in diversas, & distinctas cognitiones.

Ad confir. Imprimis hæc contradictoria *intendi, non intendi*, sunt per se tantum extrinseca: sed hoc omisso dist. 2. p. mi. non intenditur introductio realiter. neg. mi. non intenditur formaliter. conc. mi. & neg. conseq. Realiter intendi introductionem operationum in intellectum, est intendi productionem realiter identificatam: formaliter autem intendi introductionem est velle operationem introduci in intellectum per regulas clare, & expresse de ea introductione loquentes, quales tamen nullæ dantur in Logica; unde contradictio non cadit in productionem, & introductionem, sed in regulas diversas, illas scilicet, quæ de facto dantur, & alias, quæ non dantur.

431. Ob. 7. In eodem effectu, e. g. equo de novo generato, idem est gradus specificus, & gradus individualis: sed causa creata determinat ad gradum specificum, non determinat ad gradum individualem: ergo ad idem determinat, & non determinat: quæ sunt contradictoria. Resp. conc. ma. dist. 1. p. mi. causa creata determinat ad gradum specificum adæquate, seu universaliter sumptum. conc. 1. p. mi. determinat ad gradum specificum inadæquate sumptum, seu ad hunc identificatum equo recens generato. subdist. determinat ad ipsum determinate sumptum. neg. 1. p. mi. ad ipsum indeterminate sumptum. conc. 1. p. mi. & dist. etiam 2. p. mi. non determinat ad gradum individualem determinate sumptum, sive ad hunc ipsum, cum equo recens producto identificatum. om. 2. p. mi. non determinat ad gradum individualem indeterminate sumptum. neg. 2. p. mi. & conseq.

Supponitur hic, quod non creatura, sed Deus determinet ad individuum, quod si negetur cum Thomistis, & pluribus aliis, eo ipso ruit objectio. Noto autem

autem quod gradus specificus adæquatus, seu adæquate, aut universaliter sumptus, e. g. equinus, complectatur omnes equos: gradus autem specificus inadæquate, seu particulariter sumptus, sit tantum unus equus, qui ponitur recens generatus; unde ab hoc gradu inadæquate sumpto distinguitur inadæquate gradus specificus adæquate sumptus, tanquam totum a sua parte, & tanquam collectio omnium equorum ab aliquo equo particulari.

432. Jam, quando causa creata dicitur determinare ad gradum specificum, intelligitur determinare ad gradum specificum adæquate sumptum, sed per descensum disjunctum, seu confusum, explicandum: aut, si intelligatur causa creata determinare ad aliquem gradum specificum inadæquatum, seu particularem, intelligitur determinare ad aliquem tantum indeterminate, seu confuse sumptum: qua ratione etiam determinat ad gradum individualem.

Nempe causam creatam determinare hic significat naturaliter exigere; unde, quando equus e. g. dicitur determinare ad suam speciem, seu gradum specificum, idem significat, ac equum exigere potius producere equum, quam aliud animal; cum igitur causa creata, ut supponitur, non exigat unum individuum determinatum præ altero, ad nullum determinate sumptum determinat; quare verificantur tantum hæ propositiones: *Equus exigit producere aliquem equum: sed non exigit potius producere hunc, quam alium:* ubi nulla prorsus est contradictio, ut facile patet.

ARTICULUS IX.

Quid sit, & an detur in Creatis Distinctio Virtualis Extrinseca.

433. HÆc distinctio etiam vocatur *virtualis minor*, communius tamen *præcisiones objectivæ*: quæ objectivæ dicuntur, non ideo, quasi aliqua in ipso objecto realis detur præcisio, aut distinctio: sed quia, supposito, quod detur istæ præcisiones, objectum ita se debet habere, ac si una formalitas ipsius esset objective præcisa ab altera; sic enim,

objectum intellectus formaliter sumpti. conc. mi. & neg. conseq. Quando dicitur, bonum non esse objectum intellectus, significatur tantum, quod res cognita ut bona, seu ut potens terminare volitionem, sive amorem, non sit cognita ut vera, seu ut potens terminare intellectionem: itaque contradictio non cadit in ipsam rem realiter acceptam, sed tantum in diversas, & distinctas cognitiones.

Ad confir. Imprimis hæc contradictoria *intendi, non intendi*, sunt per se tantum extrinseca: sed hoc omisso dist. 2. p. mi. non intenditur introductio realiter. neg. mi. non intenditur formaliter. conc. mi. & neg. conseq. Realiter intendi introductionem operationum in intellectum, est intendi productionem realiter identificatam: formaliter autem intendi introductionem est velle operationem introduci in intellectum per regulas clare, & expresse de ea introductione loquentes, quales tamen nullæ dantur in Logica; unde contradictio non cadit in productionem, & introductionem, sed in regulas diversas, illas scilicet, quæ de facto dantur, & alias, quæ non dantur.

431. Ob. 7. In eodem effectu, e. g. equo de novo generato, idem est gradus specificus, & gradus individualis: sed causa creata determinat ad gradum specificum, non determinat ad gradum individualem: ergo ad idem determinat, & non determinat: quæ sunt contradictoria. Resp. conc. ma. dist. 1. p. mi. causa creata determinat ad gradum specificum adæquate, seu universaliter sumptum. conc. 1. p. mi. determinat ad gradum specificum inadæquate sumptum, seu ad hunc identificatum equo recens generato. subdist. determinat ad ipsum determinate sumptum. neg. 1. p. mi. ad ipsum indeterminate sumptum. conc. 1. p. mi. & dist. etiam 2. p. mi. non determinat ad gradum individualem determinate sumptum, sive ad hunc ipsum, cum equo recens producto identificatum. om. 2. p. mi. non determinat ad gradum individualem indeterminate sumptum. neg. 2. p. mi. & conseq.

Supponitur hic, quod non creatura, sed Deus determinet ad individuum, quod si negetur cum Thomistis, & pluribus aliis, eo ipso ruit objectio. Noto autem

autem quod gradus specificus adæquatus, seu adæquate, aut universaliter sumptus, e. g. equinus, complectatur omnes equos: gradus autem specificus inadæquate, seu particulariter sumptus, sit tantum unus equus, qui ponitur recens generatus; unde ab hoc gradu inadæquate sumpto distinguitur inadæquate gradus specificus adæquate sumptus, tanquam totum a sua parte, & tanquam collectio omnium equorum ab aliquo equo particulari.

432. Jam, quando causa creata dicitur determinare ad gradum specificum, intelligitur determinare ad gradum specificum adæquate sumptum, sed per descensum disjunctum, seu confusum, explicandum: aut, si intelligatur causa creata determinare ad aliquem gradum specificum inadæquatum, seu particularem, intelligitur determinare ad aliquem tantum indeterminate, seu confuse sumptum: qua ratione etiam determinat ad gradum individualem.

Nempe causam creatam determinare hic significat naturaliter exigere; unde, quando equus e. g. dicitur determinare ad suam speciem, seu gradum specificum, idem significat, ac equum exigere potius producere equum, quam aliud animal; cum igitur causa creata, ut supponitur, non exigat unum individuum determinatum præ altero, ad nullum determinate sumptum determinat; quare verificantur tantum hæ propositiones: *Equus exigit producere aliquem equum: sed non exigit potius producere hunc, quam alium:* ubi nulla prorsus est contradictio, ut facile patet.

ARTICULUS IX.

Quid sit, & an detur in Creatis Distinctio Virtualis Extrinseca.

433. HÆc distinctio etiam vocatur *virtualis minor*, communius tamen *præcisiones objectivæ*: quæ objectivæ dicuntur, non ideo, quasi aliqua in ipso objecto realis detur præcisio, aut distinctio: sed quia, supposito, quod detur istæ præcisiones, objectum ita se debet habere, ac si una formalitas ipsius esset objective præcisa ab altera; sic enim,

enim, & non aliter, de ipso objecto possunt verificari contradictoria. Consistunt autem istæ præcisiones juxta suos auctores in eo, quod intellectus, cognoscendo aliquod objectum, illud in duas partes metaphysicas intentionaliter scindat: non tantum ita, ut in duobus conceptibus, idem diversimode, seu in ordine ad diversas operationes, aut connotata &c. repræsentantibus, appareat quasi duplex, ut fit in præcisione pure formali: sed ita, ut intellectus unam ex his partibus metaphysicis, seu formalitatibus cognoscat, alteram vero, nec realiter etiam, cognoscat.

434. Sic in casu illo decantatissimo, quando videtur aliquid (quod reipsa est homo) a longe se movens, sed non ita clare, ut possit discerni, an sit homo, vel canis, vel aliud animal, si darentur præcisiones objectivæ, cognosceretur realiter animalitas, rationalitas vero nec realiter cognosceretur, & cognitio repræsentaret animalitatem, nullo autem modo rationalitatem. Has præcisiones esse possibiles, imo frequenter actu dari, asserunt Thomistæ cum multis ex nostris, & aliis. Nostri tamen, præsertim recentiores, longe communius eas negant. De S. Thoma, atque Suarezio disputatur, cui parti faveant: ego litem hanc sub judice relinquo, & istam quæstionem de re ratione potius decidendam existimo.

435. Dico. Non dantur in creatis præcisiones objectivæ, seu distinctio virtualis extrinseca, aut minor. Prob. conclusio eadem fere ratione, qua duæ præcedentes. Non possunt dari præcisiones objectivæ, nisi de eodem realiter ente verificentur prædicata contradictoria, nempe esse cognitum, & non esse cognitum: sed hæc in creatis non possunt verificari: ergo. Confir. Hic syllogismus est bonus, quia clarissime expositorius*: *Hoc animal est cognitum: sed hoc rationale est hoc animal: ergo hoc rationale est cognitum*: & præmissæ sunt etiam juxta adversarios veræ: ergo etiam vera est conclusio: ergo ejus contradictoria: *Hoc rationale non est cognitum*: est falsa, adeoque non dantur præcisiones objectivæ.

436. Ad hoc argumentum adversarii varia respondent, & 1. Comptonus *disp.* 24. *Log. sec.* 9. negat, verificari contradictoria; nam ait, tantum eandem rem cognosci inadæquate, non autem adæquate, quæ non sint oppositæ. Sed quæro, an, dum animal cognoscitur inadæquate, etiam inadæquate cognoscatur rationale, an non: si primum, tunc verum dicitur; nam etiam juxta nos animal tantum inadæquate, sive præcisive cognoscitur: sed simul eodem modo cognoscitur rationale, consequenter non dantur præcisiones, nisi pure formales: si autem dicatur secundum, tunc idem cognoscitur inadæquate, & simul non cognoscitur inadæquate, quæ sunt contradictoria.

437. Respondet 2. idem Comptonus *loc. cit.* syllogismum in confirmatione adductum esse malum; eo quod habeat quatuor terminos; cum terminus *animal* in majore sumatur pro statu præcisivo, in minore vero pro statu reali, adeoque sit æquivocus. At plane in utraque præmissa *animal* sumitur pro statu reali; cum animali realiter tali conveniat esse cognitum, sicut eidem competit esse visum &c. Adde, quod in eodem statu, in quo sumitur animal, sumatur etiam rationale, adeoque syllogismus non habeat quatuor terminos. Adde, quod ab adversariis non possit explicari, quid sit ille status præcisivus ab ipsis assertus: certe eum Comptonus non explicat: &, si forte vellet dicere, esse eum statum, in quo cognosceretur animal non cognito rationali, luderet in verbis, & responderet, quod est in quæstione.

438. Conantur quidem aliqui auctores explicare statum hunc præcisivum, vel, ut etiam vocant, objectivum, aut intentionalem: at non satisfaciunt. Quidam dicunt, eum statum esse statum omnino fictum, quem scilicet intellectus fingat: alii dicunt, esse imaginem objecti productam ab intellectu, quæ sit distincta a cognitione, & vocetur verbum mentis: iterum alii dicunt, esse phantasma, quod repræsentet e. g. animal, & non rationale: alii adstruunt idolum aliquod intellectuale, e. g. animalis solius. &c. videri potest Izquierdo *in pharo scientiarum disp.* 13. *q.* 9. Sed quidquid de his sit, quæ sunt ex se satis obscura, redit argumentum: Animal, & rationale sunt idem: ergo status fictus, imago, verbum mentale, phantasma, aut idolum animalis, etiam est

est status fictus, imago &c. rationalis; alias iterum verificantur contradictoria.

Equidem aliqui recentiores, qui tale phantasma, aut idolum admittunt, libenter concedunt, non verificari contradictoria, sed idem realiter esse idolum, aut phantasma, tam rationalis, quam animalis: & hinc ab ipsis non admittuntur præcisiones objectivæ stricte tales, sed (ut vocant) *præcisiones intentionaliter objectivæ*: cum quibus auctoribus non litigamus; quia revera non consentiunt antiquis præcisionum objectivarum patronis, qui simpliciter negabant, utramque formalitatem eodem modo cognosci: nec discrepant a nobis in eo, quod est caput quæstionis, an scilicet verificentur contradictoria, sed tantum forte in eo, an cognitio præcisiva repræsentet ipsum animal, & rationale, quod datur a parte rei, an vero tantum aliud esse objectivum, quod sibi primo phantasia fingit, & postea etiam intellectus repræsentat: quæ est longe alia quæstio: quamvis, ut verum fatear, existentia talis conceptus, phantasmatis, aut idoli, difficulter possit probari.

439. Respondet 3. idem Comptonus, dictum nostrum syllogismum esse fallacem, & similem illi, quem tanquam fallacem adducit Aristoteles 2. *Elenchor.* 4. & S. Thomas *Opusc.* 39. *de fallaciis c.* 9. *Cognosco Coriscum: Coriscus est veniens: ergo cognosco venientem*. Sed contra est. Hic syllogismus est malus; quia committitur in eo fallacia accidentis, sive, quia ex cognitione subjecti infertur etiam cognitio accidentis in eo recepti: id est, ex cognitione Coriscí, qui est veniens, infertur etiam cognitio ejus motus, seu adventus: sive ex cognitione venientis specificative accepti infertur cognitio venientis reduplicative accepti; unde syllogismus habet quatuor terminos; nam *terminus veniens specificative acceptus*, & terminus *veniens reduplicative acceptus*, sunt duo termini. Et hoc plane est, quod vult Aristoteles *loc. cit.* si bene legatur: nihil simile contingit in nostro syllogismo. Si autem in objecto syllogismo terminus *veniens* tantum sumeretur specificative, syllogismus bonus esset.

440. Respondent 4. alii, non quidem posse de eodem

dem ente verificari prædicata contradictoria intrinseca: posse tamen verificari extrinseca: & talia esse *cognosci, non cognosci*. Sed contra est 1. Esse aliquid extrinsece, & non esse illud ipsum extrinsece, etiam sunt simul esse, & non esse: sed propter hoc principium, quod idem non possit simul esse, & non esse, non possunt verificari contradictoria intrinseca: ergo neque possunt verificari contradictoria extrinseca: & certe quam parum quis potest simul esse videns, & non videns, amans, & non amans, tam parum potest simul esse visus, & non visus, amatus, & non amatus.

Contra est 2. Ex contradictoriis extrinsecis sequuntur aliqua contradictoria intrinseca; nam, si idem cognoscatur, & non cognoscatur, sequitur, quod detur, vel intellectus cognoscens idem, & non cognoscens idem, vel cognitio repræsentans idem, & non repræsentans idem, vel idem objectum cognoscibile, & non cognoscibile eadem cognitione: quæ sunt prædicata contradictoria intrinseca.

441. Replicant hic aliqui, & negant, *cognoscibile* esse prædicatum intrinsecum; cum nihil aliud dicat, quam potentiam producendi cognitionem, quæ potentia objecto cognoscibili est extrinseca: addunt, etiam negationes, & chimæras, esse cognoscibiles, quibus tamen nihil est intrinsecum. Sed duplex est *cognoscibilitas*, una *activa*, seu aptitudo ad producendam cognitionem, quæ fors melius diceretur *cognoscitivitas*, & hæc est extrinseca objecto: altera *passiva*, seu aptitudo ad terminandam cognitionem, & hæc est intrinseca objecto, sicut possibilitas, amabilitas, quæ sunt intrinsecæ rebus possibilibus, vel amabilibus; quis enim dicat, Deum non esse intrinsece amabilem? Quod spectat ad negationes, & chimæras, vel istæ non sunt in se cognoscibiles, ut multi tenent cum S. Thoma 1. *p. q.* 25. *a.* 3. *in corp.* ubi sic ait: *Id enim, quod contradictionem implicat, verum esse non potest; quia nullus intellectus potest illud concipere*: vel, si in se cognoscibiles sunt, etiam eorum cognoscibilitas ipsis intrinseca est, non per statum, sed per alienationem. Sed de hoc plura in Metaphysica *a n.* 1283. ubi cum S. Thoma sentiemus.

442. Re-

442. Respondent 5. alii, etiam nos debere admittere cognitionem creatam, quæ tendat in aliquid, & simul non tendat in omne, quod ei est identificatum; nam, quando cognitio aliqua tendit in Patrem divinum, etiam tendit in naturam divinam: at non tendit in Filium divinum, neque in Spiritum Sanctum, quamvis sint identificati naturæ divinæ. Sed non est bona hæc argumentatio a divinis ad creata; neque enim eadem mysteria admittenda sunt in istis, quæ in illis: talis cognitio est possibilis circa Deum; quia in hoc datur identitas realis cum distinctione reali in tertio: & datur distinctio virtualis intrinseca inter naturam, & personas: cum ergo verum sit, naturam divinam esse identificatam Patri, & naturæ esse identificatum Spiritum Sanctum, quin tamen hic sit identificatus Patri, potest etiam verificari, naturam divinam esse cognitam, quin tamen Spiritus Sanctus sit cognitus: ex quo confirmatur suo modo, quod diximus, nempe, non posse verificari prædicata contradictoria extrinseca, nisi etiam verificentur intrinseca.

443. Replicant hic adversarii, nos non magis experiri, quod cognoscamus individuationem alicujus hominis, si cognoscimus ejus naturam, quam experiamur, nos cognoscere personas divinas, si cognoscimus naturam divinam: adeoque, cum cognoscendo naturam divinam non necessario etiam cognoscamus personas divinas, etiam cognoscendo naturam alicujus hominis nos non necessario cognoscere ejus individuationem. Sed contra est. *Aliud est*, nos cognoscere aliquid, aliud, nos experiri, quod illud cognoscamus; quod enim cognoscamus, vel non cognoscamus individuationem, vel personam, pendet a natura, habente, vel non habente distinctionem virtualem, quod non cadit sub experientiam.

Replicant iterum. Si etiam falsum esset mysterium SS. Trinitatis, & tantum a Christianis confictum, tamen illud eodem modo cognosceremus, ac nunc: ergo distinctio virtualis nil facit ad rem. Sed neg. antec. nam, vel mutato objecto mutatur cognitio: & in eo casu haberetur alia cognitio, quæ naturam divinam aliter cognosceret; vel non mutatur cogni-

cognitio: & in eo casu etiam cognosceretur persona una divina; quia plures realiter non essent: adeoque iterum natura divina aliter a nobis cognosceretur.

444. Replicant iidem ulterius. De facto ex eo, quod in Deo cognoscatur aliquid, & non cognoscatur omne cum ipso identificatum, non sequitur, quod de nostro intellectu, vel cognitione, verificentur contradictoria intrinseca: ergo dicta *n.* 440. non omnimode subsistunt. Sed repono, me *num. cit.* studiose dixisse, verificari aliqua contradictoria intrinseca, vel de intellectu, vel de cognitione, vel de objecto: in divinis verificantur contradictoria de objecto; unde non amplius est necessarium, ut verificentur etiam de intellectu, vel cognitione.

Nam e. g. in his propositionibus: *Intellectus est cognoscens Petrum: Intellectus non est cognoscens Paulum*: non dantur contradictoria de intellectu, neque de cognitione; quia scilicet intellectus non est *cognoscens*, & *non cognoscens idem*: atqui objectum, in quo datur distinctio virtualis, se habet æquivalenter ut duo distincta, seu idem, & non idem: adeoque, licet propterea debeant de objecto ita virtualiter distincto verificari contradictoria, non debent verificari etiam de intellectu, vel cognitione.

445. Respondent 6. iterum alii, hæc contradictoria *cognosci*, & *non cognosci* cadere supra diversas formalitates objectivas. Sed contra est. Vel istæ formalitates sunt jam antecedenter ad operationem intellectus aliquo modo distinctæ; vel primum fiunt distinctæ per ipsam operationem intellectus. Si adversarii dicant primum, incidunt in distinctionem Scotisticam supra rejectam, & quam etiam ipsi non admittunt. Si dicant secundum, faciunt 1. circulum vitiosum; ideo enim sunt diversæ formalitates objectivæ, quia sunt objective præcisæ: & ideo objective præscindi possunt; quia sunt diversæ formalitates objectivæ. 2. Operatio intellectus non facit, nisi distinctionem rationis: ergo, nisi jam antecedenter ad hanc operationem sint diversæ formalitates, per eam non fiunt diversæ, aut distinctæ, nisi pure formaliter. 3. Hæ formalitates quomodocumque explicentur, sunt idem realiter ens:

sed

sed de eodem realiter ente non possunt verificari contradictoria : ergo.

Replicant adversarii isti, esse diversas formalitates objectivas, non formaliter, sed fundamentaliter : hoc est, objectum esse fundamentum terminativum talium cognitionum, quæ unum ipsius prædicatum cognoscant, non cognito altero. Sed contra est. Implicat tale fundamentum, ut hucusque probatum est; nam implicat fundamentum ad verificanda de eodem realiter ente contradictoria. Et certe, ubi non datur realiter, aut saltem intrinsece virtualiter, unum, & alterum, non potest fundari cognitio unius sine altero.

446. Respondent denique 7. alii, quod, quando cognoscitur animal, etiam cognoscatur realiter, & identice id, quod est rationale : non tamen cognoscatur rationalitas. Sed contra est. Vel volunt dicere, quod cognoscatur quidem animal identificatum cum rationali, non tamen simul cognoscatur ipsum rationale : & hucusque probavimus, hoc non posse esse verum. Vel volunt dicere, quod animal cognoscatur aliquo modo, quiscumque is sit, quo modo non cognoscitur rationale : & hoc etiam non posse dici rationes nostræ videntur evincere. Vel volunt dicere, quod animal cognoscatur in ordine ad sensationes, & rationale non cognoscatur in ordine ad ratiocinationes : & admittunt præcisiones pure formales, quas & nos facile admittimus.

ARTICULUS X.

Solvuntur Objectiones.

447. OBJIC. 1. In casu, quo video a longe aliquid currere, sed non discerno, an sit homo, vel brutum, reipsa tamen est homo, cognosco animal, & non cognosco rationale : ergo dantur præcisiones objectivæ. prob. 2. p. ant. si cognoscerem rationale, possem dicere, quod sit rationale : sed hoc non possum dicere : ergo. prob. maj. ideo possum dicere, quod sit animal; quia cognosco animal : ergo, si etiam cognosco rationale, possum dicere, quod sit rationale. Resp. dist. 2. p. ant. non cognosco

sco rationale realiter. neg. ant. non cognosco illud formaliter. conc. ant. & neg. conseq.

Realiter cognoscere aliquid significat, quod cognitio illud tanquam objectum revera attingat, & repræsentet : *formaliter cognoscere* autem significat cognoscere secundum formam denominantem, seu secundum rationem, propter quam tale, vel tale dicitur objectum : & quia in hoc casu forma denominans rationale est potentia producendi ratiocinationes, sicut forma denominans animal est potentia producendi sensationes, ideo cognoscere rationale formaliter est istud cognoscere in ordine ad hanc potentiam, seu, quod pro eodem sumi solet, in ordine ad actus hujus potentiæ, sive ad ratiocinationes : & cognoscere animal formaliter est illud cognoscere in ordine ad sensationes, qui sunt actus proprii animalitatis.

448. Ad prob. dist. maj. si cognoscerem rationale formaliter, possem dicere, quod sit rationale. conc. maj. si tantum illud cognosco realiter. neg. maj. & conc. min. neg. conseq. ad prob. iterum dist. ant. ideo possum dicere, quod sit animal, quia cognosco formaliter animal. conc. antec. quia istud tantum cognosco realiter. neg. ant. & conseq. Si viderem aliquid a longe se non movens, ita, ut non discernerem, an esset animal, an lignum, an saxum, reipsa tamen esset animal, cognoscerem animal, quin possem dicere, quod sit animal.

Dices 1. In dato casu cognosco formaliter animal, & non cognosco formaliter rationale : sed etiam hæc sunt contradictoria, inferentia præcisiones objectivas : ergo istæ dantur. Resp. dist. 2. p. maj. non cognosco rationale eodem modo formaliter, sive sub eadem formalitate, sub qua cognosco animal. neg. maj. non cognosco sub diversa formalitate, sub qua neque cognosco animal. conc. maj. & proportionaliter dist. min. neg. conseq. Tam animal, quam rationale, cognosco sub formalitate potentiæ sentiendi, sive in ordine ad sensationes : at nec animal, nec rationale, cognosco sub formalitate potentiæ ratiocinandi, sive in ordine ad ratiocinationes.

449. Dices 2. In hoc casu cognosco determinate animal, non cognosco determinate rationale : hæc

sunt

sunt contradictoria : ergo . Resp. iterum dist. 2. p. maj. non cognosco rationale sub eadem determinatione, sub qua cognosco animal. neg. maj. sub alia diversa determinatione, sub qua neque cognosco animal . conc. maj. & proportionaliter dist. min. neg. conseq. Scilicet cognosco animal ita determinate, ut possim de eo dicere : *Illud est animal* : sed etiam ita determinate cognosco rationale identificatum, ut idem quoque de isto possim dicere : non autem ita determinate cognosco rationale, ut de eo possim dicere : *Illud est rationale* : sed nec ita determinate cognosco animal, ut de hoc possim dicere, quod sit rationale . Eadem distinctione utendum, si objiciatur, animal cognosci clare, expresse, certo &c. nempe dicendum, eadem claritate, expressione, certitudine &c. cognosci rationale, ita, ut de uno possit eadem dari ratio, quæ de altero : non vero cognosci rationale diversa claritate, expressione &c.

450. Dices 3. Ad veritatem hujus propositionis : *Ibi est animal* : requiritur determinate animal : non requiritur determinate rationale : ergo adhuc verificantur contradictoria . Resp. neg. conseq. nam sensus 1. p. ant. est : *Requiritur determinate aliquod animal, vel rationale, vel irrationale* : sensus 2. p. ant. est : *Non requiritur determinate animal rationale* : quæ neutiquam opponuntur . Si vis, potes distinguere 1. p. ant. requiritur determinate hoc animal, identificatum cum rationali. neg. ant. aliquod animal, qualecumque sit . conc. ant. & neg. conseq.

451. Dices 4. Saltem requiritur determinate gradus genericus animalis : non requiritur determinate gradus specificus rationalis : ergo adhuc dantur contradictoria . Resp. dist. ant. requiritur determinate hic gradus genericus inadæquatus, identificatus cum rationali . neg. ant. requiritur determinate gradus genericus adæquatus, hoc est, non sufficit aliquid extra totum gradum genericum animalis. conc. ant. & neg. conseq. Nec umbra contradictionis est in his propositionibus ; cum alius earum sensus non sit, quam ille, quem dedimus *num. praced.* Et quæso, quæ contradictio in his propositionibus : *Scio determinate, hoc esse aliquod animal : sed non scio quale :*

scio determinate, esse aliquem numerum stellarum : sed non scio, eum esse parem, vel imparem ?

451. Dices 5. In dato casu ita clare cognosco animal, ut istud discernam ab omni non ipso : non ita clare cognosco rationale, ut id discernam ab omni non ipso : hæc sunt contradictoria : ergo. Resp. neg. 1. p. maj. nam, cum ponatur illud animal esse homo, & quidem in individuo, non potest discerni ab omni non ipso, nisi non tantum discernatur ab omni bruto, sed etiam ab omni alio homine, quod neutiquam sit in dato casu. Aliud est, quod animal discernatur ab omni non animali : sed etiam rationale discernitur ab omni non animali ; quia etiam rationale cognoscitur in ordine ad sensationes : sicut autem rationale non cognoscitur in ordine ad ratiocinationes, ita neque cognoscitur animal. Nec dicas, non posse animal cognosci in ordine ad ratiocinationes ; nam utique potest, si identificatum sit rationali.

Sed quæres, qualis cognitio requiratur ad hoc, ut animal, vel objectum, cognoscatur formaliter in ordine ad ratiocinationes . Resp. non sufficere cognitionem, qua præcise cognoscam principium, vel potentiam ratiocinandi ; nam in nostro casu realiter istud principium cognosco, non tamen in ordine ad ratiocinationes : sive non cognosco, ratiocinationes ab eo procedere : imo istud non cognosco, etsi simul realiter cognoscam & ratiocinationes, & earum principium ; quia possum utrumque cognoscere, quin cognoscam illas ab isto procedere . Quare requiritur cognitio comparativa, qua comparem principium cum ratiocinationibus, tanquam causam cum effectibus, & qua discernam illud principium ab omni eo, quod non est principium ratiocinationum.

453. Dices 6. Si cognosco rationale, eo ipso cognosco dissimilitudinem, quam habet homo cum bruto : sed hoc ipso etiam cognosco rationale in ordine ad ratiocinationes, & discerno objectum ab omni non rationali : ergo. Resp. dist. maj. eo ipso cognosco dissimilitudinem illam realiter. conc. maj. cognosco illam formaliter. neg. maj. & dist. proportionaliter min. neg. conseq. nam, nisi clare, seu expresse, cognoscam formam denominantem dissimile,

sivè rationale, seu potentiam ratiocinandi, in ordine ad ratiocinationes, non discerno objectum ab omni non rationali; si enim ad hanc discretionem sufficeret tantum cognoscere realiter dissimilitudinem, tunc eliciendo hanc primam mentis operationem confusissimam *Omnia dissimilia*, jam omnia inter se discernerem, quod est omnino falsum. Quid autem sit rem clare, aut clarius cognoscere, colligi potest ex dictis supra *num.* 374. *& seq.*

454. Dices 7. Ponamus, cognitionem durare per duo instantia, & in primo instanti objectum currens esse hominem, in secundo autem instanti, miraculose substitui brutum. Hoc posito in secundo instanti non cognoscitur rationale: ergo nec in primo instanti, prob. conseq. cognitio non potest mutare suum objectum: ergo, si in secundo instanti non cognoscitur rationale, neque cognoscitur in primo. Resp. concesso casu neg. ant. ad prob. respondeo 1. debuisse potius probari antecedens, quod negatur, & non conseq. quod in aliquo sensu est verum. Resp. 2. dist. ant. cognitio non potest mutare objectum verificationis. neg. ant. non potest mutare objectum repræsentationis. conc. ant. & etiam conseq.

455. Aliud est *Objectum repræsentationis*, seu id, quod a cognitione quomodocumque repræsentatur, & cujus imago est essentialiter ipsa cognitio; unde hoc mutare cognitio non potest; quia non potest mutare suam essentiam. Aliud est *Objectum verificationis*, seu id, in quo cognitio verificatur (supponitur autem talis cognitio esse secunda mentis operatio, seu propositio; nam prima mentis operatio, seu simplex apprehensio proprie non verificatur; quia nihil affirmat, aut negat) & hoc objectum mutari potest; quia non est essentiale propositioni, in hoc potius, quam in alio, verificari: e. g. hæc propositio: *Ibi est animal*: non exigit essentialiter potius verificari in homine, quam in equo; nam sufficit ad ejus veritatem, sive homo, sive equus, sive aliud animal ibi sit, unde in casu dato mutaretur tantum objectum verificationis, & in primo instanti propositio verificaretur per hominem, in secundo vero per brutum.

456. Dices 8. Juxta nos deberet ista cognitio: *Ibi est animal*: repræsentare omnia animalia: sed est inexplicabile, quomodo hoc fieri possit: ergo. Resp. conc. ma. neg. mi. utique enim terminus communis *animal* significat omnia animalia: ergo etiam eadem repræsentat, & quidem non discernendo unum ab alio, de quo plura *num.* 508. *& seq.* declaratur insuper ista res hac similitudine. Sint duo gemelli, Petrus, & Paulus, prorsus similes, & sit etiam aliqua imago repræsentans unum, hæc etiam repræsentabit alterum: &, si essent plures, etiam milleni ita similes, imago repræsentaret omnes, non per modum binarii, aut plurium, sed per modum unius, id est, ut æque sit imago unius, ac alterius, & vi imaginis non possit discerni, an Petrus, an Paulus, vel alius ita similis, sit depictus, nec vi imaginis Petrus, & Paulus appareant ut duo.

457. Quod si Petrus, & Paulus, vel alii quoad superiorem partem corporis perfecte similes essent, differrent autem in pedibus, si talis imago repræsentaret tantum dimidiam partem corporis, eamque superiorem, adhuc repræsentaret omnes ita similes, nec potius unum, quam alterum. Pari ratione cognitio, quæ repræsentat objectum suum ut animal, seu in ordine ad sensationes, secundum quas omnia animalia sunt similia, repræsentat ea omnia per modum unius, & confuse, ut nullum discernatur ab altero: & ratiocinationes, rugitus, hinnitus &c. secundum quos animalia differunt, at in cognitione non exprimuntur, se habent ut pedes, non expressi ab imagine.

458. Applicando jam dicta ad casum nostrum de aliquo se movente a longe viso, ajo, in tali casu objectum cognosci sub ratione vitaliter se moventis, seu in ordine ad motum, sponte, & vitaliter progressivum, sub qua ratione omnia animalia conveniunt; quia omnia se vitaliter movere possunt: adeoque cognitio illa repræsentat omnia per modum unius, prout explicatum est. Exceptio tamen fieri deberet, si illud objectum cognosceretur in ordine ad certum motum, vel alia accidentia, non omnibus animalibus convenientia; nam ex. gr. si videretur objectum currere quatuor pedibus, non repræsentaretur homo bipes (unde in tali casu etiam non

cognoscereturtur rationale) sicut etiam , si videretur ibi animal magnitudine quasi equi, non repræsentaretur equus &c. semper tamen manet verum , quod repræsententur ea omnia animalia , quæ in ratione repræsentata similia sunt.

459. Ob. 2. Si non dantur præcisiones objectivæ , tunc creatura cognoscens Deum cognosceret realiter omnia prædicata Dei : sed sic Deum comprehenderet, quod est impossibile : ergo. Confirm. Juxta nos quivis per hanc cognitionem confusissimam *omne ens* cognosceret omnia etiam secreta cordis , imo Dei: hoc est falsum : ergo . prob. mi. si cognosceret omnia , nihil posset novi addiscere : hoc est falsum : ergo : Resp. neg. mi. comprehendere non est tantum rem totam realiter cognoscere , sed est exhaurire rei scibilitatem , & adæquare perfectionem objecti perfectione repræsentationis &c. de quo vide *numer.* 363. hoc nullatenus potest cognitio creata respectu Dei.

Ad confir. dist. ma. cognosceret omnia confuse . conc. ma. clare . neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. dist. ma. nihil posset novi addiscere ex parte objecti , hoc est , nullum posset objectum cognoscere , quod non jam prius saltem confuse cognovisset . conc. ma. nihil posset novi addiscere ex parte cognitionis , id est , non posset acquirere novas, & clariores cognitiones de objectis ; prius tantum obscure , & confuse cognitis . neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Quod autem idem objectum possit clarius cognosci, probatum jam est *a n.* 374.

460. Ob. 3. Potest quis eandem rem simul affirmare , & negare : ergo potest etiam eandem rem simul cognoscere , & non cognoscere. Resp. om. ant. neg. conseq. Affirmare , & negare eandem rem , est tantum ponere duas propositiones contradictorias ; non autem est, eas verificari ; nam , si etiam simul ponerentur, tunc una esset vera , altera falsa , neque una propositio esset negatio alterius : at eundem intellectum cognoscere , & simul non cognoscere eandem rem , est verificari propositiones contradictorias , & unum est negatio alterius.

Interim tantum omisi antecedens ; quia communissime negatur , quod idem intellectus simul elicere

cere possit duo judicia contradictoria , seu simul assentiri duabus propositionibus contradictoriis scienter; nam assentiretur falso ut falso , seu cognito ut tali , quod non potest . Si tamen intellectus non sciat, se idem affirmare , & negare , quia nescit esse identificata , tunc utique potest tales duas propositiones ex errore elicere ; quia tantum assentiretur falso , existimato ut vero : sed non propterea ambæ propositiones verificarentur; quia nunquam objectum se ita haberet , prout utraque enunciat : & taliter se haberet , qui diceret : *Existit Deus : sed non est trinus , & unus.*

461. Ob. 4. Non implicant contradictoria per intellectum : sed ex præcisionibus objectivis tantum sequuntur contradictoria per intellectum : ergo sunt possibiles . Resp. dist. ma. id est , intellectus potest fingere aliquid impossibile , vel involvens contradictoria . conc. ma. potest facere , ut contradictoria simul sint vera . neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. An possint in intellectu coexistere , vel non , judicia , aut assensus contradictorii , diximus *num. præc.* tantum addo , posse intellectum etiam scienter apprehendere duas propositiones contradictorias ; quia potest eas examinare , & secum postea determinare , cui assentiri velit : nunquam tamen potest eas veras simul reddere , quod tamen necessarium esset ad faciendas præcisiones objectivas.

462. Ob. 5. Ex nostra sententia sequeretur , quod propositio : *Ibi est animal :* faciat hunc sensum : *Ibi est ens cognitum in ordine ad sensationes :* sed non facit hunc sensum ; alias esset cognitio reflexa : ergo . Confir. Per istam propositionem præscinditur animal a rationali : ergo cognoscitur animal præcisum a rationali : ergo propositio est reflexa . Resp. neg. ma. Propositio ista quidem cognoscit suum objectum in ordine ad sensationes , & facit ita cognitum : at non præsupponit ita cognitum ; nam nulla cognitio est objectum hujus propositionis : sed ipsa cognoscendo præcisive suum objectum cognoscit illud in ordine ad sensationes , & per seipsam facit exercite cognitum tali modo, qui exprimitur per vocem animal; nam, ut diximus *num.* 365. nomina non significant res nude sumptas , sed ut substantes con-

ceptibus. Si petas ulterius, quomodo ergo debeat exponi propositio: *Ibi est animal*: respondeo, eam esse tam claram, ut non indigeat expositione: si autem velis verba synonima, do hæc: *Ibi est principium sentiendi*. Ad confirm. dist. 1. conseq. cognoscitur animal jam antecedenter præcisum per aliam cognitionem. neg. 1. conseq. præcisum per hanc ipsam propositionem, seu potius per hanc ipsam exercite præscindendo. conc. 1. conseq. & neg. 2. conseq. Præscindere non est cognoscere jam antecedenter præcisum, & cognitio præcisiva non debet habere pro objecto aliam præcedentem cognitionem: adeoque in præcisione debet dari reflexio.

463. Ob. 6. Potest contingere, ut, si prius per unicam cognitionem cognovi centum homines, postea recorder hujus cognitionis, sed ita, ut simul tantum recorder unius hominis, adeoque hanc cognitionem tantum cognoscam, ut repræsentativam unius hominis: ergo præscindo objective unum prædicatum cognitionis ab altero. Resp. neg. conseq. In hoc casu cognosco realiter omnia prædicata cognitionis, & cognosco realiter repræsentationem centum hominum, sed imperfecte, sive non formaliter ut talem, seu in ordine ad centum homines: sicut quando realiter cognosco rationale, sed non in ordine ad ratiocinationes.

Experientiæ autem hujus origo est dependentia nostrarum cognitionum a speciebus phantasticis; nam his speciebus non excitatis neque excitantur species intellectuales: neque etiam istæ operantur plus, quam id, ad quod a phantasmatibus determinantur. Jam vero species phantasticæ, cum sint materiales, divisibiles, & corruptibiles, possunt secundum aliquas sui partes corrumpi: item possunt excitari secundum aliquas partes, & non secundum alias: in quibus casibus non dabitur perfecta, & totalis recordatio objecti prius cogniti, vel etiam cognitionis prius habitæ. Unde in casu objecto, vel species phantasticæ repræsentativæ centum hominum sunt omnes destructæ usque ad unam, vel certe una sola fuit excitata.

464. Ob. 6. Qui negant præcisiones objectivas, eo ipso eas faciunt: ergo istæ debent admitti. prob. ant. qui aliquid negat, cognoscit, quod negat: ergo, qui negant præcisiones objectivas, eas cognoscunt: sed, qui istas cognoscunt, eas faciunt: ergo. prob. mi. subs. qui cognoscunt præcisiones objectivas, cognoscunt animal præcisum a rationali: sed, qui hoc cognoscunt, faciunt præcisiones objectivas: ergo. Resp. 1. retorq. arg. Adversarii negant, animal præscindi objective a principio sentiendi, seu ab ipso animali: ergo etiam faciunt præcisionem objectivam animalis ab animali: quod etiam juxta ipsos est falsum.

465. Resp. 2. neg. ant. ad prob. imprimis dico, graves auctores cum S. Thoma citato *n.* 411. negare, & nos cum ipsis *in Metaph. n.* 1291. negaturos, quod impossibilia possint cognosci: quo negato ruit totum argumentum. Sed hic transmitto, quod impossibilia possint cognosci, & hinc om. ant. & 1. conseq. neg. mi. subsumpt. ad hujus prob. dist. ma. qui cognoscunt præcisiones objectivas, cognoscunt animal præcisum a rationali, directe, vel exercite, id est, exercite præscindendo animal a rationali. neg. ma. cognoscunt animal præcisum a rationali reflexe, sive cognoscunt animal (& simul realiter etiam rationale) sed una cum cognitione impossibili, quæ falso dicitur existere, & directe cognoscere animal sine rationali, sive illud ab hoc objective præscindere. conc. ma. & dist. mi. qui hoc, id est, animal ita præcisum, cognoscunt directe, seu exercite præscindendo animal a rationali, faciunt præcisiones objectivas. conc. mi. qui tantum cognoscunt animal (& simul rationale identificatum) reflexe, sive una cum cognitione impossibili, modo explicata se tenente ex parte objecti. neg. mi. & conseq.

466. Cognitio præcisiva directa, ut dictum *num.* 462. non habet pro objecto aliam cognitionem, quæ pro priori præscindat: sed ipsa cognitio directa præscindit, & denominat objectum præcisum. At vero cognitio reflexa habet pro objecto aliam cognitionem priorem, nec ipsa necessario denominat objectum præcisum: & in nostro casu, si propositio reflexa esset affirmativa, supponeret objectum jam esse præcisum a prævia cognitione directa: cum autem sit negativa, supponit contrarium, scilicet objectum

ctum non esse objective præcisum a cognitione directa; eo quod cognitio, quæ negatur existere, & reipsa impossibilis est, non possit objecto tribuere denominationem realem præcisi. Sed neque ipsa cognitio reflexa præscindit: certe talis cognitio negans præcisiones objectivas tam parum eas facit, quam parum facit chimæram, qui eam negat; unde objectum, seu animal nullatenus præscinditur, neque dantur præcisiones objectivæ.

467. Dices. Cognitio reflexa cognoscit etiam objectum cognitionis directæ: sed hoc objectum est animal præcisum a rationali: ergo cognitio reflexa cognoscit animal ita præcisum. Resp. dist. ma. cognitio reflexa cognoscit etiam objectum cognitionis directæ solum, & eodem modo, quo illud cognoscit directa. neg. ma. non solum, nec eodem modo. conc. ma. & om. mi. in sensu, quem explicavimus *nu.* 465. dist. conseq. ergo cognitio reflexa cognoscit animal ita præcisum solum, & eodem modo, quo illud cognoscit cognitio directa. neg. conseq. non solum, nec eodem modo. conc. conseq.

468. Sicut Deus cognoscit objecta nostrarum cognitionum confusarum, atque etiam cognoscit ipsas nostras cognitiones, ea objecta confuse, & imperfecte repræsentantes, itemque earum modum imperfectum repræsentandi: at non cognoscit etiam ipse modo imperfecto, & confuso, sed perfectissimo, & clarissimo: sic etiam cognitio reflexa cognoscens præcisiones objectivas, cognoscit earum objectum, seu animal, at non eodem modo, seu animal solum, sed una cum rationali (quod realiter etiam cognoscit) & cum cognitione impossibili, quæ falso dicitur existere, & directe cognoscere animal sine rationali: insuper non cognoscit animal eo modo impossibili, quo illud cognosceret illa cognitio directa, si existeret: sive non cognoscit sine rationali verbo: ista cognitio reflexa cognoscit complexum ex animali, ex rationali, & ex cognitione chimærica, hocque complexum chimæricum negat dari. Sub finem noto, hoc concretum *sola animalitas*, vel *solum animal*, prout in hac quæstione accipitur, involvere jam aliquam cognitionem, tanquam formam denominantem, scilicet illam ipsam cognitionem

nem impossibilem, de qua modo diximus, adeoque omnem cognitionem, quæ pro objecto habet solam animalitatem, vel solum animal, hoc ipso non esse directam, sed reflexam.

ARTICULUS XI.

Quomodo inter se distinguantur Gradus Metaphysici.

469. *Gradus Metaphysici* sunt prædicata identificata rebus, quarum sunt gradus. Vocantur *Metaphysici*; tum, quia de iis tractare per se ad Metaphysicam spectat, quamvis jam longa consuetudine Logici ad melius explicanda universalia de iis agant: tum, quia non sunt partes physicæ rerum, sed metaphysicæ tantum, & totum constituunt, non per physicam, sed per metaphysicam tantum compositionem, quæ etiam formalis, seu rationis dicitur.

470. Vocantur autem *gradus*, quia aliqui ex iis sunt superiores, seu latius patentes, alii inferiores, seu minus late patentes; & hinc in linea prædicamentali instar graduum scalæ dispositi sunt, ut ab inferioribus ad superiores ascendi, vel vicissim ab his ad illos descendi possit: e.g. a gradu individuali Petri, qui etiam vocatur *Petreitas*, & uni tantum convenit, ascenditur immediate ad gradum infimæ speciei, seu hominis, qui jam latius patet, & omnibus hominibus convenit: ab isto ascenditur ad gradum generis infimi, nempe animalis, adhuc latius patentem, utpote tam brutis, quam hominibus convenientem: inde pergitur ad gradum viventis denuo ampliorem; & sic ulterius. Eodem etiam modo descenditur.

471. Porro gradus hi aliquando sumuntur *in concreto*, ut *animal*, & *rationale*, aliquando *in abstracto*, ut *animalitas*, & *rationalitas*. Item quandoque intelliguntur *adæquati*, vel *completi*, quando scilicet sumuntur universaliter pro omnibus inferioribus, de quibus prædicari possunt: e. gr. *animal*, tanquam gradus metaphysicus adæquatus, & completus, sumitur pro omnibus animalibus, rationalibus, & irrationalibus. Aliquando autem hi gradus

intelliguntur *inadæquati*, vel *incompleti*, quando scilicet tantum sumuntur pro aliqua specie inferiore, vel omnino tantum pro aliquo individuo, cui identificantur: e.g. *animal*, tanquam gradus metaphysicus inadæquatus, & incompletus, significat tantum vel animal rationale, aut rugibile, vel omnino tantum unum individuum animalis, e.g. Petrum.

472. Iam, quando quæritur, an, & quomodo inter se distincti sint isti gradus, imprimis non agitur de divinis; nam quomodo prædicata divina, vel perfectiones divinæ inter se distinguantur, tractari debet a Theologis: dein etiam non agitur de his gradibus, universaliter, seu adæquate sumptis; est enim per se evidens, quod sic accepti inter se distinguantur realiter inadæquate; nam omnia animalia rationalia (& multo magis unum individuum animalis rationalis) evidenter distinguuntur ab omnibus universim animalibus, tanquam pars a toto. Itaque quæstio hæc versatur tantum circa hos gradus inadæquate, & incomplete sumptos, seu eidem supposito, vel individuo inexistentes, ex. gr. quomodo in Petro inter se distinguantur gradus animalis, corporis &c.

473. Dico 1. cum communissima. Gradus isti in eodem individuo non distinguuntur inter se realiter. Prob. conclusio. Non habetur ullum signum distinctionis realis inter hos gradus: nec est ulla ratio probans talem distinctionem: ergo non est dicendum, quod sint ita distincti; cum entia non sint multiplicanda sine necessitate. prob. ant. non habetur separabilitas, nec oppositio producentis, & producti, quæ sunt signa distinctionis realis: neque etiam potest asserri ulla alia ratio distinguendi eos realiter: ergo.

Confirm. Isti gradus omnes realiter identificantur eidem tertio: ergo etiam identificantur inter se. consequentia est certa. prob. ant. isti gradus omnes sunt de eodem tertio determinate affirmabiles in recto: ergo *ex num.* 341. identificantur eidem tertio. prob. ant. de eodem e. gr. Petro (ut omnes communissime admittunt) possunt in recto affirmari omnes gradus metaphysici ei inexistentes; nam verissimæ sunt hæ propositiones: *Petrus est homo: Petrus est animal: Petrus est vivens: Petrus est substantia &c.* ergo.

474. Di-

474. Dico 2. Isti gradus distinguuntur inter se distinctione pure formali, de qua *num.* 366. ita nostri communissime. Prob. concl. Non distinguuntur isti gradus realiter, ut modo probatum: nec virtualiter, aut formaliter ex natura rei; quia istæ distinctiones in creatis sunt impossibiles: ergo tantum possunt distingui formaliter, sive per conceptum: quæ est nostra assertio; nam per *distinguuntur* intelligitur hic ab auctoribus idem, ac *possunt distingui*, seu potentia, & capacitas ad distinctionem, eo fere modo, quo in definitionibus solet tantum intelligi potentia ex dictis *n.* 11. nam, si actualiter non fiant ulli conceptus diversi de istis gradibus, etiam non distinguuntur actualiter. Quod autem possint de his gradibus fieri diversi conceptus inadæquati, est innegabile *ex n.* 364. Hæc autem distinctio graduum est *distinctio rationis ratiocinatæ*, seu cum *fundamento in re*; nam res ipsa, his gradibus metaphysice constituta, præbet fundamentum eos distinguendi, de qua re vide *n.* 368. & 369.

475. Ob. 1. contra 1. concluf. Gradus corporis est separabilis a gradu viventis: ergo sunt inter se realiter distincti. ant. prob. in morte animalis remanet gradus corporis: non remanet gradus viventis: ergo sunt separabiles. Resp. neg. ant. ad prob. neg. 1. p. ant. Gradus corporis metaphysicus in vivente, non est tantum materia prima, etiam ut informata formis elementaribus, vel partialibus, si istæ præter animam in viventibus admittantur: sed est totum compositum vivens, seu complexum ex materia prima, & ipsa anima, ac unione: quod complexum, cum in morte animalis non maneat, neque manet gradus corporis metaphysicus, qui fuit in vivente; quamvis tunc detur gradus corporis metaphysicus cadaveris, qui tamen non fuit adæquate idem cum gradu corporis viventis.

476. Ob. 2. Gradus metaphysici, licet possint de se invicem prædicari in concreto, non tamen possunt de se invicem prædicari in abstracto: ergo non sunt inter se realiter identificati. Resp. neg. ant. nam veræ sunt hæ propositiones: *Animalitas est rationalitas: Animalitas est substantia*: quin etiam verà est propositio: *Animalitas, vel rationalitas est vita*:

intelligendo vitam in actu primo, seu potentiam eliciendi actus vitales : non autem vitam in actu secundo, seu ipsum actum vitalem ; nam hic est distinctus ab animalitate, tanquam effectus a sua causa.

Dices. Tamen non potest dici : *Humanitas est homo* : vel etiam : *Animalitas est homo* : ergo. Resp. neg. conseq. In his propositionibus terminus *homo* non sumitur tantum pro gradu specifico, adæquate identificato cum natura humana, vel humanitate : sed pro supposito humano, quod præter gradum specificum dicit adhuc aliquid aliud, scilicet subsistentiam, de qua non est locus hic disputandi : hæc autem, sicut distincta est ab uno gradu metaphysico, ita etiam distincta est ab omnibus aliis ; unde minime impedit, quo minus omnes inter se identificentur.

477. Ob. 3. Gradus metaphysici componuntur ex partibus realiter distinctis : ergo distinguuntur realiter. Confir. 1. Si gradus metaphysicus individualis non distinguitur realiter a gradu specifico, erit species immultiplicabilis : hoc non admittitur : ergo. Confirm. 2. Aliqui saltem gradus distinguuntur inter se plus, quam formaliter : ergo realiter. ant. prob. animal, & principium sentiendi distinguuntur formaliter *ex n.* 370. sed animal, & rationale distinguuntur plus, quam animal, & principium sentiendi : ergo distinguuntur plus, quam formaliter.

Resp. dist. conseq. distinguuntur partes graduum inter se realiter. conc. conseq. ipsi gradus. neg. conseq. nam, cum omnes gradus constituantur ex iisdem partibus, non est differentia, aut distinctio inter unum, & alterum : imo si hoc argumentum aliquid probaret, tunc quilibet gradus deberet esse realiter distinctus a seipso, quod nec adversarii volunt. Ad 1. confir. dist. ma. hæc species inadæquata, seu hic gradus individualis specificus, erit numerice immultiplicabilis, sive unum, & idem individuum, non poterit esse duo, vel tria individua. conc. ma. species adæquate sumpta, seu gradus specificus, erit immultiplicabilis, ita ut non possint dari plura individua similia in eadem specie. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq.

478. Ad 2. confir. dist. ant. aliqui gradus distinguuntur plus, quam formaliter, hoc est, ultra aliquam

quam distinctionem formalem. conc. ant. ultra omnem distinctionem formalem. neg. ant. & conseq. ad prob. conc. totum in sensu distinctionis modo datæ. Scilicet distinctio formalis capit magis, & minus, & minor est distinctio rationis ratiocinantis, quæ datur inter animal, & principium sentiendi, quam sit distinctio rationis ratiocinatæ, quæ datur inter animal, & rationale : quin etiam una distinctio rationis ratiocinatæ est minor, quam altera, si hæc habeat majus fundamentum, quam illa : e. g. minor est distinctio rationis ratiocinatæ inter animal, & rationale, quam inter rationale, & corpus &c. Quæ contra 2. conclusionem objici possent, jam præoccupata sunt *a n.* 371.

DISPUTATIO III.

De Universalibus.

479. POrphyrius natione Tyrius, vel Bathaneus ex Phœnicia, prius dictus erat Malchus (quod Syris regem significat) sed postea ex magistri sui Longini voluntate assumpsit nomen Porphyrii, quod Græcis purpuram significat. Teste Socrate aliquando fuit Christianus, at postea religionis desertor : infectatus est Christianos acerbissimis libris, quos varii SS. Patres refellere compulsi sunt, in quorum scriptis adhuc aliqui ejus errores extant ; nam ipsi libri, a Porphyrio contra religionem nostram vulgati, jussu Theodosii senioris fuere combusti. De cætero erat Porphyrius Philosophus de secta Platonis non contemnendus : cum autem videret, in Aristotelis organo sæpe mentionem fieri quinque universalium, nempe generis, speciei, differentiæ, proprii, & accidentis, isagogen quandam, seu institutionem conscripsit, in qua hos terminos explicavit, eamque Chrysaorio patricio Romano dedicavit : & hæc quinque universalia communiter ab auctoribus assignantur, atque de his præsenti disputatione acturi sumus.

intelligendo vitam in actu primo, seu potentiam eliciendi actus vitales : non autem vitam in actu secundo, seu ipsum actum vitalem ; nam hic est distinctus ab animalitate, tanquam effectus a sua causa.

Dices. Tamen non potest dici : *Humanitas est homo* : vel etiam : *Animalitas est homo* : ergo. Resp. neg. conseq. In his propositionibus terminus *homo* non sumitur tantum pro gradu specifico, adæquate identificato cum natura humana, vel humanitate : sed pro supposito humano, quod præter gradum specificum dicit adhuc aliquid aliud, scilicet subsistentiam, de qua non est locus hic disputandi : hæc autem, sicut distincta est ab uno gradu metaphysico, ita etiam distincta est ab omnibus aliis ; unde minime impedit, quo minus omnes inter se identificentur.

477. Ob. 3. Gradus metaphysici componuntur ex partibus realiter distinctis : ergo distinguuntur realiter. Confir. 1. Si gradus metaphysicus individualis non distinguitur realiter a gradu specifico, erit species immultiplicabilis : hoc non admittitur : ergo. Confirm. 2. Aliqui saltem gradus distinguuntur inter se plus, quam formaliter : ergo realiter. ant. prob. animal, & principium sentiendi distinguuntur formaliter *ex n.* 370. sed animal, & rationale distinguuntur plus, quam animal, & principium sentiendi : ergo distinguuntur plus, quam formaliter.

Resp. dist. conseq. distinguuntur partes graduum inter se realiter. conc. conseq. ipsi gradus. neg. conseq. nam, cum omnes gradus constituantur ex iisdem partibus, non est differentia, aut distinctio inter unum, & alterum : imo si hoc argumentum aliquid probaret, tunc quilibet gradus deberet esse realiter distinctus a seipso, quod nec adversarii volunt. Ad 1. confir. dist. ma. hæc species inadæquata, seu hic gradus individualis specificus, erit numerice immultiplicabilis, sive unum, & idem individuum, non poterit esse duo, vel tria individua. conc. ma. species adæquate sumpta, seu gradus specificus, erit immultiplicabilis, ita ut non possint dari plura individua similia in eadem specie. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq.

478. Ad 2. confir. dist. ant. aliqui gradus distinguuntur plus, quam formaliter, hoc est, ultra aliquam

quam distinctionem formalem. conc. ant. ultra omnem distinctionem formalem. neg. ant. & conseq. ad prob. conc. totum in sensu distinctionis modo datæ. Scilicet distinctio formalis capit magis, & minus, & minor est distinctio rationis ratiocinantis, quæ datur inter animal, & principium sentiendi, quam sit distinctio rationis ratiocinatæ, quæ datur inter animal, & rationale : quin etiam una distinctio rationis ratiocinatæ est minor, quam altera, si hæc habeat majus fundamentum, quam illa : e. g. minor est distinctio rationis ratiocinatæ inter animal, & rationale, quam inter rationale, & corpus &c. Quæ contra 2. conclusionem objici possent, jam præoccupata sunt *a n.* 371.

DISPUTATIO III.

De Universalibus.

479. POrphyrius natione Tyrius, vel Bathaneus ex Phœnicia, prius dictus erat Malchus (quod Syris regem significat) sed postea ex magistri sui Longini voluntate assumpsit nomen Porphyrii, quod Græcis purpuram significat. Teste Socrate aliquando fuit Christianus, at postea religionis desertor : infectatus est Christianos acerbissimis libris, quos varii SS. Patres refellere compulsi sunt, in quorum scriptis adhuc aliqui ejus errores extant ; nam ipsi libri, a Porphyrio contra religionem nostram vulgati, jussu Theodosii senioris fuere combusti. De cætero erat Porphyrius Philosophus de secta Platonis non contemnendus : cum autem videret, in Aristotelis organo sæpe mentionem fieri quinque universalium, nempe generis, speciei, differentiæ, proprii, & accidentis, isagogen quandam, seu institutionem conscripsit, in qua hos terminos explicavit, eamque Chrysaorio patricio Romano dedicavit : & hæc quinque universalia communiter ab auctoribus assignantur, atque de his præsenti disputatione acturi sumus.

QUÆSTIO PRIMA.

De Universali in Genere.

ARTICULUS I.

Quid sit Universale, & an detur a parte rei.

480. UNiversalia generice talia assignari solent quatuor, scilicet *in causando*, *in significando*, *in essendo*, *in prædicando*. Primum, seu *Universale in causando*, est causa, quæ in omnes, vel certe in quamplurimos effectus influit: talis est Deus, & præsertim juxta antiquos sol. *Universale in significando*, *seu representando* est terminus quilibet communis, qui, cum unus sit, plurima, seu omnia totius alicujus speciei, aut generis inferiora significat. *Universale in essendo* (quod etiam dicitur *metaphysicum*) definitur *unum aptum inesse multis per identitatem*. Tandem *Universale in prædicando* (quod etiam vocatur *logicum*) definitur *unum aptum prædicari de multis propter identitatem*.

481. De duobus primis hic non est quæstio, sed de duobus ultimis: quæ tamen, ut recte Suarez *tom. 1. Metaph. disp. 6. sec. 8. num. 2.* quoad id, quod datur a parte rei, non distinguuntur, sed tantum quoad conceptus; si enim intellectus id, quod de universali datur a parte rei, concipiat ut identificatum cum pluribus, dicetur universale in essendo: si autem id concipiat ut prædicabile de pluribus, dicetur universale in prædicando. Difficultas autem hujus controversiæ stat in eo, ut explicetur, quomodo eadem entitas sit una, & multiplex in eadem ratione. Equidem Deus est unus, & trinus: sed non in eadem ratione; nam non est trinus in essentia, in qua est unus: sed in personis, in quibus non est unus, seu non est una persona. At universale debet esse unum, e. g. in ratione hominis, & simul in hac ratione hominis esse multiplex: & in hoc universali determinando, aut explicando, multum laborarunt Philosophi.

482. Pla-

482. Plato, ut habet Aristoteles 1. *Metaphys. c. 9. seu text. 5.* cum esset imbutus opinionibus Heraclíti, quod nempe de sensibilibus, utpote temporaneis, & corruptibilibus, non detur scientia, & tamen nollet negare omnem prorsus circa ipsam scientiam, asseruit dari ideas æternas, & incorruptibiles, ac (ut ex eodem Aristotele 7. *Metaphys. text. 28.* videtur desumi) universales, seu *præter singularia*: id est, a singularibus distinctas, quæ sint objecta scientiarum: non tamen videtur voluisse Plato, ut quidam putant, has ideas esse singularibus entibus identificatas: sed potius videtur voluisse, entia singularia esse aliquas participationes istarum idearum, ut tradit Aristoteles *cit. text. 5.* & *text. 6.* ubi addit, Platonicos de ea participatione, seu, ut etiam vocat, imitatione, nihil ulterius inquirere, sive eam non explicare; unde videtur Plato voluisse, illas ideas esse causas, sive physicas, sive ideales entium singularium, quod etiam insinuat Aristoteles *cit. text. 28.* dum probat, tales ideas ad generationes non prodesse. Scilicet, sicut creaturæ dicuntur participationes, vel imitationes Dei, cum ipse sit earum causa, ita etiam potuerunt entia singularia dici participationes illarum idearum; cum istæ sint eorum causæ.

483. Dico 1. Hæ ideæ implicant, adeoque non potest in iis consistere universale. ita de facto omnes. Prob. conclusio. Non sunt possibilia entia realiter existentia, & non singularia, item creata, & æterna: sed ideæ Platonis essent talia entia: ergo. ma. quoad 1. p. videtur innegabilis; non enim possunt dari a parte rei entia indeterminata, quæ neque sint hoc, nec illud, ut omnes admittunt: quoad 2. p. vero merito hic supponitur infinitum categorematicum creatum, quale esset æternitas idearum actu existens, esse impossibile, quod probabitur in Physica: & saltem est fide certum, de facto nullam creaturam esse æternam.

484. Confir. Hæ ideæ deberent esse causæ singularium: sed neque possent esse causæ physicæ, nec ideales: ergo. prob. 1. p. mi. causa physica non potest esse, nisi ens determinatum, a quo actio determinate producitur; nam, quandocumque datur exercitium,

citium, seu effectus, debet a causa determinata procedere, ut jam dictum *num.* 37. ergo tales ideæ non possunt esse causæ physicæ. Prob. etiam 2. p. mi. causa physica increata, seu mens divina, habet jam in se ideas omnium rerum infinite perfectas, nec dirigitur a creaturis : causa physica creata has ideas non cognoscit, adeoque etiam non potest ab iis dirigi : ergo.

485. Scotistæ, ut videre est apud Mastrium *disp.* 4. *Log. q.* 1. *n.* 9. ajunt, universale consistere in natura communi, quæ ita existat in singularibus, ut quidem his sit realiter identificata, at simul formaliter ex natura rei a singularibus, seu hæcceitatibus, distincta. Differunt tamen adhuc inter se Scotistæ, teste eodem Mastrio *cit. disp. n.* 10. quod aliqui dicant, hanc naturam esse communem per inexistentiam, ita, ut una, & eadem natura realiter reperiatur in omnibus : e. g. eadem natura humana in omnibus hominibus : & ita sentire dicitur Meurisse a Mastrio *cit. disp.* 4. *n.* 10.

Sed hanc sententiam merito rejiciunt Mastrius *cit. disp. n.* 13. & alii Scotistæ plurimi; quia sequeretur, omnes homines esse inter se identificatos quoad naturam, adeoque eandem naturam humanam, ut inexistentem Christo, esse in cælis, & ut inexistentem Judæ, esse in inferno : eandem simul mori, & renasci in diversis hominibus &c. Nec dicas cum Meurisse, non inexistere omnibus naturam numero eandem, sed tantum specie eandem; nam contra est, vel per naturam specie eandem tantum intelligitur natura ejusdem quidem speciei, attamen numerice distincta : & deseritur sententia Scotistarum, atque acceditur ad communem recentiorum : vel intelligitur idem numero gradus specificus naturæ, quamvis non eadem hæcceitas, utpote juxta Scotistas formaliter ex natura rei distincta : & sic saltem idem gradus specificus naturæ humanæ, sive natura saltem realiter una, & realiter identificata, esset in Christo incola cæli, in Juda vero inferni : quod est omnino absurdum, ut bene urget Mastrius *loc. cit.*

486. Alii igitur Scotistæ cum Mastrio *cit. disp. n.* 10. asserunt, naturam esse universalem per indifferentiam, quatenus nempe eadem natura, quæ modo est iden-

identificata Petro, vel, ut ajunt, contracta ad singularitatem Petri, potuisset esse identificata Paulo, vel contracta ad singularitatem Pauli : adeoque volunt, naturam esse indifferentem, ut sit in hoc, vel alio singulari individuo, & postea determinari per superadditam hæcceitatem ad hoc potius, quam aliud individuum.

487. Dico 2. Non datur universale Scotisticum; ita extra scholam subtilem communissime auctores. Prob. concluf. Universale hoc, si explicetur per indifferentiam naturæ (ut facile patet consideranti) involvit distinctionem Scotisticam, & multo magis eam involvit hoc universale explicatum per supra memoratam naturæ inexistentiam; unde sufficienter jam impugnatum est, dum illam distinctionem refutavimus : ergo. Pariter universale quorundam Thomistarum, adstruentium aliquam universalitatem in natura, ut virtualiter distincta ab hæcceitatibus, satis impugnatum est, dum distinctio ista virtualis in creatis fuit negata.

488. Fonseca *l.* 5. *Metaphys. c.* 28. *q.* 5. ubi per quatuor sectiones, sed satis breves, de universali Scoti, atque etiam suo agit, docet, naturam specificam, e. g. hominis, esse universalem prius natura ad contractionem ad singularia, seu antequam natura ad singularia contrahatur per hæcceitates, seu, ut vocat, differentias, nempe individuales, hanc enim prioritatem, & universalitatem naturæ, clare docet *sec.* 3. quod idem videtur esse, ac dicere, naturam esse universalem in statu possibilitatis, seu, ut ipse *sec.* 2. loquitur, *in statu solitudinis, seu potentialitatis, quem habet, antequam contrahatur per differentias.*

Hinc *sec.* 3. addit, hanc universalitatem naturæ non esse physice existentem ante operationem intellectus; cum nihil existere possit physice, nisi contractum ad singularia : id autem, quod est ita contractum, non fit amplius unum cum aliis, adeoque nec universale, nisi per abstractionem intellectus; hinc ait, recte dici, universale fieri per intellectum; eo quod *fieri* significet, dari physicam existentiam, quæ universali non datur, nisi per operationem intellectus.

Addit tamen, eam universalitatem, naturæ com-

pe-

petentem pro priori ad contractionem ad singularia, esse ante operationem intellectus objective existentem; cum aliquid necdum physice existens possit objective existere: fere sicut res non potest physice existere, nisi contracta, aut determinata ad aliquam ubicationem, vel durationem: attamen potest objective existere, ut indeterminata, & non contracta ad locum, vel tempus.

489. Dico 3. Hæc opinio Fonsecæ communiter aliis, atque etiam nobis, merito displicet. Probatur. Hæc opinio 1. supponere debet aliquam distinctionem objectivam essentiæ, & existentiæ, seu rei possibilis, & existentis; cum velit statum possibilitatis, seu, ut vocat, potentialitatis, esse priorem natura ad statum existentiæ, quam distinctionem nostri communissime negant, atque etiam negabimus in Physica. 2. Debet in hac opinione etiam admitti distinctio aliqua objectiva inter gradum specificum naturæ, & gradum hæcceitatis; cum iterum velit, naturam communem esse priorem prioritate physica ad contractionem sui, sive ad hæcceitatem: item naturam ex se non esse determinatam ad hæcceitatem, seu, ut ipse loquitur, ad differentiam, scilicet individualem: atqui hæc jam sunt refutata, agendo contra distinctionem Scotisticam: ergo.

Neque potest fieri paritas inter naturam specificam, & hæcceitatem ex una, & inter rem quamlibet creatam, & ejus ubicationem, vel durationem, ex altera parte; nam natura specifica non habet indifferentiam ad hæcceitates, sicut res creata habet indifferentiam ad ubicationes, vel durationes; alias natura esset separabilis a qualibet hæcceitate determinate sumpta, adeoque esset a qualibet realiter distincta: sicut scilicet res ubicata est realiter distincta ab ubicatione; quæ enim in creatis (ut abstrahamus a terminationibus liberis divinis) separabilia sunt, etiam realiter distincta sunt.

490. Aliqui recentiores docent, universale adæquate stare in pluribus individuis similibus: & hinc dicunt, universale dari adæquate a parte rei; cum detur a parte rei, tam multiplicitas, nempe individua multa, quam unitas, nempe similitudo; nam (aiunt) Aristoteles 5. *Metaph. text.* 20. sic habet:

bet: *Similia vero, quorum qualitas una:* eadem ferme verba habentur *tex.* 16. igitur duplex qualitas, quæ nempe existit in duobus entibus, est una, seu habet unitatem formalem: non autem habet aliam, quam unitatem similitudinis: ergo ipsa similitudo est aliqua unitas formalis.

491. Dico tamen 4. Similitudo non est unitas sufficiens ad universale stricte dictum. ita auctores, præsertim antiquiores communiter. Prob. conclus. Juxta communem auctorum debet unitas universalis excludere omnem pluralitatem numericam; quia auctores unanimiter statuunt universale omnino abstractum a singularibus, & hinc tantopere laborarunt in invenienda tali unitate, quæ simul compossibilis esset cum multiplicitate: atqui similitudo in suo conceptu includit pluralitatem numericam: ergo non est unitas sufficiens ad universale.

Nec dicas, similitudinem non includere pluralitatem numericam in ratione similitudinis; cum sit tantum una similitudo; nam etiam binarius, vel exercitus, non includunt pluralitatem numericam in ratione binarii, vel exercitus; cum etiam sint tantum unus binarius, vel exercitus: & tamen non habent unitatem sufficientem ad universale: quinimo etiam dissimilitudo non dicit pluralitatem in ratione dissimilitudinis, sed tantum in ratione dissimilium, quin tamen ab ullo admittatur, quod dissimilitudo sit unitas sufficiens ad universale.

492. Scilicet illa unitas non est sufficiens ad universale, cujus conceptus, vel ratio includit formaliter multiplicitatem, prout includit ratio similitudinis, dissimilitudinis, binarii, exercitus &c. Aristoteles autem, quando dicit, similia esse, quorum qualitas est una, tantum loquitur de unitate fundamentali: quod desumitur primo ex auctoritate longe majore pro nobis, ita explicante eum textum Aristotelis: secundo ex eo, quod etiam *cit. text.* 20. quantitatem æqualium dicat esse unam, quæ tantum habet unitatem fundamentalem antecedenter ad actum intellectus.

493. Dico 5. Non datur universale adæquate a parte rei. ita cum S. Thoma nostri communiter, & plures alii. Dixi *adæquate*; nam inadæquate datur universale

versale a parte rei; quia datur ejus multiplicitas, sive dantur entia singularia a parte rei. Prob. concl. Non datur a parte rei unitas, quæ est pars universalis, & forma denominans singularia unum, ut scilicet sint unum aptum inesse multis: ergo non datur universale adæquate a parte rei. prob. ant. non datur unitas, quam assignant Thomistæ, Scotistæ, Platonici, aut Fonseca: neque etiam sufficit unitas similitudinis: & nulla alia a parte existens potest assignari: ergo. ant. partim infertur ex præcedentibus conclusionibus, partim probatur argumento negativo, & solutione objectionum.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

494. Objic. 1. contra 2. & 3. concluſ. Natura humana non est immultiplicabilis ut divina: ergo eadem natura, quæ est in Petro, potuit esse in Paulo. Confir. Deus volens creare hominem est indifferens ad creandum Petrum, vel Paulum: ergo eadem natura humana est indifferens ad Petrum, vel Paulum. Resp. neg. conseq. Natura divina est ita immultiplicabilis, ut neque possint dari duæ naturæ divinæ distinctæ similes: at possunt dari duæ naturæ humanæ distinctæ similes: non tamen eadem realiter natura humana potest esse in distinctis.

Ad confir. dist. ant. Deus volens creare aliquem hominem indeterminate sumptum, est indifferens ad creandum Petrum, vel Paulum. om. antec. volens creare hunc hominem determinate sumptum, seu naturam hanc identificatam Petro. neg. antec. & conseq. Omisi antecedens, quia plures Theologi negant, Deum ut volentem esse adhuc indifferentem; eo quod omnia decernat unico decreto, etiam virtualiter indivisibili.

495. Objic. 2. Deus potest ex nihilo facere hominem: ergo multo magis potest ex Petro facere Paulum: ergo natura Petri est indifferens, ut sit in Paulo. Confir. SS. Patres hortantur nos, ut Deo grates agamus, quod nos fecerit homines, & non bruta, aut lapides: ergo sumus indifferentes, ut simus bruta,

bruta, vel lapides: ergo natura nostra est indifferens &c. Resp. dist. ant. Deus potest ex nihilo facere hominem, id est, potest hominem identificare cum nihilo. neg. ant. id est, potest facere hominem, cujus prius nec forma, nec materia, physice aliquid fuit. conc. antec. & neg. conseq. Certe, sicut non potest Deus hominem identificare nihilo, ita neque potest naturam Petri identificare Paulo.

Ad confir. dist. ant. SS. Patres hortantur nos, ut Deo grates agamus, quod nos non fecerit bruta, aut lapides, identificando nostram naturam cum brutis, aut lapidibus. neg. ant quod nos non fecerit bruta, aut lapides, in hoc sensu, quod non loco nostri produxerit bruta, aut lapides, omittendo nostram productionem. conc. ant. & neg. conseq. Mens SS. Patrum est tantum, nos debere Deo maximas grates, quod nos creaverit; cum facillime nos potuisset omittere, & producere alias irrationales, vel etiam inanimatas creaturas: vel etiam, quod Deus nobis concesserit corpora rite formata, & non monstruosa, ac brutorum corporibus similia; alterum enim, scilicet identificare nostram naturam cum brutis, aut lapidibus, est per se chimæricum.

496. Objic. 3. Petrus, & Paulus non sunt realiter duo specie: ergo sunt realiter unum specie: ergo sunt unum ante operationem intellectus, adeoque unitate indifferentiæ. Confirm. Petrus realiter magis distinguitur a bruto, quam a Paulo: ergo etiam magis est unus realiter cum Paulo, quam cum bruto. Resp. retorq. arg. Cicero, & Aristoteles non sunt realiter duo Romani: ergo sunt realiter unus Romanus: quæ consequentia est aperte nulla. in forma neg. suppositum antecedentis. Non datur species realiter ante operationem intellectus; unde Petrus, & Paulus, realiter nec sunt duo, nec sunt unum specie; fundamentaliter tamen sunt unum specie ante operationem intellectus, sed non formaliter: sicut etiam natura humana diversorum individuorum est ante operationem intellectus fundamentaliter una, sed non formaliter.

Esse autem *fundamentaliter unum* non est aliud, quam esse fundamentum unitatis formalis: & in hac præsertim quæstione, est esse tale ens, quod præbet intel-

intellectui fundamentum ad ipsum cognoscendum per modum unius: sive esse conceptibile conceptu, plura per modum unius confuse repræsentante. E contra esse *formaliter unum* est affici ab aliqua unitate, tanquam forma ipsum denominante unum.

Ad confir. neg. ant. nam distingui, loquendo saltem de creatis (ne misceatur hic quæstio de terminationibus liberis divinis) est non identificari, nec capit magis, & minus. Aliud est differre, seu esse dissimile, quod capit magis, & minus; & hinc utique Petrus magis differt a bruto, quam a Paulo.

497. Objic. 4. contra 4. concluſ. Unitas etiam intentionalis, seu consistens in cognitione confusa, non excludit omnem pluralitatem: ergo etiam, licet unitas similitudinis eam non excludat, tamen est unitas sufficiens. Confir. Si Aristoteles ajens, similitudinem esse unitatem qualitatum, potest explicari de unitate fundamentali, poterit etiam de unitate fundamentali explicari, quando ait, universale esse unum: sed hoc est contra communem: ergo.

Resp. dist. ant. unitas intentionalis non excludit omnem pluralitatem, quæ datur a parte rei in individuis singularibus. conc. ant. non excludit omnem pluralitatem in unitate, seu ratione formali denominante unum. neg. ant. & conseq. e contra, ut jam dictum, similitudo non excludit pluralitatem in ipsa ratione similitudinis, seu unitatis. Ad confirm. neg. maj. nec enim ratio, quæ pugnat pro uno casu, pugnat etiam pro altero: & multo minus pugnat eadem authoritas, qua tamen in hac quæstione nominis potissimum est standum.

498. Objic. 5. contra 5. concluſ. Non omnis unitas realis est individualis, seu singularis: ergo etiam aliqua unitas realis est universalis: ergo totum universale datur a parte rei. prob. ant. non omnis diversitas realis est individualis: ergo neque omnis unitas realis est individualis. ant. patet; quia datur etiam diversitas, seu multiplicitas specifica, & generica. prob. conseq. juxta Aristotelem 1. *Topic.* 8. contrariorum eadem est disciplina: ergo eadem etiam est disciplina diversitatis, seu multiplicitatis, & unitatis. Confir. Aptitudo rei, ut sit in multis, est forma denominans universale: sed hæc aptitudo

tudo datur a parte rei: ergo forma universalis, adeoque totum universale datur a parte rei.

499. Resp. neg. ant. saltem si sit unitas stricte dicta, non includens in sua ratione pluralitatem numericam. ad prob. dist. ant. non omnis multiplicitas, seu diversitas realis, est tantum individualis. conc. ant. non est simul etiam individualis. neg. ant. & conseq. Datur quidem multiplicitas, seu diversitas non tantum individualis: e. g. homo, & equus, non sunt tantum duo individualiter, sed etiam specie diversa: sed, quandocumque datur inter duo diversitas specifica, vel generica, etiam necessario datur diversitas, seu distinctio individualis; non enim possunt duo esse specie distincta, nisi etiam sint individualiter diversa. Ad confir. dist. maj. illa aptitudo rei, ut sit in multis, est forma inadæquata universalis, denominans rem multiplicem. conc. maj. est forma adæquata, etiam denominans rem unam. neg. maj. & om. min. neg. 2. p. conseq. nam tantum sequitur, dari a parte rei universale inadæquate acceptum.

500. Objic. 6. Cujuslibet potentiæ objectum est unum: sed non est unum tantum per intellectum: ergo est unum a parte rei: atqui idem objectum simul a parte rei est multiplex in individuis: ergo a parte rei est unum, & multiplex, adeoque universale. prob. min. inter alias potentias etiam sunt potentiæ sensitivæ, sive sensus: sed horum objectum non est tantum unum per intellectum: ergo est unum a parte rei. prob. min. actus sensuum præcedunt actus intellectus: ergo objectum sensuum debet esse unum antecedenter ad omnem actum intellectus.

Resp. neg. min. ad prob. iterum neg. min. ad hujus prob. neg. conseq. Objectum adæquatum, seu totale cujuslibet potentiæ dicitur unum, quatenus considerantur omnia objecta inadæquata, seu partialia, ut convenientia in una ratione formali, sub qua attinguntur a potentia: sic objectum Physicæ est unum corpus mobile; quia omnia corpora singularia considerantur per conceptum aliquem confusum, ut convenientia in mobilitate, seu mutabilitate, sub qua considerantur a Physica: hæc autem unitas, ut patet, non datur a parte rei, seu antecedenter ad operationem intellectus; unde a parte rei ista corpora

pora non habent unitatem, nisi fundamentalem; quia scilicet habent mobilitatem, quæ est fundamentum, ea omnia per unum conceptum confusum cognoscendi per modum unius.

Eadem ratione objectum adæquatum cujuslibet sensus, e. g. visus, dicitur unum; quia omnia objecta partialia considerantur ut convenientia in ratione visibilitatis, sub qua attinguntur a visu. Quod autem actus sensuum sint ante actum intellectus, nil refert; nam sensus attingunt objecta singularia ut singularia, & non per modum unius: nec requiritur ad operationem sensuum, ut eorum objectum adæquatum sit unum.

501. Objic. 7. Objectum scientiarum datur a parte rei: sed hoc est universale: ergo. Confir. Universale est objectum intellectus: ergo non fit ab intellectu. Resp. dist. min. est universale denominative sumptum. conc. min. quidditative, vel concretive sumptum. neg. min. & conseq. Nempe objectum scientiarum sunt res multiplices ipsæ, quarum naturam scientiæ considerant, & quæ dantur a parte rei, suntque universale, non adæquatum, sed inadæquatum, seu pars universalis: attamen non pars qualiscumque, sed illa, quæ venit in recto, & denominatur universalis. vide dicta in simili *num.* 327. Ad confir. dist. pari modo ant. & neg. conseq.

502. Objic. 8. Aristoteles 10. *Metaphys. text.* 3. ait: *Uniuscujusque mensura unum est*: sed non est unum individualiter; aliter unum individuum esset mensura alterius: ergo unum universaliter: atqui hæc mensura debet dari a parte rei: ergo unum universaliter debet dari a parte rei. Confir. 1. Aristoteles, & S. Thomas, aliquoties dicunt, res esse universales: sed res dantur a parte rei: ergo etiam universale. Confir. 2. Auctores in hoc conveniunt, quod universale detur a parte rei: ergo probabilius datur a parte rei.

Resp. neg. min. Aristoteles *loc. cit.* tantum loquitur de mensura quantitatis, sive discretæ, sive continuæ: docet autem, id, ex quo aliquid cognoscitur, esse ejus mensuram: dein de quantitate discreta, sive de numero, ait, ejus principium esse unum, seu unitatem, & ex hac ait cognosci numerum;

rum; qui enim sepius unitatem tanquam mensuram adæquat, major est: addit dein, ad quantitatem continuam, seu longitudinem mensurandam, etiam debere dari unum, intellige palmum, aut ulnam vel quid simile: quæ omnia singularia, seu individualia esse possunt, & sunt.

503. Quando autem Philosophus 13. *Metaphys. summa* 3. *cap.* 3. (ut quibusdam videtur, quamquam forte sine sufficiente fundamento) negat, quod unum sit principium numeri, loquitur de numeris quibusdam impossibilibus, quos aliqui ponebant, & quos ibi impugnat, qui non veniunt ad rem nostram. Ad 1. confir. dist. ant. dicunt res, si spectentur solæ, prout sunt a parte rei, esse universales fundamentaliter. conc. ant. esse jam universales formaliter. neg. ant. & conseq. Certe, si hoc secundum dicerent isti auctores, sibi contradicerent, ut patebit ex dicendis *num.* 504. & 505. Ad 2. confir. neg. ant. Si excipiantur Scotistæ, cæteri auctores communissime cum S. Thoma tenent contrarium.

ARTICULUS III.

An, & quomodo Universale fiat per Intellectum.

504. Dico. Universale fit per intellectum, plura individua, in aliqua ratione similia, confuse per modum unius cognoscentem; ita cum S. Thoma Thomistæ, & nostri cum Suarezio *tom.* 1. *Metaphys. disp.* 6. *sect.* 5. atque etiam exceptis Scotistis communiter alii. Prob. 1. conclusio auctoritate, quæ in hac quæstione (si non misceatur distinctio Scotistica, aut præcisio objectiva, quæ jam sunt refutatæ) fere de nomine, magnum pondus habere debet. Aristoteles 1. *de Anima textu* 8. sic scribit: *Animal autem universale, aut nihil est, aut posterius: similiter autem & si quod commune aliud prædicetur:* hoc est: animal in communi, seu universaliter acceptum, & omnis alius terminus, qui ut communis, seu universalis prædicatur, non est, nisi posterius operatione intellectus: quod idem est, ac dicere, universale non fit, nisi per intellectum.

Hanc mentem esse Philosophi, aperte tradit ejus com-

commentator Averroes, qui *in hunc textum* ita scribit: *Demonstratur per hoc, quod ipse* Aristoteles *non opinatur, quod definitiones generum, & specierum, sint definitiones rerum universalium, existentium extra animam: sed sunt definitiones rerum particularium extra intellectum: sed intellectus est, qui facit in eis universalitatem.* Idem Averroes *in* 12. *Metaph. sum.* 1. *cap.*1. *num.*4. ait: *Universalia enim apud Aristotelem sunt collecta ex particularibus in intellectu, qui accipit inter ea consimilitudinem, & facit ea unam intentionem.*

505. Jam S. Thomas hanc conclusionem tam fuse probat *Opusc.* 55. & 56. ut, si quis ex his opusculis, quæ habent titulum *de universalibus*, vellet omnes textus huc facientes adducere, opus esset, ipsa opuscula transcribere. Ex quolibet unum tantum adduco: & *ex Opusculo* 55. illum, quo simul expresse ait, nostram sententiam esse Aristotelis; sic enim habet: *Sententia tamen Aristotelis vera est, scilicet, quod universale est in multis, & unum prater multa: & tangitur in hoc duplex esse universalis, unum, secundum quod est in rebus, aliud, secundum quod est in anima. Et quantum ad istud esse, quod est rationis, habet rationem prædicabilis: quantum vero ad aliud esse, est quædam natura, & non est universale actu, sed potentia; quia potentiam habet, ut talis natura fiat universalis per actionem intellectus.*

506. At vero *Opusc.* 56. sic ait: *Homo non dicitur universalis, nisi quia consideratur universaliter:* & post pauca: *Universale ergo est unum, & plura: plura, in quantum in pluribus est; alioquin non posset prædicari de pluribus, ut homo in re est plura; quia de pluribus prædicatur: est autem unum in cognitione; quia, licet plura, secundum quod plura, non constituunt unum intellectum, tamen plura, secundum quod similia sunt, constituunt unum intellectum.* Similia habet *in* 1. *de Anima text.* 8.

At *in* 2. *de Anima lect.*12. *text.* 60. postquam S. Doctor pluribus probasset, quod ratio universalitatis, non possit dari a parte rei, prout volebant Platonici, sic tandem concludit: *Igitur patet, quod natura communi non potest attribui intentio universalitatis,*

tatis, nisi secundum esse, quod habet in intellectu; sic enim solum est unum de multis, prout intelligitur præter principia, quibus unum in multa dividitur; unde relinquitur, quod universalia, secundum quod sunt universalia, non sunt, nisi in anima.

Equidem controverti posset, an S. Doctor velit, universale fieri per speciem impressam, ita, ut unitas universalis stet in specie impressa: an vero velit, id fieri per speciem expressam, seu cognitionem, ita, ut in hac stet unitas: quia tamen S. Thomas *Opusc.* 56. *modo cit.* expresse dicit, universale esse *unum in cognitione*, videtur nobis cum communi nostrorum ad mentem S. Doctoris statuenda unitas universalis in ipsa cognitione, quæ saltem æque potest, naturam denominare unam, quam species impressa prævia: quidquid sit, an etiam ista aliqua unitas esse possit.

507. Prob. concluſ. etiam ratione. Juxta nos universale dicit duo, scilicet ipsa individua singularia plura, & cognitionem eorum confusam, seu abstrahentem: atqui singularia plura sunt multiplicitas, & cognitio confusa est unitas, quæ sunt constitutiva requisita ad universale: ergo juxta hanc assertionem recte explicatur universale. min. quoad 1. p. nempe, quod individua sint multiplicitas, communiter admittitur; nam sententia, quæ a quibusdam attribuitur Occamo, ac aliquibus Nominalibus, quod scilicet universale adæquate consistat in nominibus, jam dudum abolita est.

Imo Hurtadus *disp.* 5. *Metaphys. sec.* 4. *numr.* 28. & de Benedictis *l.* 2. *Log. qu.* 2. *c.* 6. negant, Nominales unquam illius opinionis fuisse: & sane nomina (& eadem ratio est de cognitionibus, seu conceptibus) non insunt per identitatem pluribus, neque propter identitatem prædicantur objective de pluribus; neque enim nomen, aut vox *animal*, neque cognitio animalis habet identitatem cum pluribus. Sed & scientiæ, quæ agunt de universalibus, non agunt tantum de nominibus, aut conceptibus, vel vocibus, sed de rebus, quæ subsiant conceptibus: neque definiunt nomina, seu conceptus, aut voces, sed res; nam e.g. definitio: *Homo est animal rationale:* non definit vocem *homo*, sed ejus objectum,

ctum, sive rem a parte rei existentem. Unde Benedictis *loc. cit.* conatur ostendere, Nominales a nobis tantum differre quoad modum loquendi. Quando autem Aristoteles 3. *Metaphys. text.* 20. negat, universalia esse substantias, tantum negat, ea esse substantias Platonicas, separatas ab omni singularitate. ita hunc locum exponit Commentator, seu Averroes, qui videri potest.

508. Prob. igitur 2. p. mi. sive, quod cognitio confusa sit unitas sufficiens ad universale. Illa unitas est sufficiens ad universale, quæ plura individua singularia, seu, quod idem est, naturam multiplicem, facit formaliter unam: sed cognitio confusa facit naturam multiplicem formaliter unam: ergo. prob. mi. formaliter unum dicitur illud, quod est indivisum *ex n.* 335. atqui hæc cognitio facit naturam multiplicem formaliter indivisam: ergo facit formaliter unam.

Minor prob. Si in natura, e. g. humana, nullæ darentur hæcceitates, seu singularitates, aut prædicata individuantia, quæ naturam a parte rei dividunt in plures singulares naturas, seu faciunt, ut sint plura individua, Petrus, Paulus &c. tunc natura esset realiter indivisa: ergo, cum in intellectu, naturam confuse cognoscente, seu in cognitione confusa, intentionaliter non dentur, seu non appareant ullæ hæcceitates, seu prædicata individuantia; quia ab his cognitio confusa præscindit, natura in intellectu, seu in ista cognitione, est intentionaliter indivisa, & consequenter una.

Quare, cum *ex num.* 365. nomina non imponantur rebus, ut sunt a parte rei in se, sed ut sunt in cognitionibus, recte talis natura multiplex, ut per cognitionem confusam præcisa a singularitatibus, vocatur una natura: eadem scilicet ratione, qua animal, & rationale, vocamus duo; quia, licet sint realiter idem, tamen in cognitione ea formaliter distinguente apparent ut duo.

509. Ad clarius intelligendam conclusionem explicanda est adhuc magis cognitio confusa, quæ debet esse unitas universalis. Debet itaque hæc cognitio esse abstractiva, non tantum, ut fiat per species alienas, sed, ut sit præcisiva, sive non plene discretiva sui objecti: & præsertim debet hæc cognitio abstrahere, seu præscindere ab omni hæcceitate, vel singularitate, ita, ut vi talis cognitionis, vel conceptus, non dignoscatur, an objectum sit unum, an multiplex; si enim conceptus repræsentaret hæcceitatem, non repræsentaret objectum ut identificabile pluribus, vel prædicabile de pluribus, ut per se patet. Debet etiam hæc cognitio, vel hic conceptus, abstrahere ab omni multiplicitate; alias enim non haberet unitatem, ab auctoribus requisitam, nec conceptus esset cuique seorsim applicabilis; unde non sunt universales hi conceptus *omnes homines*, *innumeri homines:* sed universales sunt isti conceptus *ens*, *substantia*, *animal*, *homo*, *leo:* de quibus etiam videri possunt dicta *num.* 364. & 365.

Obiter hic addo. Quando dicitur, quod cognitio confusa repræsentet omnia, e. gr. animalia per modum unius, non intelligitur, quod repræsentet intellectui omnia animalia, quasi in unam planitiem congregata; sic enim nec abstraheret ab eorum hæcceitatibus, nec a pluralitate, ut patet: nec intelligitur, quod repræsentet ea omnia inter se identificata, vel in unum conjuncta; sic enim esset aperte falsa: sed demptis terminis, rem aliquo modo obscurantibus, tantum significatur, quod cognitio confusa sit talis repræsentatio, quæ omnibus animalibus sit æque applicabilis, nec uni magis conveniat, quam alteri, & æque prædicabilis sit de uno, ac pluribus: & talis repræsentatio est hic conceptus *animal;* nam possum dicere: *Petrus est animal: Paulus est animal: Hic leo est animal: Omnis leo est animal.*

510. Aliqui videntur velle, quod talis conceptus etiam debeat præscindere ab aliis circumstantiis, e.g. loci, temporis &c. quæ nullam involvunt multiplicitatem, nec etiam uni soli determinate conveniunt: at hoc tantum verum est, quando agitur de universali strictissime scientifico, quod scilicet debet posse prædicari de omnibus inferioribus termini univoci non restricti; sub hac enim ratione videntur agere scientiæ de suis objectis: at vero ad universale minus stricte dictum istud non requiritur, & plures conceptus a Philosophis vocantur universales, etsi a similibus circumstantiis non abstrahant.

Sic satis communiter videtur admitti, quod hi con-

conceptus *homo doctus*, *homo senex*, faciant universale: imo quidam videntur supponere, quod hic conceptus *homo in templo* faciat universale accidentis, licet non adeo perfectum. Nec opponi potest, hos conceptus non esse satis late patentes, nec omnibus applicabiles; conceptus enim universales non debent omnes esse æquales quoad latitudinem, vel applicabilitatem; nam conceptus specificus, e.g. *homo*, non est tam late patens, nec tot singularibus applicabilis, ac conceptus genericus *animal*.

511. Advertendum insuper, quod hujusmodi cognitio, vel conceptus confusus, non debeat repræsentare signate naturam multiplicem ut unam, seu fingendo in ipsa aliquam unitatem, ut videntur velle aliqui Thomistæ; nam sic cognitio esset falsa, ut patet: sed debet tantum repræsentare exercite naturam ut unam, sive tantum non debet per suam tendentiam discernere unum individuum ab altero, sed æqualiter repræsentare omnia, ita, ut vi talis cognitionis intellectus non possit dicere, an objectum sit unum, an multiplex; unde hæc cognitio debet neque negare, neque affirmare pluralitatem, sed ab ea præscindere: quod si faciat, non erit falsa; ut enim habet axioma commune: *Præscindentium non est mendacium*: hoc est: præscindere non est falsum dicere.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

512. Ob. 1. Cognitio confusa, quamvis sit spiritualis, tamen non denominat naturam spiritualem: ergo etiam, quamvis sit una, non denominat naturam unam, seu universalem. Resp. neg. conseq. Distinguenda sunt in cognitione prædicata, quæ ipsi conveniunt in essendo, seu quia talis speciei ens est, & prædicata, quæ ipsi conveniunt in repræsentantando, seu quatenus repræsentatio est. Prædicata, quæ cognitioni tantum conveniunt in essendo, non refunduntur in objectum; quia sub hac ratione cognitio non supponit pro objecto: & sic cognitio, licet sit spiritualis, singularis, accidentalis &c. non propterea objectum dicitur spirituale, singulare, accidentale &c.

At

At vero prædicata, quæ conveniunt cognitioni in repræsentando, seu quatenus repræsentatio est, refunduntur in objectum; quia sub hac ratione cognitio supponit pro objecto; unde, sicut objectum unum, per cognitionem formaliter distinguentem repræsentatum ut formaliter duo, vocatur duplex, vel duo, ex. gr. animal, & rationale: ita natura multiplex, per cognitionem confusam repræsentata ut una, nominatur una. Similitudo habetur in pictura, quæ, licet in essendo sit inanimata, non facit, ut homo depictus dicatur inanimatus: at, quia in repræsentando est pulchra, vel deformis, etiam ab inspicientibus picturam, homo depictus dicitur pulcher, vel deformis.

513. Ob. 2. Unitas debet esse intrinseca universali: sed cognitio non est illi intrinseca: ergo non est unitas. Confirm. 1. Cognitio talis est tantum universale in repræsentando: ergo non est universale in essendo. Confir. 2. Si universale constituitur per cognitionem, tot erunt universalia, quot cognitiones: hoc est contra communem: ergo. Resp. dist. ma. unitas debet esse intrinseca universali concretive, vel quidditative accepto. conc. ma. universali denominative accepto. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Universale concretive acceptum est totum complexum, constitutum ex natura multiplici, & cognitione, atque hujus pars intrinseca est cognitio: universale autem denominative acceptum est tantum natura multiplex, cui cognitio est extrinseca. vide supra *num.* 327.

Ad 1. confir. om. ant. dist. conseq. cognitio sola non est universale totum in essendo. conc. conseq. non est ejus pars, seu non est forma denominans universale unum in essendo. neg. conseq. Ad 2. confir. neg. ma. Universale est concretum accidentale, cujus subjectum est natura multiplex, forma autem cognitio: at concreta accidentalia non multiplicantur, multiplicata forma; neque enim sunt centum cogniti, si Petrus a centum hominibus cognoscatur: sed multiplicantur hæc concreta, multiplicato recto, vel subjecto, quod hic non multiplicatur: sed de hoc plura inferius, ubi de concretis.

514. Ob. 3. Cognitio ista confusa repræsentat plu-

ra: ergo ea repræsentat ut plura: ergo non denominat unum, seu universale. prob. 1. conseq. si non repræsentat plura ut plura, repræsentat ea aliter, ac sunt in se: ergo est falsa. Confir. Si hæc cognitio non repræsentat plura ut plura, repræsentat plura ut unum: ergo non abstrahit ab unitate, nec facit universale. Resp. neg. 1. conseq. ad prob. dist. ant. repræsentat ea aliter, id est, repræsentat aliquid aliud, affingendo iis aliquod prædicatum, quod reipsa non habent. neg. ant. id est, non repræsentat ea omni modo, quo sunt in se, sive non repræsentat formaliter omnia prædicata, quæ habent. conc. ant. & neg. conseq. Præscindentium non est mendacium, & conceptus inadæquatus per se non est falsus. Ad confir. neg. ant. si sensus ejus sit, quod cognitio signate repræsentet ut plura; datur enim medium, scilicet præscindere a pluralitate, & unitate.

515. Dices 1. Si hæc cognitio præscindit a pluralitate, & unitate, non est ratio, quare potius objectum denominet unum, quam multiplex: ergo non est ratio, quare faciat universale. Resp. neg. ant. Ratio est ista; quia, si non repræsentatur objectum ut multiplex, eo ipso intentionaliter non apparet divisum: ergo est intentionaliter unum; quia, ut ex Aristotele diximus *nu.* 335. quæcumque, seu, ut Philosophus ait, *quotcumque non habent divisionem, quatenus non habent, eatenus unum dicuntur*. At vero, ut aliquid sit multiplex intentionaliter, debet habere intentionaliter divisionem; nam opposita, nempe unum, & multiplex, debent etiam habere opposita prædicata: objectum autem in hoc casu non habet intentionaliter divisionem.

516. Dices 2. Si potest fieri universale per cognitionem repræsentantem plura ut unum, poterit etiam fieri universale per cognitionem repræsentatem unum ut plura, ita, ut unitas detur a parte rei, pluralitas vero in intellectu: sed hoc est contra communem: ergo. Resp. neg. ma. tali enim complexo non convenit definitio universalis; non enim posset dici, unum aptum inesse multis per identitatem, sed deberet dici, plura apta inesse uni. Nec licet fingere pro libitu definitiones, sed a majoribus acceptæ retinendæ sunt.

517. Di-

517. Dices 3. Cognitio confusa præscindit, ac dividit inter se gradus metaphysicos, e.g. animal, & rationale: ergo repræsentat plura ut plura. Resp. dist. ant. præscindit, ac dividit illos gradus, quos confundit, & denominat unum. neg. ant. dividit alios gradus. om. ant. & neg. conseq. Ista cognitio non præscindit a se invicem, aut dividit inter se illos gradus, quos confundit: e.g. hæc cognitio, vel hic conceptus confusus *animal*, non præscindit a se invicem animalitates, sed has omnes in unum confundit; quare has animalitates non repræsentat ut plura. Sed neque alios gradus, e.g. *rationale*, *hæceitatem*, repræsentat ut plura; quia hos formaliter non repræsentat, sed ab ipsis omnino præscindit: quin imo hæc cognitio neque etiam gradus alios signate dividit ab iis, quos confundit, e.g. rationale ab animali, sed tantum id facit aliquo modo æquivalenter, quatenus nempe unum gradum, e.g. animal, formaliter cognoscit, alterum vero, e.g. rationale, non formaliter cognoscit.

518. Ob. 4. Universale debet posse prædicari de pluribus; sed cognitio confusa non potest prædicari de pluribus: ergo non facit universale. Resp. dist. ma. universale quidditative sumptum debet posse prædicari. neg. ma. universale denominative sumptum. conc. ma. & conc. etiam mi. neg. conseq. Quid sit universale quidditative, & denominative sumptum, patet ex dictis *num.* 513. ex quibus etiam habetur, quod cognitio non sit intrinseca universali, sive non sit pars universalis denominative sumpti: adeoque, sicut non debet identificari pluribus, ita neque debet de pluribus prædicari: imo, si recte loqui volumus, cognitio potius prædicat naturam unam de pluribus.

Dices 1. Universale denominative sumptum nihil est aliud, quam plura singularia a parte rei: sed ista non possunt prædicari de uno: ergo. Resp. dist. mi. ista non possunt prædicari de uno, quando non substant cognitioni confusæ. conc. mi. quando huic substant. neg. mi. & conseq. Non tamen ideo debet etiam prædicari ipsa cognitio; nam ista prædicatio plurium, facta de uno, habet se suo modo, sicut projectio mercium in mare, volita in periculo

naufragii ; ſicut enim hæc non amatur , niſi in circumſtantiis periculi , ita etiam prædicatio univerſalis denominative ſumpti , non fit , niſi in circumſtantiis cognitionis confuſæ ; & ſicut non ideo , quod ea projectio non ametur , niſi in circumſtantiis periculi , etiam amatur ipſa concretive ſumpta , ſed ut involvens eas circumſtantias , ſive , ut etiam circumſtantiæ amentur (quia iſtæ circumſtantiæ potius odio habentur , & deſideratur earum abſentia) ita neque ideo , quod univerſale denominative ſumptum non prædicetur , niſi in circumſtantiis cognitionis confuſæ , etiam prædicatur univerſale concretive ſumptum , ſeu etiam ipſa cognitio ; quia hæc non identificatur rebus , adeoque prædicari non poteſt . Scilicet , ſicut circumſtantiæ periculi naufragii denominant projectionem mercium amabilem , licet ipſæ non ſint amabiles , ita cognitio confuſa denominat univerſale denominative ſumptum (quod a parte rei ſunt ipſa ſingularia) denominat , inquam , prædicabile , licet ipſa prædicabilis non ſit : & hoc dicitur denominare per contrarietatem , quando ſcilicet id , ratione cujus tribuitur aliqua denominatio , non eſt capax illius denominationis , ſed potius oppoſitæ.

519. Dices : 2. Juxta hactenus dicta , univerſale denominative ſumptum ſunt ipſamet plura ſingularia , ſeu individua : ſed hæc etiam ut ſubſtantia cognitioni confuſæ non poſſunt prædicari de pluribus : ergo . prob. mi. univerſale non tantum debet prædicari de pluribus collectim ſumptis , ſed etiam de pluribus diviſim ſumptis , ſive de quolibet ſingulari inferiore : atqui plura ſingularia non poſſunt prædicari de quolibet ſingulari inferiore : ergo. Reſp. om. ma. neg. mi. ad prob. diſt. mi. plura ſingularia non poſſunt de quolibet ſingulari inferiore prædicari prædicatione collectiva . conc. mi. prædicatione æquivalenter disjunctiva . neg. mi. & conſeq.

De quolibet ſingulari individuo , ex. gr. humano , Petro , Paulo &c. poteſt cum veritate prædicari tota ratio univerſalis , dicendo : *Petrus eſt homo : Paulus eſt homo &c.* hæc autem prædicatio non quidem eſt formaliter disjunctiva (alias non abſtraheretur a ſingularitate , vel particularitate , quæ tamen

men abſtractio requiritur ad univerſale) attamen eſt æquivalenter disjunctiva , quatenus hæc prædicatio , vel propoſitio confuſa , non exigit alio modo verificari , quam prædicatio , vel propoſitio formaliter disjunctiva : & in hoc ſaltem ſenſu datur in omni propoſitione affirmativa (quales etiam ſunt iſtæ : *Petrus eſt homo : Paulus eſt homo &c.* ſemper ſuppoſitio disjunctiva ex parte prædicati , ſi iſtud ſit terminus communis , ut dictum *n.* 34.

520. Dices 3. Univerſale debet etiam identificari pluribus diviſim acceptis : atqui plura ſingularia non poſſunt identificari pluribus diviſim acceptis , ſeu cuilibet ſingulari : ergo. Reſp. 1. reipſa per hos terminos ſatis obſcuros aliud non intelligi , quam quod cuilibet ex pluribus debeat eſſe identificatum aliquid , de quo cum veritate prædicetur conceptus univerſalis : & ſic cuilibet homini identificatum eſt ſuum eſſe ſpecificum , de quo cum veritate prædicatur hic conceptus univerſalis *animal rationale :* ſed , ut nos accommodemus modo loquendi communi . Reſp. 2. om. ma. diſt. mi. plura ſingularia collective , aut diſtributive , ſeu adæquate accepta , non poſſunt identificari pluribus diviſim acceptis , ſeu cuilibet ſingulari. conc. mi. plura ſingularia disjunctive , ſeu partialiter , vel inadæquate accepta , non poſſunt identificari cuilibet ſingulari . neg. mi. & conſeq.

Univerſale , ſeu plura ſingularia , debent identificari cuilibet ſingulari , ſicut exigit eorum prædicatio ; non enim debet dari alia identitas inter ſubjectum , & prædicatum , quam ea , quæ affirmatur , vel prædicatur : in noſtro autem caſu prædicatio plurium , ſeu naturæ multiplicis , de quolibet ſingulari individuo , eſt æquivalenter disjunctiva , quæ non exigit identitatem adæquatam omnium ſingularium cum quolibet individuo , ſed tantum exigit eorum identitatem inadæquatam , hoc eſt , identitatem unius per deſcenſum disjunctivum enumerandi , cui tamen conveniat tota ratio univerſalis : e. g. hæc prædicatio , vel propoſitio : *Petrus eſt homo :* ad ſui verificationem non exigit , ut omnes homines identificentur Petro , ſed tantum exigit , ut ei identificetur unum individuum , cui tota ratio , ſeu eſſentia hominis , ſive animalitas , & rationalitas inſit.

Dices 4. Si sufficit identitas inadæquata inter subjectum, & prædicatum, veræ erunt istæ propositiones: *Petrus est exercitus: Petrus est omnis homo: Anima est homo:* sed hoc est falsum: ergo. Resp. neg. ma. In duabus prioribus propositionibus prædicatum non supponit disjunctive: sed in prima collective; quia *exercitus* est terminus collectivus: in secunda prædicatum supponit distributive; quia additum est signum distributivum *omnis:* in tertia autem non datur identitas inadæquata alicujus partis subjectivæ termini universalis, cui conveniat tota ratio prædicati: sed tantum datur identitas inadæquata partis physicæ, cui non competit tota ratio prædicati; nam animæ non convenit tota ratio significata per prædicatum *homo*, quæ tamen ratio tota convenit Petro.

521. Dices 5. Ergo tantum unum ex pluribus singularibus identificatur cuilibet individuo. Resp. dist. illatum, realiter, & a parte rei. conc. illat. præcisive, & in statu intentionali. neg. illatum. In statu reali utique non potest uni, e. g. Petro, identificari plus, quam unum individuum: at non ita in statu intentionali; cum enim cognitio confusa non discernat unum individuum ab altero, nec repræsentet unum præ altero: sed repræsentet omnia per modum unius, & hoc ipsum unum, sive totam rationem universalis, e. g. hominis, præcisive prædicet de Petro, ita, ut vi talis prædicationis non affirmetur, Petro identificari unum individuum potius, quam alterum, imo nec affirmetur, identificari ei potius unum, quam plura, sed indeterminate, & præcisive affirmetur identificari omnia, dici potest, totum universale, sive plura, aut omnia, speciei humanæ individua, Petro in statu intentionali, ac in sensu præcisivo inesse, atque in eodem sensu, ac statu ei identificari: & eodem modo discurrendum est de aliis quibusvis singularibus, de quibus aliquod qualecumque universale prædicatur.

Quidam recentiores, ut totam hanc difficultatem declinent, dicunt, universale esse quandam intentionem, seu conceptum, a cognitione distinctum, seu quasi idolum (de quo supra *n.* 438.) quod repræsentet e. g. hominem ut sic, seu neque unum, neque multiplicem: addunt, hanc intentionem identificari tam multis, quam uni, non quidem realiter, sed repræsentative: sicut in Summulis dicitur, quod definitio formalis repræsentative convertatur cum definito formali. Sed imprimis hic conceptus, seu idolum, distinctum a cognitione, & speciebus (quæ non se habent ut quod, seu per modum objecti, sed tantum ut quo, seu per modum applicationis objecti) prorsus gratis confingitur: dein auctores per identitatem universalis nunquam intellexerunt tantum repræsentative talem: sicut per ejus unitatem non intellexerunt unitatem similitudinis: certe non fuisset opus tanto labore, & studio, ad inveniendam identitatem repræsentativam, quæ cuilibet obvia est.

522. Ob. 5. Si cognitio confusa naturam multiplicem tantum facit intentionaliter unam, tunc non facit eam unam in ea ratione, in qua est multiplex: sed debet hoc facere: ergo. Resp. neg. ma. Unitas universalis non debet facere, ut natura sit realiter, seu in statu reali una; nam sic tolleret multiplicitatem, nec universale amplius esset aptum inesse multis: sed unitas hæc debet tantum facere, ut natura non appareat multiplex, sive ut intentionaliter, seu in statu intentionali sit una verbo: illa eadem ratio, e. g. natura, seu essentia humana, quæ realiter est multiplex, debet intentionaliter esse una, & sic idem universale, sub eadem ratione, id est, sub eadem natura, aut essentia, in diverso statu accepta, est simul multiplex, & unum.

Ubi notandum, quod, quando dicitur *sub eadem ratione*, non intelligatur *sub eodem statu reali, vel intentionali*: sed intelligatur *sub eadem natura, essentia*, seu, ut ajunt, *sub eadem re significata per nomen*, sive *per terminum universalem*, e. g. *sub eadem ratione hominis, vel essentiæ humanæ:* quæ ratio, vel res, dein accipi potest, sive secundum statum realem, sive secundum statum intentionalem.

Dices 4. Si sufficit identitas inadæquata inter subjectum, & prædicatum, veræ erunt istæ propositiones: *Petrus est exercitus: Petrus est omnis homo: Anima est homo:* sed hoc est falsum: ergo. Resp. neg. ma. In duabus prioribus propositionibus prædicatum non supponit disjunctive: sed in prima collective; quia *exercitus* est terminus collectivus: in secunda prædicatum supponit distributive; quia additum est signum distributivum *omnis:* in tertia autem non datur identitas inadæquata alicujus partis subjectivæ termini universalis, cui conveniat tota ratio prædicati: sed tantum datur identitas inadæquata partis physicæ, cui non competit tota ratio prædicati; nam animæ non convenit tota ratio significata per prædicatum *homo*, quæ tamen ratio tota convenit Petro.

521. Dices 5. Ergo tantum unum ex pluribus singularibus identificatur cuilibet individuo. Resp. dist. illatum, realiter, & a parte rei. conc. illat. præcisive, & in statu intentionali. neg. illatum. In statu reali utique non potest uni, e. g. Petro, identificari plus, quam unum individuum: at non ita in statu intentionali; cum enim cognitio confusa non discernat unum individuum ab altero, nec repræsentet unum præ altero: sed repræsentet omnia per modum unius, & hoc ipsum unum, sive totam rationem universalis, e. g. hominis, præcisive prædicet de Petro, ita, ut vi talis prædicationis non affirmetur, Petro identificari unum individuum potius, quam alterum, imo nec affirmetur, identificari ei potius unum, quam plura, sed indeterminate, & præcisive affirmetur identificari omnia, dici potest, totum universale, sive plura, aut omnia, speciei humanæ individua, Petro in statu intentionali, ac in sensu præcisivo inesse, atque in eodem sensu, ac statu ei identificari: & eodem modo discurrendum est de aliis quibusvis singularibus, de quibus aliquod qualecumque universale prædicatur.

Quidam recentiores, ut totam hanc difficultatem declinent, dicunt, universale esse quandam intentionem, seu conceptum, a cognitione distinctum, seu quasi idolum (de quo supra *n.* 438.) quod repræsentet e. g. hominem ut sic, seu neque unum, neque multiplicem: addunt, hanc intentionem identificari tam multis, quam uni, non quidem realiter, sed repræsentative: sicut in Summulis dicitur, quod definitio formalis repræsentative convertatur cum definito formali. Sed imprimis hic conceptus, seu idolum, distinctum a cognitione, & speciebus (quæ non se habent ut quod, seu per modum objecti, sed tantum ut quo, seu per modum applicationis objecti) prorsus gratis confingitur: dein auctores per identitatem universalis nunquam intellexerunt tantum repræsentative talem: sicut per ejus unitatem non intellexerunt unitatem similitudinis: certe non fuisset opus tanto labore, & studio, ad inveniendam identitatem repræsentativam, quæ cuilibet obvia est.

522. Ob. 5. Si cognitio confusa naturam multiplicem tantum facit intentionaliter unam, tunc non facit eam unam in ea ratione, in qua est multiplex: sed debet hoc facere: ergo. Resp. neg. ma. Unitas universalis non debet facere, ut natura sit realiter, seu in statu reali una; nam sic tolleret multiplicitatem, nec universale amplius esset aptum inesse multis: sed unitas hæc debet tantum facere, ut natura non appareat multiplex, sive ut intentionaliter, seu in statu intentionali sit una verbo: illa eadem ratio, e. g. natura, seu essentia humana, quæ realiter est multiplex, debet intentionaliter esse una, & sic idem universale, sub eadem ratione, id est, sub eadem natura, aut essentia, in diverso statu accepta, est simul multiplex, & unum.

Ubi notandum, quod, quando dicitur *sub eadem ratione*, non intelligatur *sub eodem statu reali, vel intentionali*: sed intelligatur *sub eadem natura, essentia*, seu, ut ajunt, *sub eadem re significata per nomen*, sive *per terminum universalem*, e. g. *sub eadem ratione hominis, vel essentiæ humanæ:* quæ ratio, vel res, dein accipi potest, sive secundum statum realem, sive secundum statum intentionalem.

ARTICULUS V.

An Universale maneat in Actuali Prædicatione.

523. AUctores, qui nobis consentiunt in præcedente conclusione de universali, per cognitionem confusam constituto, facile etiam admittunt, universale fieri per simplicem aliquam apprehensionem, seu primam mentis operationem, e. g. per terminum *homo*, *animal*; cum enim actus talis sit perfecte confusus, repræsentat plura per modum unius. Non autem debent addi termini *omnis*, *nullus*, *aliquis*, aut similes; cum ratione istorum terminorum, seu, ut etiam vocantur, signorum, universalium, vel particularium appositorum, tales apprehensiones non amplius perfecte præscindant a pluralitate, vel unitate numerica.

524. Facile etiam admittitur, quod fiat universale per aliquam secundam mentis operationem, seu propositionem, in qua termini æque late patentes ponuntur, tam ex parte subjecti, quam ex parte prædicati, e. g. per hanc propositionem: *Homo est animal rationale:* quia in talibus propositionibus perfecte, & æqualiter, tam ex parte subjecti, quam ex parte prædicati, præscinditur ab omni pluralitate, & unitate numerica. Controversia autem præcipue est, an in propositione, in qua terminus superior, seu latius patens, prædicatur de inferiore, seu minus late patente, e. g. genus de specie, vel species de individuo, an, inquam, in tali propositione terminus superior retineat suam universalitatem: e. g. in his propositionibus: *Homo est animal: Petrus est homo:* an in prima terminus *animal* faciat universale genericum: & in secunda terminus *homo* faciat universale specificum: quæ controversia, aut quæstio, solet communiter sub his terminis ab auctoribus proponi: An universale maneat in actuali prædicatione.

525. Agitur autem hic de propositione mentali, & quidem supposita communi sententia, quod propositio mentalis sit actus unus realiter indivisibilis; si enim aliquis cum de Benedictis *l.* 3. *Log. q.* 2. *c.* 1. vellet

vellet defendere, quod propositio mentalis componatur ex tribus actibus, realiter inter se distinctis, quorum unus subjectum, alter prædicatum, tertius copulam exprimat, tolleretur potissima quæstionis difficultas, ut ex dicendis cuique patebit. Pariter, si quis quæstionem hanc agitare vellet de propositione vocali, cujus partes, nempe subjectum, & prædicatum, atque etiam copula, realiter inter se distinguuntur, vix esset aliquis locus disputandi.

526. Circa propositionem autem mentalem, quam pro nunc supponimus realiter indivisibilem, ulterius notandum 1. eam saltem communissime præsupponere duas apprehensiones simplices, seu primas mentis operationes, quarum una repræsentet objectum, altera prædicatum; nam intellectus humanus (de quo nunc agimus, acturi postea de divino, & angelico) a prima mentis operatione progreditur ad secundam, debetque prius apprehendere convenientiam prædicati cum subjecto, antequam eam affirmet: & certe, nisi hoc dicatur, explicari non potest, quomodo sæpe possit, aut etiam debeat, intellectus libero voluntatis imperio determinari ad assensum, vel dissensum, vel etiam ad suspendendum omne judicium. Omitto autem, an non in casu valde extraordinario hæ duæ apprehensiones simplices suppleri possint per unam apprehensionem complexam, quæ simul repræsentet subjectum, & prædicatum.

527. Notandum est 2. quod, licet propositio mentalis realiter indivisibilis sit, tamen possit attingere duplex objectum; nam, si dicam, e. g. *Petrus non est lapis*: hæc propositio utique attingit Petrum, & lapidem: imo propositio mentalis indivisibilis potest idem objectum attingere dupliciter, seu modo æquivalenter duplici, vel per modum duorum, quatenus repræsentat idem tanquam duo formaliter distincta, sive tanquam subjectum, & prædicatum: & hinc communiter solet dici, quod eadem propositio attingat idem objectum, tam subjective, quam prædicative: nempe subjective, & quidem in recto attingitur objectum tanquam id, de quo aliquid prædicatur: & prædicative idem etiam in recto attingitur, tanquam id quod prædicatur.

certe

certe quando dico: *Petrus est hic homo:* attingo eundem Petrum subjective, & prædicative per modum duorum formaliter distinctorum.

528. Sane, sicut eadem propositio indivisibilis potest repræsentare plura per modum unius, ita etiam potest repræsentare unum per modum plurium formaliter distinctorum, de quo nemo dubitat, qui admittit, distinctionem rationis ratiocinatæ esse pure formalem. Sed & omnis propositio, ut recte ajunt Conimbricenses *in Præfation. Porphyr. q. 6. a. 4.* debet habere duos terminos formaliter distinctos, adeoque diversimode repræsentantes idem objectum, saltem omnis propositio affirmativa, in qua objectum subjecti, & objectum prædicati est realiter idem.

529. Dein videtur certum, eundem hominem magis attingi ab ista propositione: *Petrus est hic homo:* quam ab ista: *Petrus non est lapis;* quia in ista tantum apparet ut unum distinctum a lapide, & attingitur tantum subjective: in priori vero propositione apparet ut duo formaliter distincta, & attingitur tam subjective, quam prædicative, adeoque tota tendentia propositionis exhauritur in solo Petro. Tota ergo quæstionis hujus difficultas versatur in hoc, an idem realiter indivisibilis actus possit idem realiter objectum attingere, vel repræsentare clare, & obscure, distincte, & confuse: seu, an possit idem discernere ab omni non ipso, & simul confundere cum aliis, ita, ut e. g. hæc propositio: *Petrus est homo:* subjective, quatenus dicit *Petrus*, discernat Petrum ab omni non ipso: at prædicative, quatenus dicit *homo*, confundat Petrum cum omnibus aliis hominibus.

530. Dico. Propositio mentalis, prædicans terminum genericum de specifico, vel specificum de individuali, facit universale genericum, vel specificum: adeoque universale manet in actuali prædicatione. Assertio hæc est communior inter auctores, licet etiam opposita non destituatur sua auctoritate. Prob. conclusio 1. Universale definitur *unum aptum prædicari de multis*, id est, inferioribus, nempe universale genericum de multis speciebus, & specificum de multis individuis (ita certe hanc definitionem communissime accipiunt auctores) ergo probabilius dicitur,

tur, non destrui universalitatem per actualem prædicationem. prob. conseq. quia possibile dicit aptum ad existendum, non destruitur possibilitas per actualem existentiam: ergo a pari neque destruitur universalitas per actualem prædicationem: certe hoc debet saltem tamdiu verum haberi, quamdiu non ostenditur efficaciter oppositum, quod adversarii ostendere non possunt.

531. Prob. conclusio 2. Potest eadem propositio absque ulla contradictione tendere in idem objectum affirmative, & negative: e. g. si quis per errorem de monstro, quod revera est homo, dicat: *Hoc monstrum non est homo:* vel si quis dicat: *Deus non est ens liberum:* nam, cum monstrum, & homo, Deus, & ens liberum, sint realiter identificata, idem realiter negatur, & affirmatur: item potest eadem propositio idem attingere explicite, & implicite: e. g. si quis dicat: *Sanctus Paulus Apostolus dicit, omnibus hominibus moriendum esse:* attingit explicite S. Paulum, eum expresse nominando, & attingit implicite in termino *omnibus hominibus*: ergo a pari etiam potest eadem propositio attingere idem objectum clare, & confuse.

532. Prob. conclusio 3. Eadem propositio mentalis indivisibilis potest repræsentare totum id, quod aliqua pictura repræsentat: sed potest eadem pictura repræsentare idem objectum clare, & obscure: ergo id etiam potest propositio mentalis indivisibilis. ma. si negetur ex eo, quod pictura sit divisibilis, debebit etiam negari, quod propositio indivisibilis possit unum hominem totum repræsentare; quia etiam pictura unius hominis est divisibilis: hoc autem est contra omnes: & e contra omnes facile admittunt, quod eadem cognitio possit plures etiam distincte repræsentare.

Minor superior est certa; nam utique sæpissime fiunt tales picturæ, vel imagines, e. g. quæ repræsentant aliquam victoriam ex prælio relatam, in quibus in fronte, vel superiore parte clare, & distincte intra lauream coronidem pingitur militum ductor: simul pingitur confusa militum turma, addito numero, vel alio signo, quo, ut dein alia parte explicatur, designatur esse illa turma, cui immixtus etiam militum

ductor,

ductor, pugnaverit; in hac autem turma ductor iste tantum confuse, & obscure, ita, ut ab aliis militibus discerni non possit, depictus est: adeoque talis imago bis ductorem exercitus, semel clare, semel obscure, repræsentat.

533. Prob. conclusio 4. Si non manet universale in actuali prædicatione, tunc multa in Summulis, suppositа tanquam certa, fallunt: hoc non debet asseri: ergo. ma. prob. nam 1. nunquam genus ut tale prædicatur de specie, nec species ut talis de individuo: nec datur prædicatio categorica, sed tantum identica, idemque est, sive dicatur: *Animal est homo*: sive: *Homo est animal*; quia, sicut in propositione posteriore restringitur prædicatum a subjecto, ita in priore debet subjectum restringi a prædicato. 2. Ista propositio: *Petrus non est homo*: vel nullam habet contradictoriam mentalem, vel habet istam; *Petrus est hic homo*; nam alia mentalis contradictoria juxta adversarios esset impossibilis: hoc autem non est conforme regulis Summulisticis: ergo. Plura alia similia adducuntur ab aliis, ut passim videre est: nobis hactenus allata sufficiunt.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

534. OB. 1. Eadem propositio indivisibilis non potest idem objectum realiter discernere ab omni non ipso, & simul non discernere: sed juxta nos hoc deberet fieri: ergo. prob. mi. hæc propositio: *Petrus est homo*: discerneret Petrum ab omni non ipso ex parte subjecti, & simul non discerneret ab omni non ipso ex parte prædicati, realiter identificati cum subjecto: ergo. Resp. conc. ma. neg. mi. ad prob. neg. ant. in sensu reali acceptum; nam tam subjectum, quam prædicatum, realiter acceptum, Petrum discernit ab omni non ipso: attamen tam idem subjectum, quam prædicatum, Petrum simul confundit.

535. Dices 1. Non potest idem actus, seu eadem propositio mentalis, simul discernere, & confundere idem objectum: ergo. prob. ant. confundere est non

non discernere: ergo, si discernit, & confundit, tunc simul discernit, & non discernit: quæ sunt contradictoria. Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. confundere est non discernere, etiam realiter ullo modo. neg. antec. est non discernere formaliter eo modo, sive sub ea ratione, sub qua confundit. conc. ant. & dist. etiam conseq. tunc simul discernit, & non discernit realiter eodem modo. neg. conseq. non discernit formaliter eo modo, quo confundit: vel non discernit realiter alio modo, seu adhuc majore discretione. conc. conseq.

536. Sicut similitudo, & dissimilitudo, ita etiam confusio, & discretio, patitur magis, & minus; nam utique terminus *animal* est magis confusus, quam terminus *homo*: & hic magis discretivus, quam ille; quamvis sit minus discretivus, quam terminus *hic homo*, vel *Petrus*: idemque dicendum de propositionibus, in quibus hi termini prædicantur, & de quibus hic controvertitur. Rursus, sicut idem indivisibile ens, per eandem suam entitatem realiter acceptam, potest esse simile sub aliqua ratione formali, & dissimile sub alia ratione formali (de quo vide *a num* 397.) sic idem indivisibilis actus intellectus per eandem suam tendentiam realiter acceptam, potest esse sub aliqua ratione formali confusivus, & sub alia ratione formali discretivus.

Nec sunt ista contradictoria; quia tantum verificatur, quod idem realiter actus sit confusivus, & discretivus, non tamen omnimoda confusione, nec omnimoda discretione, sed tam confusione, quam discretione tantum imperfecta, quæ se mutuo non excludunt: sicut scilicet idem ens eidem alteri est simile, & dissimile, sed nec similitudine, nec dissimilitudine omnimoda, aut se mutuo excludente.

537. Dices 2. Saltem actus, confundens Petrum cum omnibus aliis hominibus, non potest esse actus, discernens Petrum ab omnibus aliis hominibus: sed juxta nos deberet esse talis: ergo. Resp. neg. maj. Hoc ipsum est, quod in prænotandis, & probationibus *a n.* 527. *& seq.* satis ostendimus, nempe posse eundem indivisibilem actum idem objectum, modo æquivalenter duplici, adeoque confuso, & discretivo, attingere, seu sub una formalitate illud confundere,

fundere, sub altera autem ipsum discernere. Interim in tali actu, sicut non est confusio omnimoda, ita nec discretio perfectissima; nam hic actus; *Petrus est hic homo*: magis adhuc discerneret, nempe æquivalenter his, seu sub gemina formalitate, tam subjecti, quam prædicati.

538. Dices 3. Hic actus: *Petrus est homo*: ex parte subjecti attingit ipsam individuationem Petri: ergo plene discernit Petrum. Resp. dist. conseq. ita tamen, ut adhuc plenius, vel perfectius possit discerni. conc. conseq. ita, ut non possit plenius, aut perfectius discerni. neg. conseq. Quidquid sit, an objectum jam individualiter discretum possit magis adhuc discerni, quasi extensive, seu a pluribus objectis, quod vix non negavimus *num.* 377. attamen potest adhuc magis discerni quasi intensive, seu discretione quasi intensiore, scilicet actu illo, qui objectum discernit modo æquivalenter duplici, qualis actus esset iste: *Petrus est hic homo*. Addo obiter, etiam in hac propositione: *Petrus, & Paulus; sunt homo*: posse eodem modo manere universale; quia, licet ex parte subjecti formaliter talis, non abstrahatur a pluralitate numerica, tamen abstrahitur ex parte prædicati formaliter talis, ut modo dictum de individuatione: aliud esset, si diceretur: *Petrus, & Paulus sunt homines*.

539. Dices 4. Juxta nos saltem idem actus esset clarus, & non clarus: hoc admitti non potest: ergo. Resp. dist. maj. esset clarus, & non clarus, excludendo claritatem illam, quam habet. neg. maj. excludendo claritatem aliam majorem, quam haberet alius actus, e. g. iste: *Petrus est hic homo*: conc. maj. & dist. sic min. neg. conseq. Scilicet actus est clarus, sed non clarior: & sic omnes cognitiones humanæ in via de quocumque objecto, etsi sint respectu nostri clarissimæ, tamen comparative ad cognitiones angelicas de eodem objecto, sunt obscuræ, seu minus claræ; quia, ut sæpe jam dictum, respectu ejusdem objecti potest dari cognitio clarior, & minus clara, sive in sensu modo explicato actus clarus, & non clarus.

Eodem modo responderi etiam potest, si objiciatur, quod juxta nos idem actus sit discretivus, & non discretivus,

tivus, confundens, & non confundens: scilicet non excluditur discretio, vel confusio, quæ actui inest, sed tantum alia major possibilis in alio actu. verbo: non excluditur ab hoc actu: *Petrus est homo*: discretio, sed additur ei, seu identificatur ei aliqua confusio, cum illa discretione compossibilis.

540. Dices 5. Ex dictis sequitur, quod actus: *Petrus est homo*: non sit clarior, quam terminus *homo*, per primam mentis operationem apprehensus: hoc est aperte falsum: ergo. Resp. neg. maj. nam ista apprehensio nullo modo habet claritatem, qua cognosceret simul individuationem, quam tamen simul cognoscit illa propositio; nec enim addita confusio, vel obscuritas, ex parte prædicati formaliter accepti, tollit claritatem, ex parte subjecti formaliter accepti, ut jam aliquoties dictum.

Dices 6. Apprehensio ista: *Petrus*: est ita clara, ut ratione suæ claritatis excludat omnem obscuritatem, vel confusionem: ergo etiam hic actus: *Petrus est homo*: est ita clarus, ut excludat omnem obscuritatem, vel confusionem. prob. conseq. hic actus ex dictis æquivalet illi apprehensioni: ergo. Resp. dist. ant. apprehensio illa est ita clara, ut excludat omnem confusionem ratione claritatis tantæ. neg. ant. ut istam excludat ratione claritatis talis. conc. ant. & neg. conseq. ad prob. dist. ant. æquivalet quoad claritatem tantam. conc. ant. quoad talem. neg. antec. & conseq. non enim apprehensio illa excludit omnem confusionem; quia est valde magna claritas, sed quia est talis, id est, a talibus speciebus producta, quæ non potuerunt ei tribuere aliud prædicatum: quæ ratio non pugnat pro actu illo: *Petrus est homo*.

541. Dices 7. Juxta dicta per hunc actum: *Petrus est homo*: aliquis sciret, quod Petrus sit hic homo, & simul id non sciret: hoc est falsum: ergo. Resp. neg. maj. nam utrumque non verificatur; si enim scire tantum significat, quomodocumque cognoscere, seu apprehendere, tunc falsum est alterum membrum, seu quod non sciret; nam confusio addita, vel identificata, non tollit priorem claritatem: sicut dissimilitudo e. g. inter hominem, & leonem, non tollit similitudinem omnem inter eosdem. Si autem

scire

fcire significat judicare, esse hunc hominem, tunc falsum est primum membrum; nam per hunc actum non judicatur, Petrum esse determinate unum, vel hunc hominem. Non tamen propterea habens talem actum potest dubitare, an Petrus non sit alius, vel multiplex homo: sed tantum ab hoc potest præscindere; nam dubitare esset positive dicere: *Forte non est unus, aut hic homo:* quem actum clara apprehensio Petri excludit.

Dices 8. Juxta nos sensus propositionis: *Petrus est homo:* esset hic: *Petrus, quem video, esse hunc hominem, est homo: sed qualis sit, nescio:* sed hic sensus est absurdus: ergo. Resp. neg. maj. Aliud est pure præscindere, aliud positive exprimere. Propositio objecta tantum abstrahit, ita, ut vi prædicati formaliter sumpti non cognoscatur, an Petrus sit hic, vel ille homo: hoc autem non est positive exprimere, vel dicere: *Nescio, qualis sit;* nam præcisio, vel abstractio, non æquivalet nescientiæ, & adhuc minus expressioni nescientiæ; alias etiam, quando quis diceret: *Petrus est hic homo:* sensus esset hic: *Petrus, quem video, est hic homo: sed, qualis ego sim homo, nescio;* nam per hanc propositionem aliquis omnino abstrahit a seipso.

542. Dices 9. Propositio: *Petrus est hic homo:* non facit universale: ergo nec propositio: *Petrus est homo.* prob. conseq. sicut in priore terminus *homo* restringitur a particula *hic*, ita in posteriore restringitur idem terminus *homo* a subjecto *Petrus:* ergo est par ratio. Resp. neg. conseq. ad prob. dist. antec. terminus *homo* restringitur a particula *hic* eodem modo, sicut a subjecto *Petrus.* neg. ant. restringitur diverso modo. conc. ant. & neg. conseq.

In prima propositione terminus *homo*, & particula *hic* coalescunt in unum terminum, nec supponunt prævias duas apprehensiones, quarum una dicat *hic*, & altera *homo*, quibus dein prædicatum *hic homo* quoad modum tendendi æquivaleat, & a quibus in idem prædicatum refundatur modus tendendi æquivalenter duplex, ratione cujus idem prædicatum appareat ut formaliter duo, & diversimode attingatur: at vero in secunda propositione *Petrus*, & *homo* non coalescunt in unum terminum: sed e con-

contra supponunt tales duas apprehensiones modo explicatas, adeoque non est par ratio.

Dices 10. Posset dici, quod in propositione: *Petrus est hic homo:* prædicatum supponat duas apprehensiones, quarum una dicat *hic*, altera *homo:* ergo fiet universale. Resp. 1. neg. ant. nam hoc saltem ordinarie non fieri, supponunt auctores, dum communiter dicunt, duas apprehensiones, unam subjecti, alteram prædicati, tantum esse prævias ad propositionem, non autem ad terminum: & certe, si terminus *hic homo* supponeret duas apprehensiones, easdem supponerent termini *omnis homo*, *aliquis homo:* deberetque talis terminus esse formaliter duplex, quod est inauditum.

Resp. 2. Si in casu extraordinario ille terminus *hic homo* supponeret duas apprehensiones, claram, & obscuram &c: posset fieri universale; unde pro tali casu om. totum: sicut e contra etiam omitto, possibilem esse propositionem, quæ supponat tantum unam apprehensionem complexam, repræsentantem subjectum, & prædicatum, ita, ut quasi coalescant in unum terminum: &, si eo casu subjectum sit singulare, etiam prædicatum erit singulare, nec fiet universale: & talem propositionem aliqui volunt esse hanc: *Ego sum homo:* in quo tamen nihil decido.

543. Objic. 2. Propositio: *Petrus est homo:* æquivalet propositioni formaliter disjunctivæ, non facienti universale: ergo etiam ipsa non facit universale. prob. conf. ideo facit universale; quia æquivalet apprehensioni prævix facienti universale: ergo etiam non facit universale; quia æquivalet propositioni non facienti universale. Resp. dist. ant. æquivalet propositioni formaliter disjunctivæ quoad modum verificandi. conc. ant. quoad modum repræsentandi. neg. ant. & conseq. ad prob. iterum dist. ant. quia æquivalet apprehensioni prævix quoad modum repræsentandi. conc. ant. quia ipsi æquivalet tantum quoad modum verificandi. neg. ant. & conseq.

Universalitas, aut non universalitas propositionum, non desumitur ex earum verificatione; nam quantum ad istam non differunt hæ propositiones: *Homo est animal rationale:* &: *Omnis homo est animal rationale:* & tamen etiam juxta adversarios

prior

prior facit universale, non vero posterior: verum universalitas, aut non universalitas desumitur ex repræsentatione, an scilicet propositio clarius, vel obscurius, discretius, vel confusius, exhibeat objectum. Ex occasione obiter noto, dicta in Summulis *num.* 33. & 34. de suppositione subjecti, & prædicati distributiva, aut disjunctiva, intelligenda esse de suppositione, non formaliter, sed æquivalenter tali, & quoad verificationem, non vero quoad modum repræsentandi.

544. Objic. 3. Juxta nostra principia dicendo: *Petrus est animal:* idem prædicaretur de Petro, quod prædicatur de equo, dicendo: *Equus est animal:* sed hoc est absurdum: ergo. Resp. dist. maj. hoc est, ex parte prædicati daretur idem objectum repræsentationis. conc. maj. daretur idem objectum verificationis. neg. maj. & dist. sic min. neg. conseq. In utraque propositione hac prædicantur omnia animalia prædicatione præcisiva, quatenus præscinditur, seu non discernitur, quænam pars subjectiva animalis præ alia conveniat Petro, aut equo: simul eadem prædicatio est non quidem formaliter, attamen æquivalenter disjunctiva, quatenus tantum in uno exigit verificari; unde objectum repræsentationis in utraque propositione est idem: at diversum est objectum verificationis; nam prima propositio verificatur per animal rationale, altera per animal hinnibile.

545. Objic. 4. Sicut se habet divisibilitas ligni, e. g. bipalmaris, in duos palmos ad actualem divisionem, ita se habet prædicabilitas universalis ad actualem prædicationem: sed illa divisibilitas ligni tollitur per actualem divisionem: ergo etiam tollitur prædicabilitas universalis per actualem prædicationem. Resp. neg. maj. Divisibilitas ligni involvit unionem continuativam duorum palmorum, quæ manifeste destruitur per divisionem: at prædicabilitas universalis nihil involvit præter multiplicitatem, atque unitatem naturæ, quarum neutra destruitur per prædicationem.

Dices. Universalitas naturæ in statu reali tollitur per additam singularitatem realem: ergo universalitas prædicati in statu intentionali tollitur per additam singularitatem intentionalem subjecti.

Resp. 1.

Resp. 1. neg. suppositum antecedentis; non enim datur universalitas naturæ in statu reali, adeoque neque tollitur per singularitatem; tolli enim non potest, quod prius non fuit. Resp. 2. neg. conseq. Si daretur universalitas naturæ in statu reali, & tolleretur per singularitatem, deberet illa universalitas involvere negationem singularitatis, quæ tolleretur per additionem singularitatis: nihil autem involvit prædicabilitas universalis, quod tollatur per actualem prædicationem.

546. Objic. 5. Si universale potest manere in actuali prædicatione, poterit etiam de Petro prædicari universale: sed hoc est falsum: ergo. prob. min. non potest dici: *Petrus est universale: Petrus est species &c.* ergo non potest de Petro prædicari universale. Resp. dist. maj. poterit de Petro prædicari universale directe, & exercite, vel etiam primo intentionaliter sumptum. conc. maj. universale reflexe, & signate, vel secundo intentionaliter sumptum. neg. maj. & dist. sic min. neg. conseq. ad prob. conc. ant. & sub priori distinctione conc. vel neg. conseq. Universale directe, seu exercite, aut primo intentionaliter sumptum, nihil est aliud, quam natura e. g. humana multiplex a parte rei, quæ prædicatur præcisive de Petro, quando dicitur: *Petrus est homo:* universale autem reflexe, seu signate, aut secundo intentionaliter sumptum, est complexum ex natura multiplici, & cognitione confusa, quod complexum non potest prædicari de Petro.

547. Ubi noto 1. ex de Benedictis *l.* 2. *Log. qu.* 1. *cap.* 9. quod concreta ista, sive termini isti secundo intentionales *universale, species &c.* non possint tantum materialiter, specificative, aut denominative prædicari, id est, ita, ut tantum subjectum concreti veniat in recto: sed debeant semper prædicari formaliter, seu quasi reduplicative, ita, ut etiam forma, nempe cognitio confusa, veniat in recto; unde non possunt prædicari de illo, cui non identificatur cognitio; quare, cum Petro cognitio non identificetur, non potest dici: *Petrus est universale.*

Noto 2. quod hi termini secundo intentionales *universale, species &c.* prædicati, seu affirmati de termino primo intentionali, reddant etiam istum secundo

cundo intentionalem, ita, ut fiat prædicatio formalis, & suppositio simplex, quæ non patitur descensum; hinc mala est illatio: *Homo est universale: ergo etiam Petrus est universale;* quia in hac propositione terminus *homo* significat idem, ac *homo confuse cognitus*, seu *sumptus una cum cognitione confusa*. Et hæc habentur ex communi authoritate, & usu, qui in quæstionibus de nomine valet præ omni ratione.

548. Dices 1. Ergo Petrus cum cognitione confusa erit universale. Resp. neg. suppositum. Cognitio, quæ dicit *Petrus*, non est confusa, prout requiritur ad universale; quia non abstrahit a singularitate, unde propositio: *Petrus est homo:* non facit universale, quatenus dicit *Petrus*, sed quatenus dicit *Homo*. Neque hæc propositio est secundo intentionalis, sed primo intentionalis juxta communissimam authoritatem: neque habet pro objecto cognitionem, sed humanitatem, quam humanitatem ipsa propositio confuse cognoscit: e contra terminus *universale* habet pro objecto præter rem, seu naturam multiplicem, etiam aliquam cognitionem, quam ipse reflexe cognoscit.

Dices 2. Ergo saltem poterit dici: *Petrus est universale exercite sumptum*. Resp. neg. illatum; quia hæc est nova reflexio, atque adeo per multiplicatas reflexiones prædicatur de Petro cognitio prædicatione formali, seu in recto, quod nequit fieri cum veritate: verbo: hi termini *universale*, *species*, & similes juxta communem non possunt prædicari, nisi prædicatione formali, in qua eorum forma, nempe cognitio confusa, veniat in recto, adeoque identificetur cum subjecto, de quo prædicatur: atqui cognitio confusa, quæ tanquam forma constituit universale, nulla ratione potest identificari Petro: ergo.

ARTICULUS VII.

A quibus, & per quos Actus possit fieri Universale.

549. Dico 1. Deus, seu intellectus divinus, non potest facere universale. ita auctores communiter contra unum, aut alterum recentiorem. Prob. conclusio. Cognoscere rem non omni eo modo, quo

quo a parte rei in se est, seu cognoscere eam non discernendo clare ab omnibus aliis, sed confundendo cum pluribus, est rem cognoscere, non clarissime, & perfectissime, aut comprehensive, sed obscure, confuse, & imperfecte, seu inadæquate: atqui facere universale est cognoscere rem non omni modo, quo a parte rei est, sive eam non clare discernere, sed confundere cum pluribus: ergo est cognoscere rem non perfectissime, aut comprehensive, sed obscure, confuse, & imperfecte, seu inadæquate: cognoscere autem rem non clarissime, vel non perfectissime, sed confuse, imperfecte &c. repugnat Deo: ergo etiam eidem repugnat facere universale.

550. Major videtur innegabilis; quid enim est confuse cognoscere, quam non discernere ab aliis? quid non clarissime cognoscere, quam non omni claritate cognoscere? qua utique non cognoscitur objectum, quod non tam clare cognoscitur, ut ab aliis discernatur: certe animal rationale a longe cognitum, ita, ut non discernatur ab irrationalibus, juxta omnes cognoscitur confuse, & obscure: quid tandem est rem imperfecte, & inadæquate cognoscere, quam ita cognoscere, ut non plene repræsentetur essentia rei, seu, ut non habeatur plena, adæquata, perfecta, & comprehensiva cognitio objecti, prout hoc a parte rei datur? Minor superior est clara omnibus, qui tenent nostram sententiam de universali, quam in ordine ad hanc quæstionem supponimus (nam utique Deus posset facere universale, admisso universali Scotistico) certe cognitio faciens universale necessario est confusa, præcisiva, inadæquata &c. Subsumptum iterum videtur innegabile: ergo.

551. Dices forte, cognitionem divinam tamen realiter esse perfectissimam, & clarissimam; eo quod modo tendendi confuso, & non discretivo, realiter identificatus sit alter modus tendendi clarissimus, & comprehensivus, ac perfectissime discretivus &c. fere sicut in propositione faciente universale: *Petrus est homo*: modo tendendi confuso, ex parte prædicati formaliter talis, identificatus est modus tendendi clarus, & discretivus, ex parte subjecti formaliter talis.

Sed contra est. Cognitio divina non potest præter infinitam perfectionem involvere aliquid positive imperfectum: atqui confuse, præcisive, imperfecte, aut inadæquate cognoscere objectum, dum perfecte est cognoscibile, est aliquid positive imperfectum: ergo. maj. est omnibus certa. min. prob. imprimis ex communi hac de re sensu: certe omnes judicant, ideo nostras cognitiones esse positive imperfectas, eo quod istas, vel similes imperfectiones involvant.

552. Probatur eadem minor ex eo quoque, quod alias etiam posset admitti in cognitione divina discursus formalis, probabilitas, formidolositas, prima mentis apprehensio &c. nam etiam posset dici, quod cum istis simul detur in illa cognitione judicium immediatum, evidentia, certitudo, ac firmitas infinita &c. hæc tamen posse in cognitione divina componi, nemo admittit. Quod spectat ad illam propositionem: *Petrus est homo*: utique est imperfecta, atque etiam Deo repugnans, hoc ipso, quod præter claritatem habeat quoque obscuritatem, quam non habet hæc propositio perfectior, & Deo possibilis: *Petrus est hic homo*.

Nec dicas, a Theologis quibusdam defendi, scientiam simplicis intelligentiæ non cognoscere, nisi possibilia, & scientiam mediam non cognoscere, nisi conditionate futura; nam hæc tantum dicuntur de istis scientiis formaliter, aut virtualiter, non autem de ipsis realiter sumptis; quippe istæ scientiæ, atque etiam scientia visionis, realiter inter se identificantur, & abstractio tantum se tenet ex parte nostri intellectus, eas scientias imperfecte cognoscentis: præterquam quod objecta in signo scientiæ simplicis intelligentiæ, atque mediæ, non aliter cognoscibilia sint (quæ ulterius discutienda merito Theologis relinquimus) at nostro in casu objecta perfectius, quam tantum confuse, aut præcisive, cognoscibilia sunt.

553. Dico 2. Angeli, & homines, seu intellectus angelicus, & humanus, possunt facere universale. ita communis. Prob. conclus. Imprimis de hominibus est res clara ab experientia, qua experimur, nos sæpe res tantum confuse, præcisive, & in communi cognoscere, adeoque facere universale. Prob. itaque de Angelis. Angeli multa non cognoscunt clare, & individualiter: ergo possunt ea cognoscere confuse, & in communi, seu universaliter, adeoque facere universale circa multa. ant. prob. Angeli non cognoscunt clare plurima possibilia, futura contingentia, cordium secreta, supernaturalia &c. ergo.

554. Dico 3. Universale potest fieri per quamlibet ex tribus mentis operationibus. ita communis: & quoad duas mentis operationes, primam, & secundam, conclusio jam probata est supra *num.* 523. & *seq.* atque ex iisdem rationibus idem etiam facile probatur de tertia mentis operatione, sive discursu; quia conclusio, quoad modum tendendi confusum, & præcisivum, proportionatur præmissis: quare, si in his fit universale, etiam fiet in conclusione, sive discursu.

555. Dico 4. Universale stricte dictum non potest fieri per actum voluntatis. ita communius auctores. Prob. Universale, vel saltem unitas ejus, debet esse ens rationis, seu talis terminus, qui possit pro suo objecto supponere in ordine ad prædicationem; quia universale debet esse prædicabile: hoc autem convenit soli actui intellectus, seu cognitioni, cui tanquam imagini, & signo formali tribuimus prædicata, quæ rebus ipsis conveniunt: non autem convenit actui voluntatis, e. g. amori, qui non potest supponere pro suo objecto: ergo. Hoc quidem verum est, quod actus voluntatis possit ferri in naturam in communi, e. g. amare medicinam in communi, pecunias in communi &c. at, ut ex modo dictis colligitur, hoc non sufficit ad universale, nisi fiat quæstio de voce, de qua non esset operæ pretium pluribus litigare.

556. Dico 5. Per actus sensuum, aut phantasiæ, non potest fieri universale, saltem strictissime scientificum. ita S. Thomas, & alii plures citati ab Augustino Laurentio *tract. 1. Log. disp. 5. num. 31.* Prob. Neque actus sensuum externorum, neque actus sensus interni, seu phantasiæ, possunt perfecte præscindere ab accidentibus particularibus loci, temporis, figuræ, coloris &c. ergo non possunt facere universale

sale saltem strictissime scientificum *ex num.* 510. prob. ant. sensus internus, & externi, sunt potentiæ tantum materiales : ergo etiam eorum modus cognoscendi, qui sequitur modum essendi, est materialis, adeoque non potest abstrahere a materia, certis accidentibus loci, temporis &c. signata.

557. Confirm. Habetur ab experientia, quod, quando videmus aliquid, id videamus in aliquo loco, habens aliquam magnitudinem, colorem &c. & par est ratio de aliis sensibus externis; nam etiam audiendo vocem percipimus eam esse gravem, vel acutam, ex hoc, vel illo loco provenientem &c. quin etiam, quando in somno phantasia aliquid nobis per imaginationem præsentat, id exhibet in aliquo loco, magnum, vel parvum, aliquo colore affectum &c. & huic nostræ phantasiæ, seu sensui interno, etiam similis quoad hoc est sensus internus brutorum : ergo actus sensuum non præscindunt a circumstantiis &c. adeoque non faciunt universale strictissime scientificum.

Si autem sumatur universale minus stricte, atque per illud intelligatur tantum cognitio aliquorum individuorum obscura, & non discretiva eorum individuorum inter se, possunt sensus externi, & multo magis internus, facere tale universale; nam potest e. g. oculus a longe videre tabulam, decem diversis coloribus pictam, sed ita confuse, ut nullum colorem ab altero discernat : potest auris audire plurium simul cantantium voces, quin unam discernat ab altera &c. & multo magis potest talem tabulam, vel talem cantum, confuse repræsentare phantasia.

558. Dico 6. Per voces non potest fieri universale scientificum, primario a Logica considerabile. ita sentire debent omnes auctores, qui nobiscum tenent, objectum Logicæ saltem primarium non esse voces. Prob. Si voces non considerantur primario a Logica, sed conceptus, tunc etiam prædicabilitas vocum non consideratur primario, sed prædicabilitas conceptuum : sed, si prædicabilitas vocum non consideratur primario, tunc neque primario consideratur universale, ex ea prædicabilitate constitutum : ergo.

Quia

Quia tamen voces non sunt tantum qualecumque signum instrumentale ad placitum, sed signum in propositione vocali supponens pro re significata, itemque signum prædicabile, potest mea pace dici, per voces fieri posse universale secundario considerabile a Logica; neque tamen propterea ramus appensus cellæ vinariæ faciet universale cum vino; quia nec est signum supponens in propositione aliqua pro vino, neque est ipse prædicabilis de vino &c. Sed de his satis.

ARTICULUS VIII.

Solvuntur Objectiones.

559. OBjic. 1. contra 1. conclusionem. Deus cognoscit nostras cognitiones, quæ faciunt universale : ergo etiam ipse facit universale. prob. conseq. in istis nostris cognitionibus Deus cognoscit naturam communem confuse : ergo facit universale. prob. ant. Deus cognoscit naturam, prout repræsentatur ab illis cognitionibus : sed ab iis repræsentatur confuse : ergo. Hæc objectio non distinguit inter se *cognoscere in alio*, & *cognoscere ad modum alterius* : quæ bene distinguit Martinez *de Deo scient. controv.* 2. *disp.* 6. *sect.* 1. & 3. nam *in alio cognoscere* est tantum cognoscere aliquid in medio, habente connexionem, vel ordinem ad illud : & sic Deus in nostris cognitionibus cognoscit earum objecta : at vero *cognoscere ad modum alterius* est cognoscere conformando suam cognitionem illi alteri, seu eo modo cognoscere, quo illud cognoscit, vel repræsentat. At sic Deus non cognoscit objecta in nostris cognitionibus; alias deberet etiam in nostris cognitionibus falsis objecta cognoscere falso, quod nemo potest admittere.

560. Sic etiam venatores, in impresso pulveri, vel nivi vestigio feræ, cognoscunt feram, e. g. cervam : sed non eam cognoscunt ad modum vestigii : sic quoque in imagine, etiam pessime, & inepte repræsentante Cæsarem, cognoscit quis Cæsarem, quem alias vidit : at non cognoscit eum ad modum talis imaginis : sed cognoscit imaginem esse male factam,

& simul producit in se ratione specierum aliarum, quas de Cæsare habet, cognitionem hujus multo meliorem: & ista imago inepta ei tantum servit ad excitandas species meliores, quas aliunde de Cæsare habet.

Et sic etiam Deus, cognoscendo nostras confusas, & imperfectas cognitiones, e. g. de natura humana, determinatur quidem ad cognoscendam etiam naturam humanam, verum non ad eam cognoscendam confuse, aut ad modum repræsentationis, cum cognitione confusa identificatæ, sed clarissime & ad modum repræsentationis infinite perfectæ, quam habet in divina scientia, vel intellectu: simul etiam Deus cognoscit, nostras cognitiones esse malas, & imperfectas repræsentationes. In forma neg. conseq. ad prob. neg. ant. ad hujus prob. neg. ma.

561. Dices. Cognitio divina est veluti speculum: sed istud repræsentat objectum ita, prout ei objicitur: ergo etiam cognitio divina. Resp. conc. totum: sed objectum cognitionis divinæ in isto casu est nostra cognitio confusa, & imperfecta, quam cognitio divina clarissime in se repræsentat talem qualis est: at per hoc non facit universale, ut patet: objectum autem hujus cognitionis confusæ cognitio divina quidem cognoscit in cognitione nostra modo explicato *n.* 559. & 560. at id non cognoscit ad modum nostræ cognitionis: certe si etiam in speculo videam vestigium feræ, vel imaginem Cæsaris male formatam, non propterea cognosco, etiam tantum præcisive, feram tanquam vestigium, vel Cæsarem talem, qualem eum repræsentat imago male facta.

562. Ob. 2. contra 5. conclusionem. Possunt per actus sensuum externorum attingi objecta confuse, & quando non sunt, & ubi non sunt: ergo possunt perfecte confundi, abstrahendo a circumstantiis loci, & temporis: ergo possunt cognosci stricte universaliter. prob. ant. sæpe, quando videtur aliquod objectum a longe, non discernitur, quo colore sit affectum: adeoque videntur omnes colores existentes, & non existentes: vel certe, quando objectum videtur album, non discernitur albedo in individuo, sed confunduntur omnes albedines existentes, & non existentes, ut vult Hurtadus *disp.* 5. *Metaph. sec.* 12. item sæpe

sæpe videtur sol existens supra horizontem, quando adhuc infra eum existit: rursus, quando gyratur ignis, e. g. funis igniarius, videtur ignis in toto circulo, cum tamen tantum sit in exiguo ejus spatio: adeoque videntur objecta, ubi non sunt: ergo.

563. Resp. neg. ant. hæc enim opinio Hurtadi est singularis contra communem aliorum; nam juxta communissimam, sensationes, etiam obscuræ, ac debiles, tamen sunt cognitiones intuitivæ, & fiunt vel per species proprias ab objecto emissas, vel certe per ipsum objectum immediate applicatum: adeoque non possunt elici circa objecta non existentia; itaque ad prob. neg. ant. nam imprimis videtur obscure ille color, qui est in objecto, de quo plura Physici, quando de coloribus; dein ipse sol videtur supra horizontem, sed per refractionem, suo modo, sicut objectum, ex. gr. nummus, qui prius ob certum situm non videbatur in aliquo vase, tamen potest fieri visibilis infusa aqua: ignis etiam in fune igniario ipsemet emittit lumen, vel species, quæ videntur, quidquid sit de modo, quo conservantur, quem explicare non spectat ad Logicum: quamvis forte in hoc casu sola decipiatur phantasia, dum ob celeritatem motus funis, & visionum sibi succedentium, putat adhuc videri ignem ibi, ubi non amplius videtur. vide de hac experientia *num.* 201. *Phys. univers.*

QUÆSTIO SECUNDA.

De Universalibus in Specie.

ARTICULUS I.

Quid sit Genus, & quomodo definiatur.

564. DIximus supra *n.* 479. quod quinque communiter cum Porphyrio assignari soleant universalia, nempe *genus*, *species*, *differentia*, *proprium*, & *accidens*: & hic numerus, seu divisio, etiam communiter ex eodem Porhyrio hac ratione probatur. Tot statui debent universalia, quot modis aliquid est prædicabile: sed quinque modis aliquid est prædica-

& simul producit in se ratione specierum aliarum, quas de Cæsare habet, cognitionem hujus multo meliorem: & ista imago inepta ei tantum servit ad excitandas species meliores, quas aliunde de Cæsare habet.

Et sic etiam Deus, cognoscendo nostras confusas, & imperfectas cognitiones, e. g. de natura humana, determinatur quidem ad cognoscendam etiam naturam humanam, verum non ad eam cognoscendam confuse, aut ad modum repræsentationis, cum cognitione confusa identificatæ, sed clarissime & ad modum repræsentationis infinite perfectæ, quam habet in divina scientia, vel intellectu: simul etiam Deus cognoscit, nostras cognitiones esse malas, & imperfectas repræsentationes. In forma neg. conseq. ad prob. neg. ant. ad hujus prob. neg. ma.

561. Dices. Cognitio divina est veluti speculum: sed istud repræsentat objectum ita, prout ei objicitur: ergo etiam cognitio divina. Resp. conc. totum: sed objectum cognitionis divinæ in isto casu est nostra cognitio confusa, & imperfecta, quam cognitio divina clarissime in se repræsentat talem qualis est: at per hoc non facit universale, ut patet: objectum autem hujus cognitionis confusæ cognitio divina quidem cognoscit in cognitione nostra modo explicato *n.* 559. & 560. at id non cognoscit ad modum nostræ cognitionis: certe si etiam in speculo videam vestigium feræ, vel imaginem Cæsaris male formatam, non propterea cognosco, etiam tantum præcisive, feram tanquam vestigium, vel Cæsarem talem, qualem eum repræsentat imago male facta.

562. Ob. 2. contra 5. conclusionem. Possunt per actus sensuum externorum attingi objecta confuse, & quando non sunt, & ubi non sunt: ergo possunt perfecte confundi, abstrahendo a circumstantiis loci, & temporis: ergo possunt cognosci stricte universaliter. prob. ant. sæpe, quando videtur aliquod objectum a longe, non discernitur, quo colore sit affectum: adeoque videntur omnes colores existentes, & non existentes: vel certe, quando objectum videtur album, non discernitur albedo in individuo, sed confunduntur omnes albedines existentes, & non existentes, ut vult Hurtadus *disp.* 5. *Metaph. sec.* 12. item sæpe

sæpe videtur sol existens supra horizontem, quando adhuc infra eum existit: rursus, quando gyratur ignis, e. g. funis igniarius, videtur ignis in toto circulo, cum tamen tantum sit in exiguo ejus spatio: adeoque videntur objecta, ubi non sunt: ergo.

563. Resp. neg. ant. hæc enim opinio Hurtadi est singularis contra communem aliorum; nam juxta communissimam, sensationes, etiam obscuræ, ac debiles, tamen sunt cognitiones intuitivæ, & fiunt vel per species proprias ab objecto emissas, vel certe per ipsum objectum immediate applicatum: adeoque non possunt elici circa objecta non existentia; itaque ad prob. neg. ant. nam imprimis videtur obscure ille color, qui est in objecto, de quo plura Physici, quando de coloribus; dein ipse sol videtur supra horizontem, sed per refractionem, suo modo, sicut objectum, ex. gr. nummus, qui prius ob certum situm non videbatur in aliquo vase, tamen potest fieri visibilis infusa aqua: ignis etiam in fune igniario ipsemet emittit lumen, vel species, quæ videntur, quidquid sit de modo, quo conservantur, quem explicare non spectat ad Logicum: quamvis forte in hoc casu sola decipiatur phantasia, dum ob celeritatem motus funis, & visionum sibi succedentium, putat adhuc videri ignem ibi, ubi non amplius videtur. vide de hac experientia *num.* 201. *Phys. univers.*

QUÆSTIO SECUNDA.

De Universalibus in Specie.

ARTICULUS I.

Quid sit Genus, & quomodo definiatur.

564. DIximus supra *n.* 479. quod quinque communiter cum Porphyrio assignari soleant universalia, nempe *genus*, *species*, *differentia*, *proprium*, & *accidens*: & hic numerus, seu divisio, etiam communiter ex eodem Porhyrio hac ratione probatur. Tot statui debent universalia, quot modis aliquid est prædicabile: sed quinque modis aliquid est prædica-

bile: ergo. prob. mm. aliquid, vel prædicatur essentialiter, vel accidentaliter: si essentialiter, tunc vel prædicatur ut pars essentiæ latius patens, materialis, seu determinabilis per compartem: & est *genus*: vel prædicatur ut pars minus late patens, formalis, seu determinativa: & est *differentia*: vel prædicatur ut tota essentia: & est *species*. Si autem prædicatur aliquid accidentaliter: tunc vel prædicatur ut convertibile cum essentia: & est *proprium*: vel prædicatur ut non convertibile: & est *accidens*.

565. Quibus voluptas est, in omni scirpo nodos quærere, ii hanc divisionem impugnant 1. quod non fiat in membra immediata, & pauciſſima; cum posset dividi immediatius universale, seu prædicabile, in prædicabile essentialiter, & prædicabile accidentaliter. Sed ad has minutias sæpe non attenditur etiam ideo, ut evitentur plures subdivisiones: & quare non etiam rejicitur divisio globi terrestris in quatuor partes; cum etiam potuisset immediatius dividi in hemisphærium arcticum, & antarcticum?

Impugnant 2. quod inter hæc quinque non numerentur definitio, & individuum; cum tamen etiam sint prædicabilia. Sed respondetur, definitionem facile reduci ad speciem: individuum autem, si tamen sit univoce prædicabile de pluribus, de quo infra *num.* 603. posse reduci ad genus, vel, si hoc non placeat, posse dici cum Suarez *tom.* 1. *Metaph. disp.* 6. *sect.* 8. *num.* 14. quod *individuum*, utpote terminus transcendentalis, sit super omnia universalia. Res non est magni momenti.

566. Jam per *Genus*, de quo hic agitur, non intelligitur stemma familiæ, nec natio quædam: sed intelligitur universale: & recte definitur a Porphyrio *cap.* 2. *Quod de pluribus, & differentibus specie, in eo, quod quid est, prædicatur*. Brevius definiri potest: *Prædicabile in quid incomplete de pluribus specie differentibus*. Esse autem *prædicabile in quid* est esse prædicatum, quod datur pro responsione ei, qui interrogat, quid res sit: e. g. si quis quærat, quid sit homo, incomplete respondetur, esse animal: complete vero esse animal rationale; unde ista prædicata sunt prædicabilia in quid, seu, quod idem est, essentialiter. Et sic genus, seu prædicatum generi-

cum, debet esse *prædicabile in quid*, sed *incomplete*, hoc est, non ut tota essentia, sed ut pars ejus metaphysica: per quod differt a specie.

Ut autem etiam discrimen sit inter genus, ac differentiam, debet genus insuper esse prædicabile de pluribus specie differentibus, quod non convenit differentiæ, imo nec speciei: sic e. g. *animal*, quod est genus, est prædicabile de rationali, rugibili, hinnibili &c. non ita prædicabile est *rationale*, quod est differentia. Et hæc definitio generis est receptissima, adeoque ab auctoritate plurimum commendabilis: insuper convenit omni, & soli, ac est clarior suo definito: consequenter habet omnes dotes bonæ definitioni necessarias.

567. De divisione generis quæ necessario sciri debent, paucis dicemus *num.* 570. hic autem dico ex occasione, varie etiam dividi *prædicata essentialia*; alia enim dicuntur prædicata *essentialia metaphysice constitutive talia*: & sunt sola illa, quæ constituunt metaphysicam rei essentiam, seu definitionem: talia respectu hominis sunt *animal*, & *rationale*. Alia dicuntur *essentialia metaphysice connexive talia*: & sunt illa, quæ realiter quidem identificantur cum re, at non sunt constitutiva definitionis: talia respectu hominis sunt *risibile*, *flebile &c.* Alia prædicata dicuntur *physice constitutive essentialia*: & sunt omnia illa, quæ physice rem constituunt, atque cum ipsa realiter identificantur; hinc tam metaphysice constitutive, quam connexive essentialia sunt physice constitutive essentialia, ut in homine *animal*, *rationale*, *risibile*, *vivens &c.* quia hæc omnia physice homini identificantur. Alia dicuntur *physice connexive essentialia*, suntque illa, quæ rei non quidem identificantur, sed tamen indispensabiliter ab ea exiguntur, ita, ut essentia rei sine illis dari non possit: sic modis essentialia sunt modificata, e. g. unioni hominis corpus, & anima. Aliqui addunt etiam prædicata *essentialia in consideratione scientiarum*, quæ sunt omnia essentialia, exceptis individualibus, & individualium respectivis, de quare fors plura infra *num.* 638.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

568. OB. 1. contra definitionem generis. Non potest dari legitima definitio generis: ergo etiam a nobis allata non est legitima. prob. ant. definitionem generis necessario debet ingredi definitum: sed hoc est contra leges bonæ definitionis *ex n.* 59. ergo definitio generis non potest esse legitima. prob. ma. in omni definitione debet poni genus: ergo etiam in definitione generis: ergo genus debet ingredi definitionem generis: sed genus est definitum: ergo definitum debet ingredi definitionem.

Resp. neg. ant. ad prob. dist. ma. definitionem generis objectivam debet ingredi definitum objectivum. conc. ma. definitionem formalem debet ingredi definitum formale, sive hic ipse conceptus formalis, qui exprimitur per vocem *genus*. neg. ma. & dist. proportionaliter mi. neg. conseq. ad prob. dist. ant. debet poni genus, id est, poni iste conceptus formalis, qui exprimitur per vocem *genus*. neg. ant. aliquod objectum hujus conceptus. conc. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. utramque conseq. dein conc. subsumptum: at neg. ultimam consequentiam, intellectam de definito formali, prout ea in hac objectione debet intelligi.

569. Quid sit definitio formalis, & objectiva, item, quid sit definitum formale, & objectivum, diximus in Summulis *n.* 56. & 57. Jam definitum objectivum ingredi realiter definitionem objectivam, aliud non est, quam objectum definiti formalis esse idem cum objecto definitionis formalis: quod non tantum non est absurdum, sed necessarium: at vero definitum formale ingredi definitionem formalem, esset e. g. si in definitione generis poneretur hic ipse terminus *genus*: quod utique non legitime fieret; quia explicaret idem per idem, & obscurum per obscurum: at non ponitur in definitione generis hic terminus *genus*, sed alii diversi.

Hoc quidem verum est, quod genus formale, in definitione generis positum, sive hic terminus *prædicabile*, per hanc ipsam definitionem etiam definiatur (nam hic terminus etiam est genus, & omne genus definitur) adeoque definiatur partialiter per seipsum, sitque objectum saltem partiale sui ipsius in seipsum reflexi: sed in hoc nihil est absurdi, ut jam ostensum est *n.* 62.

570. Ob. 2. Si genus potest definiri, tunc genus est species: sed hoc est impossibile; ergo. prob. ma. quidquid definitur, debet habere genus, & differentiam: sed, quod habet genus, & differentiam, est species: ergo. Resp. dist. ma. genus est species respectu sui generis, sive termini *prædicabile*. conc. ma. est species respectu aliorum generum, e. g. respectu terminorum *animal*, *planta*, *corpus &c.* neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. conc. totum juxta distinctionem modo datam. Non est absurdum, quod aliquid, quod est genus respectu unius, sit species respectu alterius.

Sic *animal* est genus relate ad *rationale*, & est species subalterna relate ad *vivens*: item *vivens* est genus relate ad *animal*, & est species subalterna relate ad *corpus*. Nempe in qualibet linea prædicamentali datur *genus suprenum*, e. g. *substantia*: sub quo genere sunt alia genera minus universalia eaque etiam dici possunt *genera subalterna*, e. g. *corpus*, *vivens*, *animal*: ex quibus, e. g. *corpus* vocatur etiam *species suprema*: reliqua *vivens*, *animal* vocantur etiam *species subalterna*, donec deveniatur ad terminum *homo*, qui est *species infima*, sicut *animal* est *genus infimum*; quia scilicet homo non habet infra se aliam speciem, nec animal aliud genus.

571. Ob. 3. Juxta nos terminus, seu conceptus *prædicabile*, esset superior genere; quia esset genus in definitione generis: & simul esset terminus inferior genere; quia esset aliquod genus particulare, seu terminus, aut conceptus particularis, contentus in termino, seu conceptu universali *genus*: ergo idem conceptus esset respectu ejusdem superior, & inferior: hoc est implicatorium: ergo. Resp. dist. conseq. idem conceptus esset superior, & inferior sub eadem consideratione, vel acceptione. neg. conseq. sub diversa consideratione, vel acceptione. conc.

conseq. dein dist. eodem modo subsumptum, ac neg. ultim. conseq.

572. Eadem res, ut dictum *num.* 365. potest ratione diversarum cognitionum recipere diversas denominationes: e. g. idem Petrus potest modo ab aliqua cognitione denominari *animal*, modo ab alia *rationale*: ex quo sequitur, quod etiam eadem res ratione diversarum cognitionum possit dici, modo latius, modo minus late patere, vel (quod idem significat) modo esse superior, modo inferior; si enim e. g. Petrus accipiat denominationem a cognitione, vel conceptu, eum cum pluribus confundente, e. g. a conceptu generico *animal*, dicetur latius patere, vel esse superior: si autem accipiat denominationem a conceptu eum cum paucioribus confundente, e. g. a conceptu specifico *rationale*, dicetur minus late patere, vel esse inferior; quia scilicet rationale minus late patet, quam animal, estque tantum pars subjectiva animalis, tanquam totius potentialis, seu est terminus particularis, & inferior respectu animalis, termini universalis, & superioris.

573. Quod autem modo ostensum est in exemplo termini primo intentionalis, idem similiter contingit in terminis secundo intentionalibus: & sic etiam terminus *genus* pro diversitate cognitionum, aut conceptuum, seu novarum in ipsum reflexionum, accipit diversas denominationes, & modo latius, modo minus late patet, modo superior, modo inferior est; si enim genus cognoscatur, seu concipiatur tanquam particulare, aut speciale prædicabile, seu tanquam pars subjectiva termini *prædicabile ut sic* tanquam totius potentialis, continentis sub se omnia prædicabilia particularia: sive, si genus consideretur, tanquam terminus particularis, & inferior respectu prædicabilis, tanquam termini universalis, & superioris, tunc genus dicitur minus late patere, & esse inferius.

574. At vero, si genus consideretur ut terminus universalis, seu ut aliquod totum potentiale, continens sub se omnia genera particularia (inter quæ etiam est prædicabile, tanquam genus particulare quinque universalium) adeoque continens sub se termi-

terminum prædicabilem, tanquam partem subjectivam, & terminum particularem, atque inferiorem, tunc dicetur genus latius patere, & esse superius; unde non verificatur, idem esse superius, & inferius sub eadem, sed tantum sub diversa consideratione: in quo tam parum est implicantia, quam parum in eo, quod Carolus VI. consideratus ut imperator, sit formaliter superior se ipso, consideratus ut comite Tyroli: & consideratus ut comes sit inferior seipso, consideratus ut imperatore.

575. Dices. In hoc actu: *Omne genus est prædicabile in quid incompletè de pluribus specie differentibus:* genus est superius, & inferius: atqui hoc implicat: ergo. prob. maj. imprimis genus est superius, tanquam terminus universalis, sub quo tanquam particulare genus etiam prædicabile est contentum: dein etiam est inferius; quia in hoc actu prædicabile est genus respectu generis tanquam definiti: genus autem semper est superius definito; quia hoc est aliqua species: ergo. Resp. neg. min. Hic actus est æquivalenter duplex, & æquivalenter duplici modo denominat genus, nempe alio modo ratione subjecti formaliter sumpti, alio modo ratione prædicati formaliter sumpti: ratione prioris denominat genus superius, ratione posterioris denominat inferius; sicut scilicet hic actus: *Petrus est homo*: ipsum denominat discretum ab aliis, & confusum cum aliis, clare cognitum, & confuse cognitum: in quo nulla est contradictio *ex num.* 535. *& seq.*

576. Objic. 4. In hac definitione generis, vel definitur natura multiplex sola: vel definitur una cum cognitione: neutrum potest dici: ergo. prob. min. non potest dici primum; quia natura multiplex se sola non est universale: non secundum; quia natura multiplex cum cognitione est ens per accidens: atqui istud ex communi Philosophorum non potest definiri: ergo. Resp. neg. min. & dico, quod definiatur natura multiplex, ut dicens cognitionem in obliquo. ad prob. dist. min. subsumpt. ens per accidens non potest definiri, definitione, quæ adæquate explicet naturam partium, etiam seorsim sumptarum. conc. min. quæ adæquate explicet totum ens per accidens. neg. min. & conseq. Sic definitur etiam entitas,

vitas, exercitus. item majoritas, minoritas, conformitas &c.

577. Dices 1. Illud in hac definitione non definitur, quod non est prædicabile: sed cognitio non est prædicabilis: ergo non definitur. Resp. dist. ma. quod non est prædicabile, non definitur, ita, ut in definitione veniat in recto, & de ipso, tanquam de subjecto, definitio prædicari, seu affirmari possit. conc. ma. non definitur, seu potius non attingitur a definitione in obliquo. neg. ma. & conc. mi. sub data distinctione conc. vel neg. conseq. Scilicet sensus definitionis hujus est: *Plures naturæ dissimiles, ut cognitæ cognitione confusa, sunt prædicabiles &c.* non autem sensus est: *Plures naturæ, & cognitio sunt prædicabiles &c.* fere sicut, quando dicitur: *Pœna conformis delicto est justa:* etiam attingitur delictum, at non in recto, ut de ipso dici possit, quod sit justum, sed tantum in obliquo.

578. Dices 2. Si definitur natura multiplex ut cognita, tunc etiam cognitio debet venire in recto, & esse prædicabilis: atqui hoc non est verum: ergo. Resp. neg. ma. Terminus, super quem cadit reduplicatio, non semper debet, imo non semper potest importari in recto, ita, ut de eo possit affirmari prædicatum: patet in modo adducto exemplo pœnæ conformis delicto; hæc enim ut conformis delicto, seu reduplicative sumpta, est justa: & tamen delictum (quod est quoque pars pœnæ ut conformis, quidditative sumptæ) nullatenus potest dici justum. Unde, ut reduplicatio cadere possit in aliquem terminum, tantum requiritur, ut is sit aliqua causa, vel ratio, ob quam hoc prædicatum convenit subjecto: & ita se habet cognitio respectu naturæ multiplicis; quia illa reddit hanc prædicabilem; non enim natura multiplex esset universaliter prædicabilis, nisi esset una: fit autem una per cognitionem.

579. Ob. 5. Si genus prædicatur de specie, prædicatur pars de toto: sed hoc est absurdum: ergo. Confir. Si genus prædicatur de speciebus, prædicatur ut totum continens sub se species: sed etiam prædicatur ut pars: ergo simul prædicatur ut totum, & pars: hoc est absurdum: ergo. Resp. dist. ma.

ma. prædicatur de toto pars metaphysica. conc. ma. prædicatur pars physica. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Pars metaphysica est realiter ipsum totum, & ab hoc non nisi formaliter distinguitur; unde nil est absurdi, si de isto prædicetur: aliud est de parte physica, quæ non est adæquate, sed tantum partialiter totum.

Ad confir. dist. ma. genus prædicatur ut totum actuale, continens sub se species tanquam partes actuales. neg. ma. prædicatur ut totum potentiale, seu potestativum, continens sub se species tanquam partes subjectivas. conc. ma. & dist. mi. prædicatur etiam ut pars subjectiva. neg. mi. ut pars actualis metaphysica. conc. mi. ac dist. etiam conseq. prædicatur ut totum actuale, & pars actualis. neg. conseq. ut totum potentiale, & pars actualis. conc. conseq. & sub eadem distinctione conc. vel neg. subsumptum.

580. *Totum potentiale*, seu *potestativum*, aliud non est, quam terminus superior, sub quo continentur termini inferiores, qui dicuntur *partes subjectivæ*, si perfecte participent rationem totius, sive termini superioris: si autem non perfecte eam rationem participent, dicuntur *partes potestativæ*: quamvis aliqui auctores videantur quandoque non facere discrimen, ac partes potestativas, & subjectivas pro iisdem sumere. At vero *totum actuale* est aliquid realiter constitutum ex suis partibus, sive physicis, sive metaphysicis: & istæ partes, realiter constituentes totum, vocantur *partes actuales*: ex quo patet, idem posse esse respectu ejusdem totum potestativum, & partem actualem: & sic se habet e. g. *animal* respectu hominis.

581. Ob. 6. In hac propositione: *Hoc animal est animal*: non prædicatur genus de pluribus specie differentibus: ergo definitio generis non est bona. prob. ant. in ea propositione, vel prædicatur genus de seipso, vel prædicatur de uno individuo: ergo non prædicatur de pluribus specie differentibus. Resp. om. ant. neg. conseq. Verba in definitionibus posita *ex num.* 11. non significant actum, sed tantum potentiam; unde *prædicabile* non significat actu prædicari, sed tantum posse prædicari; quare, licet genus non semper prædicetur de pluribus specie differen-

rentibus, modo possit ita prædicari, jam definitio est bona. ad prob. om. totum; licet enim animal non prædicetur de pluribus specie differentibus in propositione objecta, potest tamen de iis prædicari in alia.

582. Objic. 7. Genus potest etiam prædicari de pluribus genere differentibus, e. g. *substantia* de corporibus, & spiritibus: ergo definitio non est bona. Resp. neg. conseq. nam, licet genus possit etiam prædicari de genere differentibus, potest tamen etiam prædicari de specie differentibus, de quibus nullum aliud universale ita, hoc est, in quid incomplete, potest prædicari: adeoque tamen hæc definitio convenit non tantum omni, sed etiam soli definito.

583. Objic. 8. Accidens, e. g. color, est prædicabile in quid incomplete de pluribus specie differentibus, e. g. de colore albo, & nigro: ergo definitio generis non convenit soli. Resp. dist. ant. accidens in abstracto (quod est stricte dictum genus respectu suorum inferiorum specie differentium) est de illis ita prædicabile. conc. ant. accidens in concreto est ita prædicabile de pluribus suis subjectis specie differentibus. neg. ant. & conseq.

Equidem color in abstracto est genus respectu albedinis, nigredinis, rubedinis &c. & de his prædicatur in quid incomplete: at vero accidens in concreto, e. g. album, nigrum, rubrum &c. respectu subjectorum, e. g. marmoris, ligni, animalis, non potest prædicari in quid, seu tanquam pars essentialis; neque enim tali subjecto, specificative sumpto, est essentiale esse coloratum: si autem subjectum sumatur reduplicative, ut coloratum, debet reduplicatio necessario cadere in accidens in abstracto sumptum: quo casu, ut modo dictum, accidens potest esse genus respectu inferiorum, seu accidentium particularium.

ARTICULUS III.

Quid sit Species, Differentia, Proprium, & Accidens.

584. POst genus venit species, quæ universaliter accepta a Porphyrio *cap. 2. de specie* sic definitur:

nitur: *Species est, quæ ponitur sub genere, & de qua genus in eo, quod quid est, prædicatur*: intelligitur autem, speciem immediate poni sub genere; nam etiam individua ponuntur mediate sub genere, ut patet. Est autem *species* duplex, *subjicibilis*, & *prædicabilis*. Prior, seu *subjicibilis* est, quæ ponitur sub genere, sed non est prædicabilis de pluribus. Posterior, seu *prædicabilis* definitur a Porphyrio *ibidem* sic: *Species est, quæ de pluribus, & differentibus numero, in eo, quod quid est, prædicatur*; unde etiam hæc species est subjicibilis, quia etiam immediate subjicitur generi: at non est pure subjicibilis, ut prior, sed simul prædicabilis: & hæc species est universale: non autem est universale species pure subjicibilis; quia hæc non est apta prædicari de multis: quin etiam, si talis species cognosceretur, abstrahendo, an sit una, vel multiplex, tamen non esset universale; quia ad hoc requiritur natura realiter multiplex, ut dictum *num.* 507.

Talis species pure subjicibilis, ut volunt Thomistæ, sunt Angeli, de qua re *infra a n.* 651. & juxta recentiores quosdam etiam talis species est quælibet persona divina; quamvis id alii negent; eo quod, ut habet S. Augustinus *7. de Trinit. cap. ult. in fine*, inter personas divinas sit *nulla distantia quantulacumque dissimilitudinis*: &, ut docet Vasquez *tom. 2. in 1. p. disp. 131. cap. 2. num. 9.* personæ divinæ non sint dissimiles; cum dissimilitudo afferat diversitatem in essentia. Interim tamen certum est, eas personas non tantum distingui individualiter; alias essent tres Patres, tres Filii &c. contra fidem. Quare hæc quæstio videtur multum habere de modo loquendi: attamen hic ipse in similibus quæstionibus de mysterio SS. Trinitatis debet esse valde cautus, & castigatus. De hac specie subjicibili potest etiam videri Arriaga *disp. 7. Logic. sect. 2.*

585. *Species prædicabilis*, quæ sola est universale, & quidem *species infima*, quæ sola hic definitur, est *prædicabile de pluribus solo numero differentibus in quid complete*. Differt itaque ab aliis universalibus, proprio, & accidente, quod prædicetur in quid: a differentia vero, quod tantum in quid, & non in quale, item quod complete, seu tanquam totæ com-

completa essentia prædicetur : per quam prædicabilitatem completam etiam differt a genere, a quo differt quoque per hoc, quod tantum de solo numero differentibus possit prædicari; cum genus etiam prædicetur de specie differentibus.

586. *Differentia* definitur *prædicabile de pluribus in quale essentialiter :* nempe prædicatur *de pluribus*, &, si sit differentia suprema, vel subalterna, etiam de specie differentibus : si autem sit differentia infima, de pluribus solo numero differentibus. Item prædicatur *essentialiter*, sive tanquam prædicatum essentiæ realiter identificatum : simul tamen etiam prædicatur *in quale ;* quia per differentiam etiam respondetur interroganti, qualis res sit : sic interroganti, quale animal sit homo, respondetur, esse rationale. Licet autem, ut diximus *num.* 566. interroganti, quid sit homo, etiam aliquando respondeatur, quod sit animal rationale, non tamen respondetur tantum, quod sit rationale; unde priori responsioni modo dictæ potius reponitur species, quam differentia: differentia autem se sola non prædicatur tantum in quid, sed in quale quid. Quod si quis contenderet ; differentiam etiam aliquando prædicari tantum in quid, tamen adhuc differret a genere, & specie ; eo quod etiam prædicetur in quale. Aliqui differentiam non male describunt, dum dicunt, quod sit pars essentialis totius minus late patens, & determinativa alterius compartis.

587. Dividitur autem differentia, ut species, in *supremam*, *subalternam*, & *infimam :* qua de re vide *num.* 570. item dividitur in *constitutivam*, & *divisivam*. Illa, seu *constitutiva*, est, quæ constituit speciem, e. g. *rationale*, quod constituit speciem humanam : altera, seu *divisiva*, est, quæ dividit genus, & huic adjecta id restringit ad certam speciem, e. g. idem *rationale*, quod dividit animal, & id restringit ad speciem humanam. Unde patet, hanc divisionem differentiæ non exigere membra realiter distincta, sed tantum distincta formaliter, aut solum extrinsece, ratione diversorum terminorum, ad quos comparantur.

588. *Proprium* dicitur quatuor modis. *Proprium primo modo* est, *quod convenit soli*, *non tamen omni :* & hoc

& hoc modo speciei humanæ, seu homini, proprium est esse musicum ; quia soli homines, non tamen omnes, sunt musici. *Proprium secundo modo* est, *quod convenit omni, sed non soli :* & hoc modo homini proprium est esse bipedem ; nam præter omnes homines etiam volucres sunt bipedes. *Proprium tertio modo* est, *quod convenit omni, & soli, sed non semper :* & hoc modo homini proprium esse in senectute canescere, ait Porphyrius *cap.* 5. & ex eo alii ; quanquam videantur etiam equi, & canes, dum senescunt, saltem aliquo modo canescere. Hinc Arriaga *disp.* 8. *Log. sect.* 2. *num.* 17. in exemplum proprii tertio modo adducit *intelligere actualiter*, quod, ut docet, convenit omni homini, etiam amenti, sed non semper : at, nisi addatur *dependenter a phantasmate*, non convenit soli, ut patet. Sed non est de re levissima litigandum.

589. Tandem *Proprium quarto modo* est, *quod convenit omni, & soli, & semper :* & sic homini proprium est esse risibilem : atque hoc est proprium stricte dictum, ac universale, de quo agunt Philosophi, quando agunt de proprio. Definitur autem *prædicabile de pluribus in quale convertibiliter*. Scilicet per proprium respondetur interroganti, non quid res sit, sed qualis sit; nec enim interroganti, quid sit homo, sed interroganti, qualis sit, respondetur, eum esse risibilem. Dein proprium quarto modo debet esse prædicatum convertibile cum essentia : & tale est risibile respectu essentiæ humanæ ; nam bona est illatio : *Est risibile : ergo est homo :* & e converso : *Est homo : ergo est risibile ;* nam utraque hæc propositio est vera : *Omnis homo est risibilis :* & : *Omne risibile est homo*. Dicitur istud proprium etiam *proprium metaphysicum*, ut distinguatur a proprio physico, quod est realiter distinctum ab essentia, adeoque non convertibile cum ista.

590. *Accidens*, ut est quintum prædicabile, intelligitur, ut jam insinuavimus *num.* 583. esse concretum accidentale, e. g. *album*, *dulce :* non autem accidens in abstracto, *e. g. albedo*, *dulcedo*. Alia autem sunt *concreta accidentalia logica*, quando nempe forma est subjecto extrinseca : talia concreta sunt *cognitum*, *visum*, *amatum &c.* alia sunt *concreta*

acci-

accidentalia physica, quando scilicet forma est subjecto physice unita : & talia sunt *album*, *dulce*, *calidum &c.* alia sunt *concreta accidentalia metaphysica*, quando forma est realiter quidem identificata subjecto : attamen subjectum ut sic sumptum est metaphysice, seu formaliter indifferens ad eam formam : & tale concretum est *rationale* respectu animalis ut sic ; quia, cum non omne animal sit rationale, etiam illud, quod realiter est rationale, si concipiatur abstractive, sive tanquam animal ut sic, concipitur ut metaphysice, seu formaliter indifferens ad rationale.

591. Jam *Accidens* definitur *prædicabile de pluribus in quale non convertibiliter* ; quia etiam interroganti, qualis sit res, respondetur per prædicata accidentalia, e. g. rem esse albam, calidam &c. at tale prædicatum accidentale debet non esse simpliciter convertibile cum essentia ; si enim est accidens physicum, vel logicum, non est convertibile, nec materialiter cum essentia ; nam, licet bene inferatur : *Est homo : ergo est coloratum* : non tamen e converso bene infertur : *Est coloratum : ergo est homo*. Si autem est accidens metaphysicum, non est convertibile saltem formaliter ; nam, licet iterum rite colligatur : *Est rationale : ergo est animal* : non tamen rite colligitur : *Est animal : ergo est rationale* : & sic respectu animalis rationale est accidens metaphysicum.

592. Definitur etiam *Accidens* aliter a Porphyrio *cap. 6. Quod adest, & abest præter subjecti corruptionem* : hoc est : *Quod potest abesse, & adesse &c.* nam verba in definitionibus posita non significant actum, sed tantum potentiam ex *num.* 11. Ut autem includantur etiam accidentia metaphysica, vel etiam ea, sine quibus subjectum non potest naturaliter, vel neque supernaturaliter existere, aut conservari, debet hæc definitio ita explicari, quod accidens sit illud, quod sive concipiatur, sive non, adeoque sive in intellectu adsit, sive absit, tamen semper possit concipi tota essentia.

Sic, sive concipiam hominem coloratum, vel sanum, sive eum non concipiam coloratum, aut sanum, semper possum concipere animal rationale : imo si con-

si concipiam etiam hominem cum accidentibus violentis, e. g. cum valde intenso calore, qui hominem enecet, tamen adhuc simul concipio animal rationale. Quia tamen hæc definitio etiam videtur convenire proprio (nam sine hoc etiam potest concipi tota essentia, & istud quoque essentiæ non repugnat, adeoque potest eodem modo adesse, vel abesse, ut accidens) non videtur esse exacta definitio accidentis, ut est quintum prædicabile. vide Arriagam *disp. 8. Log. sect. 3. num. 26. & 27.*

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

593. OBjic. 1. Etiam aliqua individua immediate subjiciuntur generi : ergo definitio speciei subjicibilis non convenit soli, nec est bona. prob. ant. tres personæ divinæ sunt tria individua, & tamen immediate subjiciuntur saltem quasi generi, quod est *persona divina* : item in sententia Thomistarum, in qua quilibet Angelus differt specie ab altero, quodlibet individuum angelicum immediate subjicitur generi : ergo. Resp. dist. ant. immediate subjiciuntur generi individua quæ tantum sunt numero differentia. neg. ant. quæ sunt plus, quam numero differentia, aut quorum quodlibet est nova species. conc. ant. & neg. conseq. ad prob. om. ant. & sub priori distinctione conc. vel neg. conseq. Personalitates divinæ non sunt tantum numero distinctæ *ex num.* 584. & saltem quoad hoc æquivalent specie distinctis : individua angelica juxta illam sententiam Thomistarum sunt reipsa etiam distinctæ species ; unde non subjicitur immediate generi, nisi nova species, vel formaliter, vel æquivalenter talis. vide Arriagam *disp. 7. Log. sect. 2. num. 36.*

594. Objic. 2. Species subjicibilis explicatur per genus, & genus per speciem : ergo fit circulus vitiosus. Confir. Non potest determinari, quid intelligatur per speciem subjicibilem, an sola natura, an concretum ex natura, ac cognitione confusa : sed hoc debet explicari : ergo. Resp. dist. ant. species explicatur per genus clare, & scientifice cognitum, & genus

nus etiam explicatur per speciem clare, & scientifice cognitam. neg. ant. genus explicatur per speciem tantum ruditer cognitam. conc. ant. & neg. conseq. Responsio patet ex jam sæpe dictis, & statim *num.* 6. & 7.

Ad confir. neg. maj. & dico, posse per speciem utrumque intelligi. Si species subjicibilis accipiatur denominative, intelligitur sola natura, e. g. humana, & hæc subjicitur generi, sive animali, atque est inferior, quatenus collectio hominum continetur in collectione omnium animalium, & est ista minor. Si autem species subjicibilis sumatur concretive, seu quidditative, intelligitur totum concretum, sive complexum ex natura humana, seu omnibus hominibus, atque ex cognitione confusa, & hoc complexum subjicitur alteri complexo ex omnibus animalibus, atque ex cognitione confusa; quia hæc cognitio, confundens omnia animalia, confundit plura, quam cognitio confundens solos homines.

595. Objic. 3. Veræ sunt hæ propositiones: *Equus est species infima, & prædicabilis: Leo est species infima, & prædicabilis &c.* sed equus, & leo differunt specie: ergo species infima est prædicabilis de differentibus specie, & non tantum de differentibus solo numero. Resp. syllogismum non esse in forma; cum terminus *species infima* non supponat eodem modo in majore, ac in conclusione; unde dist. conseq. species infima, id est, hic terminus species infima, qui vere est terminus genericus, est prædicabilis de pluribus specie differentibus. conc. conseq. objectum hujus termini, quod per illum significatur, e. g. natura hominis, vel equi, aut leonis &c. est prædicabile de pluribus specie differentibus. neg. conseq.

596. Objic. 4. Etiam species prædicatur in quale quid: ergo definitio differentiæ non convenit soli. prob. ant. in definitione e. g. hominis *animal* prædicatur *in quid*, & *rationale* prædicatur in quale: ergo species prædicatur *in quale quid*. Confir. Differentia etiam immediate subjicitur generi: ergo est species subjicibilis: ergo non est distinctum universale. Resp. neg. ant. ad prob. neg. 2. p. ant. Rationale, quando ponitur in definitione, non ut totum universale, sed ut pars universalis, nempe ut pars speciei, prædicatur *in quid*, tanquam constituens ipsam quidditatem, & essentiam hominis; nam interroganti, quid sit homo, reponitur totum complexum, seu respondetur esse animal rationale.

Hæc responsio satis fulcitur communi auctoritate, qua standum est in hac quæstione de nomine. videatur etiam Augustinus Laurentius *tract. 2. Logic. disput. 5. sect. 3. num.* 48. Ad confir. dist. ant. differentia immediate subjicitur generi, & est quidditas completa. neg. ant. non est quidditas completa. conc. ant. & neg. utramque conseq. In definitione, vel descriptione potius speciei, etiam tantum subjicibilis, adducta *num.* 584. subintelligitur, quod sit quidditas aliqua completa; nam hoc essentiale est cuilibet speciei, ut est clarum: at talis quidditas non est sola differentia.

597. Objic. 5. In hac propositione: *Animal est rationale*: differentia non prædicatur in quale, sed in quid: ergo differentia non recte definitur. Confir. 1. In hac propositione: *Animal est vivens*: iterum *vivens*, quod est differentia corporis, prædicatur in quid: ergo definitio differentiæ non est bona. Confir. 2. Differentia est accidentalis generi: ergo non prædicatur essentialiter. Resp. neg. ant. nam rationale non est de essentia animalis ut sic, nec interroganti, quid sit animal, respondetur esse rationale.

Ad 1. confir. dist. conseq. vivens prædicatur in quid de corpore, respectu cujus est differentia. neg. conseq. prædicatur in quid de animali, respectu cujus non est differentia, sed genus, conc. conseq. Ad 2. confir. dist. conseq. ergo non prædicatur essentialiter de genere. conc. conseq. non prædicatur essentialiter de specie, cujus est essentiale constitutivum. neg. conseq. Loquor autem de differentia specifica, non de individuali, quæ non continetur hac definitione, nec constituit speciem.

598. Objic. 6. Idem non potest simul adesse, & abesse ab eodem: ergo accidens male definitur. Confirm. Vestis est substantia, & tamen potest homini adesse, vel etiam ab eo abesse, sine ejus corruptione: ergo definitio accidentis non convenit soli. Resp. 1. hanc definitionem accidentis a nobis non acceptari

ptari ut exactam, quamvis ex alia ratione, quæ est adducta *num.* 592. Resp. 2. dist. ant. idem non potest adesse, & abesse simul, potentia simultatis. conc. ant. non potest adesse, vel abesse simultate potentiæ. neg. ant. & conseq.

Non quidem habet accidens potentiam, ut simul, & semel, adsit, & absit, quod clare implicat: sed tamen habet simul potentiam saltem passivam, non tantum ad unum, sed ad utrumque seorsim, seu disjunctive; nam sive absit, sive adsit, tamen subjectum non corrumpitur. Ad confir. dist. 1. p. ant. vestis est substantia in sensu physico. conc. 1. p. ant. in sensu logico, & in ordine ad prædicationem. neg. 1. p. ant. & conc. 2. p. ac neg. conseq. Vestis, seu, ut *ex n.* 583. magis dialectice deberet dici, *vestitus*, habet se, in ordine ad prædicationem de homine faciendam, tantum accidentaliter, etsi utique pannus, ex quo constituitur, sit substantia physica: & hinc in consideratione logica est tantum accidens.

599. Objic. 7. Aliqua accidentia nequeunt abesse a subjecto sine ejus corruptione, e. g. calor ab igne: alia autem non possunt adesse sine ejus corruptione, e. g. in homine morbus lethalis, vel etiam mors: ergo definitio accidentis non est bona. Resp. dist. ant. non possunt abesse, vel adesse realiter sine subjecti corruptione. om. ant. non possunt abesse, vel adesse formaliter. neg. ant. & conseq. Hæc objectio jam est præoccupata *num.* 592. Solum addo, quosdam dicere, mortem, combustionem, & similia, non esse accidentia, sed puras negationes, adeoque non venire ad rem.

Sed non male urget Giattinus, *quæst.* 5. *Log. art.* 3. esse legitimas has prædicationes: *Homo est mortuus: Domus est combusta:* & tamen non admitti sextum universale, seu prædicabile, adeoque has prædicationes revocari debere ad accidens; unde etiam de his debet dici, ea suo modo posse logice, sive per conceptum, adesse, vel abesse, sine subjecti corruptione. Si autem replices, in instanti mortis neque logice amplius dari hominem; eo quod mors tollat essentialem partem hominis, nempe informationem corporis ab anima. Resp. dari saltem in eo instanti hominem ampliative, & propositionem: *Homo est mortuus:*

tuus: verificari, eo modo, quo illa: *Cæci vident:* nempe non per statum, sed per ampliationem.

ARTICULUS V.

Quid sit Individuum, & an univoce possit prædicari de pluribus.

600. Porphyrius *c.* 3. *de specie* ait: *Individua autem dicuntur hujusmodi, quoniam ex proprietatibus consistit unumquodque eorum, quarum collectio nunquam in alio eadem erit:* proprietates autem istæ, sive accidentia individuantia, indicantur hoc versiculo: *Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.* At hæc non est stricta definitio, sed potius aliqua descriptio, seu indicatio aliquorum signorum, ex quibus aliquando diversitas individualis colligatur: nec est universalis: quia etiam ipsa accidentia, quæ non habent novam semper collectionem accidentium (nisi eatur in infinitum) individualiter differunt: quin etiam substantiæ individuæ plures non videntur habere diversam collectionem accidentium, ex. grat. ligna, lapides, aquæ, olea, & similia. Saltem posset utique Deus producere duo individua, etiam humana, quæ in his omnibus, & adhuc pluribus accidentibus, ita convenirent, ut in nullo discreparent, & tamen numero distinguerentur.

601. Idem Porphyrius *cit. cap.* paulo superius ait: *Dicitur . . . . . individuum autem de uno solo particulari:* id est: *Individuum est, quod tantum de uno solo prædicatur:* clarius adhuc S. Thomas 1. *p. qu.* 29. *art.* 4. *in corp.* ait: *Individuum autem est, quod est in se indistinctum, ab aliis vero distinctum;* unde communiter de facto individuum definitur *indivisum in se, & divisum a quolibet alio.* Addo hic verba Aristotelis *in Prædicam. Tractat.* 2. *c.* 1. ubi sic ait: *Substantia autem est, quæ proprie, & principaliter, & maxime dicitur, quæ neque de subjecto aliquo dicitur, neque in subjecto aliquo est, ut quidam homo, & quidam equus: secundæ autem substantiæ dicuntur species, in quibus ea, quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt, & hæ quidem,*

dem, & *harum specierum genera &c.* Similia habet *l.* 5. *Metaph. cap.* 1. *text.* 15. ex quibus Philosophi verbis orta est distinctio substantiæ, ita, ut dicatur *substantia prima*, & *secunda*: per quas tamen voces non videtur Aristoteles aliud intellexisse, quam per substantiam primam individuum, seu substantiam particulariter, aut singulariter acceptam: per secundam vero substantiam universaliter, seu in specie tantum, aut genere acceptam, ut videtur patere cuilibet utrumque locum Philosophi, & verba bene perpendenti.

602. Jam *Individuum* dividitur 1. in *primo intentionale*, & *secundo intentionale*. Illud est natura una singularis, prout datur a parte rei: & ei utcumque convenit definitio, seu descriptio *num.* 600. allata. Istud est natura, prout substat conceptui, a quo exprimitur esse individuum, singulare &c. Dividitur 2. in *individuum determinatum*, & *indeterminatum*. Illud est, quod determinate præ aliis indicatur, vel intelligitur: & subdividitur in *determinatum ex nomine*, ut *Petrus*, & *determinatum ex demonstratione*, ut *hic homo*, ac *determinatum ex hypothesi*, quod scilicet ex aliqua hypothesi tantum convenit uni, licet absolute potuisset convenire pluribus: & tale de facto individuum est *proditor Christi*, quod ex hypothesi de uno Juda potest dici. *Individuum indeterminatum* est, quod nulla tali, vel simili determinatione est affectum, atque etiam dicitur *individuum vagum*, ut *aliquis homo*.

603. Quæritur jam, an a pluribus individuis possit abstrahi ratio communis individui, sive, an iste terminus, vel conceptus *individuum* possit de pluribus universaliter, & univoce prædicari. Equidem hunc conceptum, seu terminum, aliquo modo, seu saltem æquivoce, vel analogice, posse de pluribus prædicari, non negatur; nam sæpe quivis Philosophus discurrit de individuo ut sic; quare debet hic terminus saltem aliquo modo pro pluribus confuse supponere, & pluribus convenire: at quæstio est, an etiam univoce conveniat.

604. Affirmativam sententiam apud de Benedictis *l.* 2. *Log. qu.* 2. *cap.* 4. tenent Cajetanus, & Thomistæ. Eandem tenent Arriaga *disp.* 7. *Log. sect.* 4. *n.* 54. Semery. *disp.*

disp. Log. 3. *q.* 7. *a.* 1. Suarez *tom.* 1. *Metaph. disp.* 6. *sec.* 8. *n.* 13. ubi oppositam ait esse incredibilem, & plures alii. Et sane, si non potest *individuum* univoce prædicari, neque poterit *persona*, aut *singulare*; quia est eadem ratio: hoc autem est incredibile, & clare contra communem: ergo. Probari autem potest hæc affirmativa sententia ex eo, quod hæc ratio *prædicabile tantum de uno*, & quidem de uno, non tantum *formaliter* (qua ratione etiam universale est unum) sed de uno *numerice* tali, hæc, inquam, ratio possit sane univoce prædicari de pluribus, Petro, Paulo &c. quia quilibet eorum est unus numerice: quin altera quoque ratio, nempe *indivisum in se*, & *divisum a quolibet alio*, potest etiam de quolibet singulari individuo prædicari, estque pluribus in eadem significatione communis.

605. Difficultas aliqua est circa verba *a quolibet alio*; quia non videntur posse prædicari in eadem significatione de Petro, & Paulo; nam, quando prædicantur de Petro, sub terminis illis videtur etiam subintelligi Paulus; cum Petrus debeat dici distinctus ab omnibus aliis: at quando iidem termini prædicantur de Paulo, non potest sub iis etiam subintelligi Paulus: quia hic non potest dici alius a se ipso.

Sed respondetur, in definitione individui ut sic terminos illos *a quolibet alio* sumi distributive distributione accommoda, intelligendo omnes alios *ab ipso*, id est, individuo, distinctos: hunc autem terminum *ab ipso* sumi indeterminate, ita, ut indeterminate significet, seu repræsentet omnia individua, pro quibus potest poni, vel supponere terminus *ipsum*, vel *ab ipso*. Scilicet, sicut ipsum subjectum, seu rectus concreti, nempe *indivisum*, & *divisum*, in hac definitione sumuntur indeterminate, ita etiam obliquus *ab ipso*, qui subintelligitur sub termino *alio*, sumitur indeterminate. Quando autem hic conceptus dein applicatur Paulo, ille terminus *ipso* verificatur in Paulo: si autem conceptus applicetur Petro, verificatur in Petro.

606. Verum objicit adhuc de Benedictis, citatus *num.* 604. istum terminum *individuum*, vel *indivisum*, non abstrahere a singularibus, seu particularibus individuis, sed imbibi in istorum conceptibus;

cum quodlibet individuum singulare sit individuum: ad terminum univocum autem requiri, ut abstrahat a suis differentiis. Sed respondetur, negando, quod individuum ut sic non sufficienter abstrahat a singularibus; nam individuum ut sic respectu individuorum singularium, e. gr. Petri, & Pauli, se habet sicut animal respectu hominis, & bruti; nam, licet forte individua singularia non abstrahant ab individuo ut sic, tamen individuum ut sic abstrahit ab individuis singularibus. Sicut nempe, licet homo, & brutum, non abstrahant ab animali ut sic, tamen animal ut sic abstrahit ab homine, & bruto: & sicut bona est illatio: *Est homo*: vel: *Est brutum*: *ergo est animal*: non tamen bona est ista: *Est animal*: *ergo est homo*: vel: *ergo est brutum*: ita etiam bona quidem est ista illatio: *Est Petrus*: vel: *Est Paulus*: *ergo est individuum*: non tamen bona est ista: *Est individuum*: *ergo est Petrus*: vel: *ergo est Paulus*. Itaque datur in utroque casu abstractio, sed non mutuo, hoc est, ex una parte nempe individui ut sic, & animalis ut sic, sed non ex altera parte, scilicet individuorum singularium, & hominis, ac bruti. Quia tamen hæc abstractio sufficit, ut terminus *animal* sit terminus univocus, sufficiet etiam, ut terminus *individuum* sit univocus. videri meretur Semery *disp.* 4 *Log. qu.* 2. & 3. *ac* 4. Quod autem *individuum* non constituat sextum universale, diximus *num.* 565.

607. Alii ulterius objiciunt, terminos illos *a quolibet alio* non abstrahere a multiplicitate, & singularitate, adeoque individuum sic definitum non fore amplius terminum universalem; hinc omisso termino *a quolibet* tantum ponunt *divisum ab alio*. Sed hoc plane convenit complexo centum hominum, quod est divisum a complexo ducentorum: item convenit speciei, quæ est divisa ab alia specie; unde non videtur posse omitti *a quolibet*: cumque hic terminus non indicet multitudinem, vel singularitatem ex parte recti, sed tantum ex parte termini obliqui, seu respecti, non videtur obesse universalitati, saltem minus stricte dictæ *ex dictis nu.* 510. Sic etiam termini *cognitio Dei*, *cognitio similitudinis*, *cognitio relationis*, videntur termini satis universales, etsi ex parte termini respecti, vel obliqui, non abstrahant a singularitate, aut multiplicitate. Sed non est operæ pretium hac de re pluribus litigare.

ARTICULUS VI.

In quo consistat Differentia Specifica.

608. SUpponendum est hic, qnod a nemine negatur, nempe aliqua convenire in genere, ut *homo*, & *leo*, quibus convenit idem genus animalis: alia etiam convenire in specie, ut *Petrus*, & *Paulus*, quibus convenit eadem species hominis: vicissim etiam aliqua differre inter se quoad genus, ut *homo*, & *arbor*, quibus non convenit idem genus ultimum, seu animal: aliqua vero differre quoad speciem, ut *homo*, & *leo*; quibus non convenit eadem species infima, seu animal rationale. Quæstio jam est, quænam sit ratio, ob quam unum dicatur specie differre ab altero, seu in quo consistat ista diversitas specifica.

609. Dico cum communiore recentiorum. Illa differunt specie, quæ sunt essentialiter dissimilia. Noto tamen, quod, si ponatur, personas divinas inter se differre specie (de quo nos abstrahimus) dissimilitudo non debeat sumi in sensu S. Augustini, citati *n.* 584. sed tantum intelligenda sit aliqua differentia metaphysice intrinseca, quæ admitti potest in personis divinis cum pluribus SS. Patribus, quos citat, & sequitur Suarez *l.* 3. *de SS. Trinit. myster. c.* 13. *n.* 3. & S. Thomas, qui *1. p. qu.* 31. *a.* 2. *in corp.* videtur negare in divinis differentiam, negat reipsa tantum differentiam in essentia. Noto item, quod, si quis velit defendere, personas divinas specie differre, juxta ipsum particula *essentialiter* non sumenda sit pro prædicato spectante ad essentiam; nam in tali non differunt personæ divinæ: sed tantum pro prædicato realiter identificato, & necessario.

Quod *necessario* ideo addo, ut, si quis forte objiceret, ex nostra conclusione sequi, quod Deus juxta probabilem sententiam Theologorum, asserentium, actus contingentes Dei adæquate identificari cum ipso Deo, potuisset specie a seipso differre:

eo quod potuisset sibi identificare nolitionem mundi, adeoque habere aliud prædicatum realiter identificatum, si, inquam, aliquis illud objiceret, posset responderi, quod (etsi omittatur, Deum esse in aliqua specie, & posse ab aliquo specie differre, de quo abstrahimus) tamen non deberet posse a seipso specie differre; eo quod prædicata nolitionis, & volitionis, non sint prædicata necessaria, sed tantum contingentia, quæ non inferant differentiam specificam. Addo tandem, prædicatum tale essentiale, ut constituat differentiam specificam, debere esse a scientiis considerabile, cujus rei rationem dabimus *infra a num.* 638.

610. Prob. jam conclusio, restringendo tamen ipsam ad pure creata, & præscindendo omnino a personis divinis. Ad differentiam specificam, saltem in creatis, requiritur aliqua dissimilitudo: non sufficit accidentalis: ergo requiritur essentialis. ma. est clara; nam, ubi nulla datur dissimilitudo, individua sunt perfecte similia, adeoque possunt eadem definitione definiri, & consequenter sunt ejusdem speciei. prob. mi. accidentalis dissimilitudo datur etiam inter illa individua, quæ juxta omnes sunt ejusdem speciei, e. g. inter Petrum, & Paulum, si unus sit pallidus, alter rubicundus, unus fortis, alter debilis &c. ergo non sufficit ad differentiam specificam.

611. Ne autem forte dicas, requiri dissimilitudinem essentialem, at nondum sufficere, probatur, eam sufficere. Eo ipso, quod duo habeant dissimilitudinem essentialem, habent etiam differentiam essentialem, ut patet: sed, si habent differentiam essentialem, habent etiam diversam definitionem; nam definitio constat genere, & differentia: si autem habent diversam definitionem, habent etiam diversam speciem; species enim est definitio objectiva: ergo, si duo habent dissimilitudinem essentialem, habent etiam diversam speciem, seu differunt specie.

612. Respondebis forte, dissimilitudinem non strictissime essentialem, qualem nos tantum requirimus, etiam non esse differentiam strictissime essentialem, quæ sola constituit definitionem: adeoque illa, quæ tantum habent dissimilitudinem non strictissime essentialem, non habere definitionem diversam. Sed reponitur imprimis, dissimilitudinem strictissime essentialem tantum non requirendam juxta illos, qui volunt, personas divinas specie differre; juxta quos etiam non tantum differentia strictissime essentialis, sed etiam minus stricte essentialis, constituit definitionem; nam differentia, quæ constituit definitionem Patris divini, non est essentialis, sive spectans immediate ad essentiam, seu naturam divinam; quia in essentia non differt Pater ab aliis personis.

Sed, quidquid sit de divinis, nos loquimur de creatis, in quibus si prædicatum a nobis requisitum non est strictissime essentiale, saltem ex eo infertur, adesse aliud prædicatum diversum strictissime essentiale, & sic ex risibili in homine infertur rationale: imo si nullum aliud adesset, tunc ipsum esset strictissime essentiale, & deberet poni in definitione.

613. Advertendum autem hic est, aliud esse tradere definitionem differentiæ specificæ, seu specie differentium: aliud tradere regulam, ex qua inferatur, aliqua inter se specie differre; quemadmodum enim ex definitione hominis sola non infertur, aliquid esse, vel non esse hominem, sed debet prius aliunde sciri, an ei definitio conveniat, an non: ita etiam ex sola definitione differentiæ specifice non infertur, an aliqua differant specie, an non: sed debet prius ex aliis regulis, vel indiciis colligi, an illis hæc definitio congruat, an non: sive, an sint essentialiter dissimilia, an non.

614. Hujus autem dissimilitudinis, præsertim in entibus materialibus substantialibus, frequenter signum est accidentium diversitas. Accidentia autem ista sunt in triplici classe; aliqua enim sunt, quæ reperiuntur in individuis etiam valde dissimilibus: e. g. quantitas (quam modo supponimus esse accidens) reperitur in omnibus, etiam valde dissimilibus corporibus: & ista dicuntur *accidentia generica*: alia sunt, quæ reperiuntur in individuis valde dissimilibus, & etiam valde similibus, non tamen in omnibus; e. g. albedo reperitur in hominibus, & lignis, ac lapidibus, non tamen in omnibus; & ista dicuntur *accidentia disparata*: alia tandem sunt,

quæ non reperiuntur, nisi communiter in iis individuis, quæ communiter censentur valde similia, e.g. risus in hominibus, hinnitus in equis, latratus in canibus: & vocantur *accidentia specifica*.

Et ista ultima signum esse possunt differentiæ specifice inter ea, in quorum uno reperiuntur illa accidentia, non autem in altero: & e contra etiam signum ejusdem speciei, si aliqua in his accidentibus conveniant, etsi in aliis disparatis discrepent; hinc, licet canes quoad magnitudinem, colorem, figuram &c. quæ sunt accidentia disparata, multum inter se discrepent; quia tamen conveniunt in latratu, censentur esse ejusdem speciei. videatur Giatinus *qu. 4. Log. a. 6.*

615. Debent tamen ista accidentia specifica stabiliter inesse individuo; nam, quamvis asina Balaam semel rationabiliter loqui audita fuerit, non propterea fuit rationalis, aut homo. Debet etiam eorum præsentia, vel absentia, non posse refundi in causas extrinsecas; nam licet infans nondum ratiocinetur, senex autem ratiocinetur: licet una aqua sit calida, altera frigida, equus unus discolor, alter totus fuscus, Æthiops niger, Germanus albus &c. non propterea differunt specie.

Nam hæc diversitas potest refundi in causas extrinsecas: & quidem in primo exemplo in dispositionem organorum, imperfectam in infante, perfectam in sene; in secundo in ignem uni aquæ, & non alteri admotum: in tertio in varium temperamentum corporum, a quo etiam provenit in hominibus diversitas capillorum, alborum, nigrorum &c. in quarto in nimium calorem, vel siccitatem: aut etiam evaporationem unius regionis, vehementer exsiccantem, comburentem &c. & e contra in frigiditatem, & humiditatem alterius regionis, contrarios effectus producentem: præterquam, quod hæc accidentia ferme omnia sint disparata, ex quibus, ut jam diximus, nihil infertur.

616. Si autem accidentia specifica non possint refundi in causam extrinsecam, & stabiliter insint individuo, vel etiam amissa reparentur, tunc per legitimam inductionem, quam constans experientia facit, infertur, eorum causam, seu radicem esse intrinsecam.

secam. Jam autem radices, intrinseco appetitu determinate, & stabiliter exigentes, vel etiam producentes diversa accidentia, seu proprietates, sunt realiter, & essentialiter dissimiles, adeoque etiam specie diversæ; unde ex talibus accidentibus legitime infertur diversitas specifica talium radicum, seu individuorum. Quænam autem in particulari talia accidentia sint, & quænam possint, quænam non possint refundi in causas extrinsecas, determinari debet a scientia, quæ de illis individuis tractat.

617. Difficultas adhuc restat in assignando signo differentiæ specificæ in accidentibus; neque enim ista, saltem omnia, possunt dici differre per alia accidentia, nisi velimus ire in infinitum. Sed respondetur, quod huic difficultati satisfacere non spectet ad Logicam, cujus est dare definitionem differentiæ: eam autem applicare est illarum scientiarum, quarum objecta sunt individua, sive accidentalia, sive substantialia, de quibus quæstio agitatur. Id solum dico, aliqua accidentia satis manifestare seipsa; nam per se satis patet, specie ab invicem differre calorem, & frigus, dulcedinem, & amaritiem, humiditatem, & siccitatem, albedinem, & nigredinem, & similia. Quidam videntur accidentium istorum differentiam explicare per ordinem ad diversas sensationes, quas causant: at redit statim quæstio de ipsis sensationibus, quæ si vicissim explicentur per ordinem ad accidentia, a quibus causantur, difficulter evitatur circulus vitiosus: sed neque per ordinem ad aliud explicari posse videntur. Accedit, quod juxta axioma philosophicum actus specificentur ab objecto, & non objectum ab actibus.

618. Notandum tandem, non omnia eodem modo differre specie respectu omnium scientiarum, sed aliqua, quæ differunt specie respectu unius scientiæ, sæpe non differre respectu alterius, si scilicet non differant in prædicato, ab ista scientia considerabili: sic furtum nummi aurei, & furtum quatuor florenorum argenteorum cum quibusdam crucigeris, non differunt specie respectu Theologiæ moralis; quia non differunt in malitia furti, quam solam in furto considerat Theologia: at vero differunt specie in consideratione physica, & arithmetica; quia

illa considerat diversitatem materiæ auri, & argenti, ista vero numerum. Ex eadem ratione in consideratione Physicæ differunt circulus aureus, & ferreus, non vero in consideratione Mathematicæ; quia hæc considerat tantum figuram: & e contra in consideratione Mathematicæ differunt cubus aureus, & globus aureus, non vero in consideratione Physicæ; quia hæc tantum considerat metallum.

ARTICULUS VII.

Solvuntur Objectiones.

619. OBjic. 1. Melius dicitur, illa differre specie, quæ differunt in prædicato nobilissimo: ergo debet hic conceptus differentiæ specificæ assignari. prob. ant. prædicatum differentiale est prædicatum determinativum, & quasi forma: prædicatum genericum est determinabile, & quasi materia: sed prædicatum determinativum est nobilius prædicato determinabili, & forma est nobilior materia: ergo prædicatum differentiale est nobilius prædicato generico, adeoque ex essentialibus nobilissimum.

Hunc concepum dicuntur defendere S. Bonaventura *in 2. dist. 9. art. 1. quæst. 1.* & Pallavicinus *in assert. Theolog.* sed de neutro id sat certum est: certe Seraphicus Doctor unitatem speciei in omnibus Angelis non probat ex sola unitate intellectus Deiformis, tanquam optimi prædicati Angelorum, sed ex aliis etiam paritatibus: imo *in corpore* probat eam unitatem specificam ex sola auctoritate S. Dionysii. Pallavicinus autem *in sua Logica manuscripta* videtur amplecti sententiam Cardinalis de Lugo, de qua paulo post *num.* 623. & alias hic conceptus habet contra se communem auctoritatem.

620. Resp. neg. ant. ad prob. dist. min. prædicatum determinativum est nobilius prædicato determinabili, & forma est nobilior materia, seu subjecto, semper simpliciter. neg. min. aliquoties quidem simpliciter, sæpe tamen tantum secundum quid. conc. min. & neg. conseq. Aliquando quidem, e. g. in homine, prædicatum differentiale *rationale* est nobilius, quam prædicatum genericum *animal*: at hoc

hoc non semper contingit, ut patebit ex infra dicendis; unde differentia specifica non potest universaliter statui in diversitate circa prædicatum nobilissimum.

621. Certe S. Thomas 1. *p. q.* 50. *a.* 4. *ad* 1. ait, hac ratione omnia animalia rationalia fore ejusdem speciei; cum in eis non sit *perfectior forma, quam anima sensibilis*: adeoque supponit prædicatum *sensitivum ut sic*, in quo animalia conveniunt, esse perfectius, quam prædicatum *rugibile, hinnibile &c.* quin imo, si determinativum deberet semper esse simpliciter perfectius, aut nobilius, quam determinabile, accidentia determinativa substantiarum ad varias denominationes, deberent esse perfectiora substantiis, quod nemo dicit: & præ omnibus deberet esse nobilissimum prædicatum individuale, quod est præ omnibus ultimo determinativum, quod etiam nemini in mentem venit asserere.

622. Dices. Differentia specifica optime statuitur in ordinatione rerum ad diversos fines: sed hoc ipso statuitur in prædicato nobilissimo: ergo. prob. ma. Deus, & natura, nil faciunt frustra: ergo, ubi ponunt diversam speciem entium, ponunt eam ex diverso fine: ergo in ordinatione ad diversos fines optime statuitur differentia specifica entium. prob. etiam mi. illud prædicatum est in aliquo ente nobilissimum, quod Deus in ipso peculiariter intendit: sed hoc est diversus finis, vel ordinatio ad diversum finem: ergo.

Resp. neg. ma. & mi. ad prob. ma. neg. utramque conseq. quia Deus, & natura nil faciunt frustra, modo in omnibus aliquem finem intendant, etsi non semper diversum; neque enim est imprudens, aut frustraneum, etiam diversa media adhibere ad eundem finem: & certe Deus suam magnificentiam, & liberalitatem ostendit productione diversissimarum creaturarum, & collatione diversissimorum beneficiorum. Ad prob. mi. neg. ma. nam, sicut Deus potest peculiariter intendere entia materialiter perfectiora, vel imperfectiora pro libitu, ita etiam potest peculiariter intendere prædicata minus perfecta. Adde, quod Deus intendat semper totum compositum, exempli gratia, to-

illa considerat diversitatem materiæ auri, & argenti, ista vero numerum. Ex eadem ratione in consideratione Physicæ differunt circulus aureus, & ferreus, non vero in consideratione Mathematicæ; quia hæc considerat tantum figuram: & e contra in consideratione Mathematicæ differunt cubus aureus, & globus aureus, non vero in consideratione Physicæ; quia hæc tantum considerat metallum.

ARTICULUS VII.

Solvuntur Objectiones.

619. OBjic. 1. Melius dicitur, illa differre specie, quæ differunt in prædicato nobilissimo: ergo debet hic conceptus differentiæ specificæ assignari. prob. ant. prædicatum differentiale est prædicatum determinativum, & quasi forma: prædicatum genericum est determinabile, & quasi materia: sed prædicatum determinativum est nobilius prædicato determinabili, & forma est nobilior materia: ergo prædicatum differentiale est nobilius prædicato generico, adeoque ex essentialibus nobilissimum.

Hunc concepum dicuntur defendere S. Bonaventura *in 2. dist. 9. art. 1. quæst. 1.* & Pallavicinus *in assert. Theolog.* sed de neutro id sat certum est: certe Seraphicus Doctor unitatem speciei in omnibus Angelis non probat ex sola unitate intellectus Deiformis, tanquam optimi prædicati Angelorum, sed ex aliis etiam paritatibus: imo *in corpore* probat eam unitatem specificam ex sola auctoritate S. Dionysii. Pallavicinus autem *in sua Logica manuscripta* videtur amplecti sententiam Cardinalis de Lugo, de qua paulo post *num.* 623. & alias hic conceptus habet contra se communem auctoritatem.

620. Resp. neg. ant. ad prob. dist. min. prædicatum determinativum est nobilius prædicato determinabili, & forma est nobilior materia, seu subjecto, semper simpliciter. neg. min. aliquoties quidem simpliciter, sæpe tamen tantum secundum quid. conc. min. & neg. conseq. Aliquando quidem, e. g. in homine, prædicatum differentiale *rationale* est nobilius, quam prædicatum genericum *animal*: at hoc

hoc non semper contingit, ut patebit ex infra dicendis; unde differentia specifica non potest universaliter statui in diversitate circa prædicatum nobilissimum.

621. Certe S. Thomas 1. *p. q.* 50. *a.* 4. *ad* 1. ait, hac ratione omnia animalia rationalia fore ejusdem speciei; cum in eis non sit *perfectior forma, quam anima sensibilis*: adeoque supponit prædicatum *sensitivum ut sic*, in quo animalia conveniunt, esse perfectius, quam prædicatum *rugibile, hinnibile &c.* quin imo, si determinativum deberet semper esse simpliciter perfectius, aut nobilius, quam determinabile, accidentia determinativa substantiarum ad varias denominationes, deberent esse perfectiora substantiis, quod nemo dicit: & præ omnibus deberet esse nobilissimum prædicatum individuale, quod est præ omnibus ultimo determinativum, quod etiam nemini in mentem venit asserere.

622. Dices. Differentia specifica optime statuitur in ordinatione rerum ad diversos fines: sed hoc ipso statuitur in prædicato nobilissimo: ergo. prob. ma. Deus, & natura, nil faciunt frustra: ergo, ubi ponunt diversam speciem entium, ponunt eam ex diverso fine: ergo in ordinatione ad diversos fines optime statuitur differentia specifica entium. prob. etiam mi. illud prædicatum est in aliquo ente nobilissimum, quod Deus in ipso peculiariter intendit: sed hoc est diversus finis, vel ordinatio ad diversum finem: ergo.

Resp. neg. ma. & mi. ad prob. ma. neg. utramque conseq. quia Deus, & natura nil faciunt frustra, modo in omnibus aliquem finem intendant, etsi non semper diversum; neque enim est imprudens, aut frustraneum, etiam diversa media adhibere ad eundem finem: & certe Deus suam magnificentiam, & liberalitatem ostendit productione diversissimarum creaturarum, & collatione diversissimorum beneficiorum. Ad prob. mi. neg. ma. nam, sicut Deus potest peculiariter intendere entia materialiter perfectiora, vel imperfectiora pro libitu, ita etiam potest peculiariter intendere prædicata minus perfecta. Adde, quod Deus intendat semper totum compositum, exempli gratia, to-

tum animal rugibile, & non tantum unum prædicatum.

623. Ob. 2. Clarior esset iste conceptus differentiæ specificæ: Illa differunt specie, quæ differunt notabiliter judicio prudentum: ergo debet assignari. ita Lugo *de pœnit. disp. 3. sec. 2. n. 30.* cui videtur favere Pallavicinus, ut dictum *n. 619.* Resp. neg. ant. Differentia specifica non est extrinseca rei, sicut tamen extrinsecum est judicium prudentum: & sicut esset malus conceptus hominis, vel equi: Illud est homo, vel equus, quod prudentes judicant, esse hominem, vel equum: ita etiam non est bonus hic conceptus differentiæ specificæ; quia nihil reipsa explicat, saltem ita, ut possit tali conceptui acquiescere intellectus, qui vel maxime cupit ulterius intelligere, quodnam sit fundamentum prudentis judicii de differentia specifica: quod fundamentum debet esse rei intrinsecum, & juxta nostram sententiam est dissimilitudo essentialis.

Verum est, quod aliquando debeat appellari ad judicium prudentum, præsertim agendo de differentia specifica actionum moralium, e. g. peccatorum; quia ex hoc judicio aliquando desumendum est, an aliqua sint essentialiter dissimilia, an non: at in talibus casibus judicium prudentum non assignatur pro conceptu differentiæ specificæ, sed ad summum pro regula applicativa conceptus, vel pro aliquo signo differentiæ specificæ: quæ sunt valde diversa.

624. Ob. 3. ex Thomistis. Posset dici, illa differre specie, quæ differunt formaliter, seu per aliquid aliud, quam per ordinem ad materiam sigillatam, sive signatam certis accidentibus, per quem ordinem tantum differunt ea, quæ differunt pure individualiter: ergo debet hoc dici. prob. conseq. hic conceptus est clarior, quam noster: ergo debet præferri. Resp. neg. ant. hic enim conceptus patitur multas difficultates, quas ejus patroni neutiquam tollunt; nam primo ex hoc conceptu infertur, omnes Angelos, cum non habeant ordinem ad materiam, differre specie, quod extra scholam Thomisticam communius negatur.

Secundo etiam infertur, duas apprehensiones, ab eodem Paulo elicitas, & eundem, e. g. Petrum, eodem

dem modo repræsentantes, non distingui solo numero: nisi dicatur, unam respicere materiam, seu objectum ut affectum hac duratione, alteram autem ut affectum alia duratione: quod tamen incongrue diceretur; cum apprehensiones non habeant connexionem cum durationibus suorum objectorum, & multo minus cum durationibus diversis; cum duæ apprehensiones omnino similes utique simul possint præcedere propositionem identicam.

625. Tertio infertur, quod duo gradus ejusdem qualitatis, si sint homogenei (quales eos esse multi valde probabiliter docent, & quorum sententiæ non debet statim hic præjudicari) non possint esse in eodem subjecto; cum nec specie, nec numero distinguerentur. Quarto, quod neque tales gradus possint conservari extra subjectum; quia iterum nullo modo distinguerentur: nisi dicatur, quod exigant diversa subjecta: quod tamen omnino gratis diceretur. Quinto, quod etiam animæ rationales, quæ sunt ejusdem speciei, differant numero per ordinem ad diversas materias: quod difficulter potest admitti; tum quia gratis dicitur, quod Deus animam Petri non potuisset naturaliter infundere corpori Pauli, & vicissim; tum quia, si inter barbaros anthropophagos unus alterum devoret, non nutrietur naturaliter ex materia devorata. Plura alia videntur objici posse huic assertioni, sed hæc sufficiunt.

626. Dices 1. Singula individua habent materiam, diversis accidentibus sigillatam: ergo quodlibet individuum exigit talem sigillationem materiæ: ergo per hanc exigentiam recte explicatur distinctio individualis: & consequenter per alteram magis diversam, seu alterius ordinis exigentiam, recte explicatur differentia specifica. Resp. om. ant. quod quidem de individuis humanis est verum, sed difficulter probari potest de omnibus aliis individuis etiam substantialibus, e. g. lignorum, lapidum, aquæ, olei, & multo minus de individuis accidentalibus. dist. 1. conseq. ergo quodlibet individuum exigit talem sigillationem indeterminate. om. conseq. determinate neg. 1. & 2. conseq.

Multa habentur determinate: at non determinate exiguntur, ut patet in actibus liberis, & infinitis

aliis,

aliis ; unde, nisi probetur, quod individuum quodlibet exigat determinate eam sigillationem suæ materiæ, vel collectionem accidentium, nihil probatur; alias enim eam sigillationem, quam modo habet Petrus, potuit etiam habere Paulus, & sic tatione hujus intrinsece non differunt. Quod spectat ad quandam definitionem Porphyrii (quæ etiam solet hic adduci per modum objectionis) jam dictum est *num.* 600. eam non esse bonam : sed, si etiam omitteretur esse bona, tamen nihil probaret contra nos, ut patet considerantí modo dicta, scilicet, quod aliud sit habere certam collectionem accidentium, aliud eam determinate exigere.

627. Dices 2. Juxta communem modum loquendi, etiam S. Thomæ, illa differunt specie, quæ differunt formaliter: & illa differunt solo numero, quæ differunt materialiter : ergo differentia specifica debet desumi ab ordine ad formam, & differentia numerica ab ordine ad materiam, nempe accidentibus sigillatam. Resp. conc. ant. in sensu mox explicando. neg. conseq. *Formaliter differre* significat differre per aliquod prædicatum, quod ceu forma metaphysica denominat subjectum, seu individuum, essentialiter diversum. *Materialiter differre* significat non differre in tali prædicato, sed in prædicato tantum materialiter se habente, seu nihil conferente ad diversitatem specificam, quale est hæcceitas, seu individualitas : certe *materialiter se habere* apud Philosophos sæpissime significat, non venire ad rem, non esse considerabile, & similia.

628. Objic. 4. Convenientius diceretur, illa differre specie, quæ sunt inæqualia in perfectione: ergo debet hoc dici: & ita docet S. Thomas 1. *p. qu.* 47. *art.* 2. *in corp. & l.* 3. *contra gent. cap.* 97. item Suarez *tom.* 2. *Metaph. disp.* 29. *sect.* 3. *n.* 16. quamquam non adeo firmiter huic sententiæ adhæreat : citantur etiam Vasquez, Conimbricenses, & alii. prob. ant. essentiæ rerum se habent, sicut numeri, ut habet Aristoteles 8. *Metaph. text.* 10. sed numeri non sunt dissimiles, nisi sint inæquales : ergo nec essentiæ.

Resp. neg. ant. &, cum hæc quæstio non sit proprie de nomine, cum reverentia a citatis auctoribus recedo, uti communissime de facto recedunt etiam alii. Certe multa communissime censentur differre specie, de quibus tamen omnibus non potest dici, & minus adhuc potest probari, quod sint inæqualia in perfectione; nam imprimis personæ divinæ (quidquid sit, an specie differant, an non) nequeunt dici in perfectione inæquales : consequenter etiam dici non possunt in perfectione inæquales actus fidei, vel charitatis, quorum aliqui ad unam, alii ad alteram personam divinam, eadem cum intensione terminantur.

629. Sed & de pluribus aliis speciebus creatis minime potest probari, eas esse inæquales in perfectione : certe hoc probabilius falsum de plurimis, aut saltem incertissimum est : sane judicamus omnes, specie differre bovem, & cervum, pomum, & pyrum, passerem, & hirundinem : & tamen probari non potest, ista esse inæqualia in perfectione : interim tamen conceptus, definitivus rei certæ, non debet fundari in aliquo tam incerto. Ulterius, sicut artifices creati possunt facere artefacta specie diversa, æqualiter tamen æstimabilia, ut e. g. pictor picturam, statuarius statuam, quarum quælibet in suo genere sit tam perfecta, ac altera, ita etiam potest Deus omnipotens producere naturas specie diversas, sed in perfectione æquales.

630. Ad prob. dist. maj. essentiæ rerum se habent sicut numeri quoad aliqua. conc. maj. quoad omnia. neg. maj. & conc. min. neg. conseq. Si esset omnimoda paritas, tunc, sicut numerus minor differt a majore per puram negationem, ita etiam essentia una distingueretur ab altera per puram negationem, adeoque equus differret ab homine per puram negationem rationalitatis, & homo haberet omnia prædicata positiva equi, consequenter etiam hinnibilitatem : quod est per se falsum.

Conveniunt itaque essentiæ, & numeri in hoc (ut explicat Aristoteles *loc. cit.*) quod, sicut numerus mutatur, addita, vel dempta unitate, ita etiam mutetur essentia, addito, vel dempto prædicato. Eodem modo dicendum, quod non sit omnimoda paritas, inter diversas species ex una, & habitum, ac privationem ex altera parte; nec enim omnimodam

dam Aristoteles asserit : sed paritas stat tantum in hoc, quod, sicut habitus, & privatio, non possunt simul esse in eodem subjecto, ita neque possint esse duæ species in eodem individuo.

631. Dices 1. Quæ differunt specie, differunt in quantitate perfectionis : sed, quæ differunt in quantitate, sunt inæqualia : ergo, quæ differunt specie, sunt inæqualia in perfectione. prob. ma. Sanctus Augustinus docet, quod in essentiis idem sit, esse tantum, & esse tale : ergo essentiæ, differentes in specie, seu in taleitate, differunt etiam in tanteitate, seu quantitate. Resp. om. ma. dist. mi. quæ differunt in quantitate continua, vel discreta, sunt inæqualia. om. mi. quæ differunt in quantitate perfectionis. subdist. sunt aliquando inæqualia. conc. mi. sunt semper, & necessario inæqualia. neg. mi. & conseq. ad prob. dist. conseq. ut prius. differunt in quantitate discreta, vel continua. neg. conseq. in quantitate perfectionis. conc. conseq.

632. Quantitas discreta est numerica : quantitas continua est extensio in longitudinem, latitudinem &c. & quæ in his differunt, sunt inæqualia, si nempe unum habet majorem numerum, quam alterum, vel unum majorem longitudinem, quam alterum : quamvis in hac quantitate videatur posse aliquando compensari defectus longitudinis per excessum latitudinis. Sed quidquid de hoc sit, quantitas perfectionis, nec est continua, nec discreta, sed est quantitas æstimabilitatis, seu magnitudo perfectionis : quæ, licet non sit inæqualis, potest tamen esse dissimilis, ut *a n.* 628. probatum est.

633. Dices 2. Quantitas hæc æstimabilitatis, seu perfectionis, est participatio ejusdem simplicissimi entis, scilicet Dei : ergo non potest esse dissimilis, & simul æqualis. Resp. neg. conseq. Participatio hæc non est stricte physica ; nam creaturæ non sunt particulæ divinitatis : sed sunt tantum imitationes, seu imagines : possunt autem ejusdem simplicissimi entis imitationes, vel imagines esse in perfectione æquales, & tamen dissimiles : sicut in artificialibus possunt imago picta, & imago sculpta, ejusdem hominis esse æquales in pretio, & perfectione ; quamvis sint dissimiles. Adde, quod Deus, cujus

cujus imitationes sunt creaturæ, licet sit ens simplicissimum, tamen etiam sit æquivalenter infinite multiplex, adeoque infinities diversis modis imitabile, vel participabile.

634. Dices 3. Non possunt duo identificari eidem tertio, nisi etiam identificentur inter se : ergo etiam non possunt duo esse æqualiter similia eidem tertio, nisi etiam sint æqualiter similia inter se. Resp. neg. conseq. Identitas realis stat in indivisibili, nec capit magis, & minus : at vero similitudo capit magis, & minus ; unde non est paritas. Sic Angelus, & homo sunt similiores inter se, quam Angelus, & leo : vicissim etiam leo est similior homini, quam Angelo : ergo leo, & Angelus, sunt similiores eidem tertio, quam inter se.

Dices 4. Non possunt duo distare dissimiliter ab iisdem locis, quin distent inæqualiter : ergo neque possunt duo distare dissimiliter a Deo, & nihilo, quin distent inæqualiter. Resp. neg. ant. Si intelligitur distantia ab omnibus omnino locis, talia duo non distant æqualiter, sed prorsus eadem distantia ; nam sunt in eodem loco : si autem intelligitur tantum distantia ab aliquibus locis, potest unum distare tantum dextrorsum, quantum alterum distat sinistrorsum : & sic erunt distantiæ dissimiles (quia erunt ubicationes diversæ classis) & tamen erunt æquales.

635. Dices 5. Quæ sunt æqualia, possunt commensurari : sed quæ possunt commensurari, sunt ejusdem rationis, seu similia : ergo, quæ sunt æqualia, sunt similia : ergo e contra, quæ sunt dissimilia, sunt inæqualia. Resp. dist. min. sunt ejusdem rationis, seu similia in aliqua commensurabilitate. conc. min. sunt similia in commensurabilitate speciei, sive in ipsa perfectione specifica infima. neg. min. & conseq. Mensura vini, & mensura aquæ, etiam sunt æqualiter commensurabiles, quin sint ejusdem speciei, vel ejusdem perfectionis specificæ.

Dices 6. Inter species necessarius est ordo : ergo debent esse inæquales in perfectione. Resp. neg. conseq. Juxta S. Augustinum *l.* 19. *de Civit. c.* 13. *Ordo est parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio* : quæ est definitio proprie ordinis localis : ex qua tamen desumitur definitio ordinis *in*

genere

genere communiter recepta, nempe hæc: *Ordo est parium, impariumque dispositio*; unde, si aliquæ species in perfectione sunt pares, aliæ impares, habetur sufficientissimus ordo: sicut etiam habetur in exercitu, etsi non quælibet turma sit alteri subordinata, modo tandem omnes sint subordinatæ supremo duci.

636. Objic. 5. directe contra nostram conclusionem. Etiam solo numero distincta sunt essentialiter dissimilia: sed non differunt specie: ergo nostra conceptus non convenit soli. prob. maj. etiam solo numero distincta differunt in prædicato hæcceitatis, seu individuali: ergo sunt essentialiter dissimilia. Resp. neg. maj. ad prob. neg. conseq. Similitudo essentialis omnimoda, & perfecta, non petit, ut similia conveniant in prædicato hæcceitatis, seu individuali; alias nunquam duo possent esse omnimode essentialiter similia; cum duo necessario differant in hæcceitatibus: & tamen juxta communissimam individua ejusdem speciei infimæ censentur esse essentialiter omnino similia: quinimo juxta omnes similitudo quævis, etiam maxima, involvit duo.

Equidem de Benedictis *l. 2. Log. qu. 2. cap. 7.* contendit, non posse duo discerni, nisi sint essentialiter dissimilia: sed non sufficienter probat; neque enim ex eo, quod habeant distincta prædicata, sequitur, quod habeant dissimilia: discerni autem possunt ratione accidentium, vel intrinsecorum, vel etiam extrinsecorum, loci, temporis &c. vel etiam cognoscendo immediate ipsas hæcceitates, uti Deus immediate cognoscit omnia individua.

637. Dices 1. Ex nostra assertione saltem sequeretur, quod uniones Petri, & uniones Pauli, differant specie: hoc est contra communem: ergo. prob. maj. priores uniones sunt essentialiter affixæ Petro, & posteriores Paulo: ergo differunt in prædicato essentiali. Idem potest fieri argumentum de ubicationibus, & durationibus Petri, & Pauli: item de cognitionibus, tantum diversis ratione objectorum individualiter distinctorum. Resp. neg. maj. ad prob. conc. ant. dist. conseq. differunt in prædicato essentiali non constituente dissimilitudinem. conc. conseq. in prædicato essentiali constituente dissimilitudinem. neg. conseq.

638. Si

638. Si petas, quid ergo requiratur ad hoc, ut prædicatum constituat dissimilitudinem entitativam, respondeo, debere esse prædicatum identificatum, per se ab aliqua scientia considerabile, quale tamen non est prædicatum individuale, vel individui respectivum; nam dissimilitudo stat in eo, quod aliqua non possint substare omnibus iisdem conceptibus confusis, per quæ confunduntur objecta a scientiis, ratione prædicatorum ab ipsis considerabilium; ut enim dictum est *num.* 618. aliqua differunt specie respectu alicujus scientiæ, non item alia, quæ tamen differunt respectu alterius scientiæ; quia scilicet illa priora differunt in prædicatis ab illa scientia considerabilibus, non autem ista posteriora. Si ergo duæ res non differunt in ullo prædicato, ab aliqua scientia considerabili, non sunt censenda differentia specie, aut essentialiter dissimilia.

639. Quod autem prædicata superius memorata, *essentialiter affixum Petro*, *essentialiter affixum Paulo*, non considerentur a scientiis, probatur ex eo, quod scientiæ per se non considerent singularia ut singularia; ex hoc enim sequitur, quod neque considerent hæc prædicata *distinctum ab hoc singulari*, *affixum huic singulari*; hæc enim prædicata non possunt rite considerari, nisi considerentur etiam ipsa singularia. Non tamen hinc inferas, hac ratione neque per se a scientiis consideratum iri hoc prædicatum *prædicabile de pluribus solo numero differentibus*, quod tamen constituit essentialem dissimilitudinem inter speciem, & genus; nam hoc prædicatum non dicit unum individuum ut tale, sed totam collectionem omnium individuorum, in una ratione specifica convenientium, quales collectiones utique a scientiis considerantur.

640. Dices 2. Istæ uniones differunt in prædicato essentiali pluribus communicabili: ergo sunt essentialiter dissimiles. ant. prob. prædicatum hoc *affixum Paulo*, vel *affixum Petro*, competit pluribus unionibus Petri, & pluribus Pauli, quæ possibiles sunt: ergo. Resp. neg. conseq. ad prob. ant. conc. totum, quod non est contra nos; non enim negamus ant. sed conseq. Non bene statuitur differentia specifica in prædicato pluribus communicabili. Primo; quia huc

con-

conceptus præjudicat sententiæ probabili S. Thomæ, & Thomistarum, docentium, Angelos omnes differre specie, adeoque ratione prædicati non communicabilis pluribus. Secundo; quia præjudicat etiam sententiæ eorum, qui volunt, personas divinas inter se differre specie: & certe Suarez *tom. 2. Metaph. disp. 29. sect. 3. num. 16.* docet, personas divinas, ut relationes sunt, esse dissimiles: adeoque huic sententiæ videtur favere, ut colligi potest ex dictis *num. 584.*

Tertio; quia sequeretur, quod etiam Petrus, & Paulus, inter se differant specie; nam Petrus habet hoc prædicatum *distinctus a Paulo*, quod est communicabile cum omnibus, excepto Paulo: & vicissim Paulus habet hoc prædicatum *distinctus a Petro*, quod vicissim est communicabile cum omnibus excepto Petro: hoc autem est contra omnes: adeoque ad dissimilitudinem specificam non sufficit talis differentia, sed requiritur alia, quæ explicata est *num. 638.*

641. Dices 3. Juxta nostra responsa debet admitti differentia media inter specificam, & individualem: hoc est contra communem: ergo. Resp. hanc quæstionem esse de voce. Si per differentiam individualem intelligitur differentia in prædicato, quod præcise de uno singulari prædicabile est, & nullo modo pluribus communicabile, dabitur talis differentia media: & talem mediam differentiam debent omnes admittere, qui negant, personas divinas differre inter se specie; non enim tantum differunt numerice; alias essent tres Patres, & tres Filii &c. quod dicere esset hæresis. Si autem per differentiam individualem intelligitur omnis illa, quæ non est specifica, non dabitur differentia media: & ita videtur communiter intelligi differentia individualis, saltem in creatis; unde, quando communiter dicitur, ea differre individualiter, quæ differunt solo numero, id ideo dicitur, quia differentia altera in creatis non curatur a scientiis, adeoque omnia se habent, ac si pure solo numero differrent. Dico in creatis; nam differentia personarum in divinis vel maxime curatur a Theologia.

642. Objic. 6. Juxta nostram sententiam homo per prædicatum *risibile* differret specie ab aliis animalibus: sed hoc est falsum: ergo. prob. min. si homo per hoc prædicatum differret specie ab aliis, bona esset definitio: *Homo est animal risibile*: sed hoc nemo dicit: ergo. Resp. neg. min. ad prob. dist. maj. esset illa definitio bona utcumque, ita, ut conveniret omni, & soli. conc. maj. esset omnino exacta. neg. maj. & dist. sic min. neg. conseq.

Definitio omnino exacta debet fieri per prædicatum differentiale primarium, quod explicat primarias operationes in objecto definito, adeoque in homine ratiocinationes: quod prædicatum insuper est radix metaphysica cæterorum prædicatorum, & ideo dicitur specialiter essentiale, per hoc intelligendo, non tantum prædicatum identificatum, sed illud, quod specialius, & perfectius exprimit essentiam. Et, si tale prædicatum inveniri potest, utique per id constituitur melior definitio: cumque in confesso sit, quod rationale in homine sit tale prædicatum, utique merito præ risibili, vel aliis, ad definitionem adhibitum est. Quod si autem (ut puto sæpe fieri, ex ignorantia prædicati differentialis primarii) in definitione minus perfecta pro differentiali primario adhibeatur prædicatum quarto modo proprium, realiter identificatum definito, tunc illud proprium prædicatur in quale, non tantum convertibiliter, sed etiam suo modo essentialiter.

ARTICULUS VIII.

An sit possibilis Species Creata Immultiplicabilis.

643. IN divinis paternitatem, licet immultiplicabilem, plusquam individualiter distingui a filiatione, & spiratione passiva, etiam immultiplicabilibus, & has vicissim ab illa (quidquid sit de distinctione stricte specifica) jam diximus *n. 584.* Hic quæritur, an in creatis possit dari species immultiplicabilis, seu individuum aliquod, quod essentialiter excludat aliud ipsi essentialiter omnino simile: quæ species, cum esset pure subjicibilis, non esset universale ex dictis *num. 584.*

Potest autem hæc quæstio dupliciter fieri; vel enim potest quæri, an possit dari individuum, quod sim-

simpliciter non admittat ullum aliud individuum sibi omnino simile: vel potest quæri, an sit possibile individuum, quod non admittat ullum aliud individuum omnino simile copulative, sed tamen admittat disjunctive: id est, essentialiter exigat, ut vel ipsum solum existat, vel aliud ei omnino simile solum: nunquam autem duo simul existant: & in hoc secundo sensu quæstio hæc est longe intricatior, nec potest explicari sine explicatione decretorum Dei, quæ sunt supra Logicam; unde, qui hujus rei notitiam desiderat, videat Giatinum *quæst.* 4. *art.* 7. *§. Subtilior.*

644. Nobis sufficit indagare, an possibilis sit species creata simpliciter absolute immultiplicabilis, ita, ut unum tantum individuum determinatum existere possit, & nullum aliud. Thomistæ talem speciem non tantum asserunt possibilem, verum volunt, eam actu dari, & non unam tantum, sed innumeras, quot nempe sunt Angeli; nam juxta ipsos, e. g. S. Michael habet tale prædicatum specificum, quale nullus alius Angelus habere potest, & simile prædicatum habet quivis alius Angelus: favet etiam S. Thomas 1. *p. qu.* 50. *art.* 4. *in corp.* huic sententiæ: sed alii communiter defendunt oppositum, cum quibus

645. Dico. Nulla species creata est simpliciter immultiplicabilis. Prob. conclusio. Nulla datur creatura, cui Deus non possit producere omnino similem: ergo. prob. ant. quoad producibilia semper standum est pro omnipotentia Dei, ita, ut nihil debeat asseri improducibile, nisi specialis ratio pro ea assertione possit afferri: ergo etiam non debent asseri improducibilia plura individua in eadem specie creata, nisi specialis ratio possit afferri, quæ positive probet, non posse plura talia individua produci: atqui adversarii talem rationem non afferunt: ergo. antecedens est receptum communissime; unde omnibus usitata est argumentatio: *Non implicat: ergo est possibile:* consequentia est clara: subsumptum, de quo solo videtur posse esse dubium, probatur solutione objectionum.

646. Hac occasione noto, sensum hujus argumentationis: *Non implicat: ergo est possibile:* non esse identicum, & quasi nugatorium, quem verba videntur

tur præseferre, sed hunc bonum, & legitimum: *Viri docti post maturam, & diligentem rei considerationem, non inveniunt in ea contradictoria: ergo probabilius nulla dantur.* Sane, sicut si periti Medici post diligentem inquisitionem nullum inveniunt morbum: si periti rei monetariæ post similem diligentiam non inveniunt nummum falsum, probabilius nullus adest: ita etiam, si viri docti, seu periti compossibilitatis, vel contrarietatis prædicatorum, post sedulam indagationem non inveniunt contrarietatem, vel contradictionem inter prædicata, probabilius nulla adest.

647. Objic. 1. Non implicat species immultiplicabilis: ergo est possibilis. Resp. 1. invertendo argumentum: Non implicat individuum perfecte simile cuilibet alteri individuo creato: ergo est possibile, & e contra species immultiplicabilis est impossibilis. Resp. 2. neg. ant. Ens creatum, limitans, & restringens omnipotentiam Dei, sufficienter implicat; nam omnipotentia Dei, utpote infinita, debet extendi, quantum potest: species autem immultiplicabilis restringeret omnipotentiam Dei; quia excluderet eam a productione individui similis.

Dices 1. Non limitatur omnipotentia Dei, dicendo, quod non possit producere aliquid improducibile: ergo neque limitatur dicendo, quod non possit multiplicare aliquid immultiplicabile. Resp. dist. ant. non limitatur omnipotentia Dei ita dicendo, si jam aliunde probata sit improducibilitas illius rei. conc. ant. secus. neg. ant. & dist. etiam conseq. si jam aliunde probata sit immultiplicabilitas. conc. conseq. secus. neg. conseq.

648. Certe non licet statim alicui enti affingere improducibilitatem, & sic ipsum extrahere ex sphæra omnipotentiæ divinæ, sed debet aliis rationibus prius probari ejus implicantia, & tunc primum asseri improducibilitas: at ita etiam debet prius aliunde probari immultiplicabilitas, & tunc primum asseri impossibilis multiplicitas: nempe immultiplicabilitas fundatur in prædicato priore, sicut improducibilitas: & sicut ad probandum, aliquid esse improducibile, debet in eo ostendi aliquod prædicatum, ratione cujus non possit produci: ita etiam ad probandum,

bandum, aliquid esse immultiplicabile, debet in eo ostendi aliquod prædicatum, ratione cujus non possit multiplicari: adeoque adversarii debent suam sententiam positive probare, quod tamen sufficienter non faciunt.

649. Dices 2. Tamen bona est argumentatio ista: *Non implicat homo, qui non sit hinnibilis: ergo est possibilis:* ergo etiam bona est ista: *Non implicat individuum, quod non sit multiplicabile: ergo est possibile.* Resp. 1. quare ergo non etiam bona est ista argumentatio: *Non implicat homo, qui non sit rationalis: ergo est possibilis?* Reponent, homini esse essentiale prædicatum *rationale*, adeoque non posse simul in eodem esse ejus contradictorium. Sed pariter dico, cuilibet individuo creato esse essentiale prædicatum *multiplicabile*, adeoque non posse simul esse immultiplicabile. Resp. 2. neg. conseq. Prima argumentatio est bona; quia aliunde rationibus efficacibus probatur, prædicatum *hinnibile* non esse necessarium homini, sed potius ei repugnare: at non probatur aliunde ab adversariis, etiam repugnare alicui creaturæ prædicatum *multiplicabile*.

650. Dices 3. Nos non admittimus tot species entium possibiles, quot admittunt adversarii: ergo limitamus omnipotentiam Dei. prob. ant. non admittimus speciem immultiplicabilem, quam adversarii admittunt: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. non admittimus speciem ut immultiplicabilem, seu non asserimus, eam esse immultiplicabilem. conc. ant. non admittimus illam speciem, quam adversarii falso dicunt, esse immultiplicabilem. neg. ant. & conseq. Nos admittimus tot species possibiles, quot admittunt adversarii; nam admittimus etiam illas, quas ipsi dicunt, esse immultiplicabiles: & admittimus etiam illa prædicata, quæ ad eas species juxta communem sensum doctorum pertinent: e. g. admittimus possibiles omnes Angelos, quos adversarii admittunt, & dicunt esse species immultiplicabiles: item admittimus in Angelis omnia ea prædicata, quæ communiter ipsis tribuuntur: negamus autem ista prædicata angelica (& eadem ratio est de prædicatis quorumcumque individuorum creatorum) esse opposita multiplicationi: & hinc merito etiam

etiam negamus in Angelis (& ex eadem ratione in aliis speciebus creatis) immultiplicabilitatem.

651. Ob. 2. Omnia individua cujuslibet speciei, adeoque etiam substantiæ spirituales completæ, seu Angeli, debent a se invicem posse discerni, ne oriatur confusio in universo: sed istæ substantiæ non possunt a se invicem discerni, nisi inter se differant specie: ergo. Resp. ma. non esse extra omne dubium; cum plura, e. g. gramina, saxa, arenæ &c. non videantur saltem ab homine posse discerni: sed om. ma. neg. mi.

Imprimis intellectus divinus comprehendit ipsam individuationem, nec indiget signo distinctivo, ad discretionem unius ab altero: intellectus autem creatus potest discernere etiam unum Angelum ab altero, ratione diversorum accidentium spiritualium, sicut discernit e. gr. unum hominem ab altero, ratione diversorum accidentium materialium: certe Deus, sicut potest substantias materiales instruere diversis accidentibus materialibus, ita etiam potest substantias spirituales instruere accidentibus spiritualibus: qualia autem ista accidentia sint, equidem in individuo, vel specie infima, determinare non ausim; dico tamen, posse esse similia characteribus sacramentalibus, qui sunt qualitates spirituales animalibus impressæ.

652. Dices 1. Angeli debent esse inter se discernibiles pro priori, seu antequam habeant aliquam collectionem accidentium: ergo non discernuntur ratione accidentium. prob. ant. Deus debet posse huic præ altero Angelo conferre certam aliquam collectionem accidentium: ergo debet eos pro priori discernere. Resp. Hoc argumentum videtur probare, etiam entia materialia debere pro priori ad sua accidentia differre specie: sed hoc omisso dist. ant. Angeli debent pro priori esse discernibiles a Deo. conc. ant. ab aliis Angelis, seu creaturis. neg. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. conseq. Jam diximus, Deum discernere ipsam rationem individualem; quia eam perfectissime comprehendit.

653. Ob. 3. Formæ non multiplicantur numero, nisi ratione diversorum subjectorum: ergo substantiæ spirituales completæ, quæ non habent subjectum,

ctum, non differunt solo numero. Resp. neg. ant. quod non probatur. Quantitas unius hostiæ consecratæ differt numero a quantitate alterius, quamvis non adsit earum subjectum; vel, si velis, quantitatem identificari cum materia prima, adeoque non amplius adesse in SS. Eucharistia, redit argumentum de aliis accidentibus, post consecrationem plurium hostiarum remanentibus. Addo tandem, quod, si Aristoteles 12. *Metaph. text.* 49. vere sentiat, omnia solo numero distincta debere habere materiam, in hac quæstione de re potius standum sit in ratione.

DISPUTATIO IV.

De Prædicamentis.

654. POst Isagogen Porphyrii explicandus venit Aristotelis *Liber Prædicamentorum*, qui in tres tractatus dividitur, scilicet in *Antiprædicamenta*, *Prædicamenta*, & *Postprædicamenta*: & in primo quidem tractatu agitur de univocis, æquivocis, denominativis &c. in secundo de decem prædicamentis, quæ inferius afferemus: in tertio vero de oppositis, prioritate, simultate, motu, & habitu. Quia tamen plura ex iis, quæ in his tractatibus traduntur, vel jam sufficienter explicata sunt in Summulis, vel necessaria non sunt, vel alibi commodius pertractantur, nos hac disputatione, & prima ejus quæstione, tantum agemus de concretis, & denominationibus: secunda vero quæstione, post brevem explicationem quorumdam prædicamentorum, vel potius terminorum prædicamentalium, agemus de prædicamento relationis.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

De Denominationibus, & Concretis.

ARTICULUS I.

Quid sit, & quotuplex Denominatio, aut Concretum.

655. ARistoteles *tr.* 1. *de Prædicam. c.* 1. sic ait: *Denominativa vero dicuntur, quæcumque ab aliquo differentia casu secundum nomen habent appellationem, ut a Grammatica Grammaticus*: id est: Denominativa sunt nomina adjectiva, ab aliis nominibus deducta, quæ, ut bene explicat Maurus *in hunc locum*, differunt casu, seu dicunt in obliquo illud nomen, a quo derivantur: e.g. *Grammaticus* qui derivatur a *Grammatica*, explicatur *homo callens Grammaticam*. Hæc *denominativa* vocantur etiam, & forte modo communius *denominationes*.

Debent autem denominativa esse concreta accidentalia, ut est communis, & probant Albertus Magnus, ac Toletus apud Conimbricenses *in c.* 1. *prædicam. qu.* 2. *a.* 2. quamvis autem isti eorum probationem non videantur approbare, tamen etiam asserunt, denominativa debere esse subjecto denominato accidentaria, ita, ut forma subjecto denominato non sit identificata: & sic habet se (quod est exemplum Aristotelis) Grammatica, a qua homo denominatur Grammaticus. Unde concreta metaphysica, stricte loquendo, non possunt vocari denominationes: quamvis forte hic rigor loquendi non semper observetur.

656. Dicuntur autem aliæ *denominationes formales*, aliæ *objectivæ*. Illæ sunt termini, voces, vel conceptus, qui prædicantur de objectis: istæ sunt ipsa objecta, quæ per conceptus, vel voces significantur. Item dicuntur aliæ *denominationes simultaneæ*, aliæ *successivæ*. Illæ exigunt omnes partes simul dari, ut *homo*, *equus*, *domus*; nam e.gr. non dicitur dari domus, si non simul existant muri, tectum &c. sed hodie tantum muri, cras solum te-

ctum, non differunt solo numero. Resp. neg. ant. quod non probatur. Quantitas unius hostiæ consecratæ differt numero a quantitate alterius, quamvis non adsit earum subjectum; vel, si velis, quantitatem identificari cum materia prima, adeoque non amplius adesse in SS. Eucharistia, redit argumentum de aliis accidentibus, post consecrationem plurium hostiarum remanentibus. Addo tandem, quod, si Aristoteles 12. *Metaph. text.* 49. vere sentiat, omnia solo numero distincta debere habere materiam, in hac quæstione de re potius standum sit in ratione.

DISPUTATIO IV.

De Prædicamentis.

654. POst Isagogen Porphyrii explicandus venit Aristotelis *Liber Prædicamentorum*, qui in tres tractatus dividitur, scilicet in *Antiprædicamenta*, *Prædicamenta*, & *Postprædicamenta*: & in primo quidem tractatu agitur de univocis, æquivocis, denominativis &c. in secundo de decem prædicamentis, quæ inferius afferemus: in tertio vero de oppositis, prioritate, simultate, motu, & habitu. Quia tamen plura ex iis, quæ in his tractatibus traduntur, vel jam sufficienter explicata sunt in Summulis, vel necessaria non sunt, vel alibi commodius pertractantur, nos hac disputatione, & prima ejus quæstione, tantum agemus de concretis, & denominationibus: secunda vero quæstione, post brevem explicationem quorumdam prædicamentorum, vel potius terminorum prædicamentalium, agemus de prædicamento relationis.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA.

De Denominationibus, & Concretis.

ARTICULUS I.

Quid sit, & quotuplex Denominatio, aut Concretum.

655. ARistoteles *tr.* 1. *de Prædicam. c.* 1. sic ait: *Denominativa vero dicuntur, quæcumque ab aliquo differentia casu secundum nomen habent appellationem, ut a Grammatica Grammaticus*: id est: Denominativa sunt nomina adjectiva, ab aliis nominibus deducta, quæ, ut bene explicat Maurus *in hunc locum*, differunt casu, seu dicunt in obliquo illud nomen, a quo derivantur: e.g. *Grammaticus* qui derivatur a *Grammatica*, explicatur *homo callens Grammaticam*. Hæc *denominativa* vocantur etiam, & forte modo communius *denominationes*.

Debent autem denominativa esse concreta accidentalia, ut est communis, & probant Albertus Magnus, ac Toletus apud Conimbricenses *in c.* 1. *prædicam. qu.* 2. *a.* 2. quamvis autem isti eorum probationem non videantur approbare, tamen etiam asserunt, denominativa debere esse subjecto denominato accidentaria, ita, ut forma subjecto denominato non sit identificata: & sic habet se (quod est exemplum Aristotelis) Grammatica, a qua homo denominatur Grammaticus. Unde concreta metaphysica, stricte loquendo, non possunt vocari denominationes: quamvis forte hic rigor loquendi non semper observetur.

656. Dicuntur autem aliæ *denominationes formales*, aliæ *objectivæ*. Illæ sunt termini, voces, vel conceptus, qui prædicantur de objectis: istæ sunt ipsa objecta, quæ per conceptus, vel voces significantur. Item dicuntur aliæ *denominationes simultaneæ*, aliæ *successivæ*. Illæ exigunt omnes partes simul dari, ut *homo*, *equus*, *domus*; nam e.gr. non dicitur dari domus, si non simul existant muri, tectum &c. sed hodie tantum muri, cras solum te-

ctum &c. at *successivæ* non exigunt omnes partes simul dari, ut *annus*, *mensis*, *senex*; nam omnes dicimus, nunc dari hunc, vel illum annum, quin tamen omnes ejus partes, seu dies, simul dentur. Item dicuntur aliæ *denominationes intrinsecæ* aliæ *extrinsecæ*. Illæ sunt concreta physica, quorum forma est intrinsece unita subjecto, e. g. *calidus*, *albus*, *amarus*: istæ sunt concreta logica, quorum forma est extrinseca subjecto, e. g. *visus*, *cognitus*, *depictus*. Et de his denominationibus extrinsecis lis est, in quo consistant, aut ex quibus partibus constituantur.

Thomistæ a quibusdam dicuntur velle, ista concreta extrinseca, seu denominationes extrinsecas, esse entia rationis, seu constitui per aliquam relationem ab intellectu confictam, quæ detur inter cognoscentem, & rem cognitam. Sed alii negant, hanc esse Thomistarum sententiam. Scotistæ vero dicuntur adstruere aliquam entitatulam diminutam: Mastrius tamen *disp. 2. Log. qu. 6. nu. 90.* longe aliter sentientem inducit Scotum, aliique etiam Scotistæ hanc sententiam rejiciunt. Nostri autem communiter docent, denominationes hasce extrinsecas haberi per subjectum, ac formam extrinsecam, & aliquam hujus unionem moralem cum subjecto, vel respectum intentionalem ad istud.

657. Dico cum his ultimis auctoribus. Denominationes extrinsecæ consistunt in subjecto, & forma extrinseca, moraliter illi unita, vel intentionaliter illud respiciente. Prob. conclusio. Nulla est necessitas ullius relationis fictæ, multo minus entitatulæ diminutæ: sed absque his, habito tantum subjecto, ac forma, extrinseca quidem, sed tamen moraliter, sive secundum moralem existimationem subjecto unita, vel istud respiciente, habetur tota denominatio cogniti, visi, amati, doctoris, prætoris &c. ergo.

Confir. præsertim in ordine ad entitatulam diminutam. Adversarii neque possunt dicere, quod illa entitas sit realis, nec possunt dicere, quod non sit realis: ergo omnino non datur. prob. ant. si dicunt esse realem, debet realiter produci: atqui non est assignabilis causa entitatis diminutæ in Turcarum ex. gr. Sultano, quando de eo cogito, atque adeo

adeo eum cognosco: minus potest dici, quod talis entitatula producatur in Deo, quando eum cogito, vel eum amo: ergo.

Neque dicant, quod talis entitatula emanet ex subjecto recipiente denominationem; nam in Deo non habet locum talis emanatio, imo nec in aliis entibus; nam emanatio *ex num.* 383. est revera productio: adeoque deberet talis entitatula, vel produci per eandem actionem cum subjecto, & huic identificari, quod in his casibus fieri non potest: vel deberet ab ipso subjecto produci: & quæso, quis determinabit Turcarum Sultanum ad producendam in se entitatulam, quando ipsum cognosco? Si vero dicant, eam entitatulam non esse realem, debet esse aliquid pure formale: & sic incidunt adversarii in sententiam dictam Thomisticam, quam nolunt: medium autem ens inter reale, & pure formale, merito negatur.

658. Ob. 1. Nulla forma potest tribuere denominationem subjecto, nisi se communicet subjecto: atqui non potest se huic communicare, nisi sit intrinseca: ergo forma non potest tribuere denominationem, nisi sit intrinseca. Resp. 1. Fictio intellectus, aut relatio ficta, cum nihil sit, intrinseca esse non potest. Resp. 2. dist. ma. nulla forma potest tribuere denominationem, nisi se communicet subjecto, juxta exigentiam denominationis. conc. ma. contra, vel supra exigentiam denominationis. neg. ma. & dist. mi. non potest se ita communicare, nisi sit intrinseca, si denominatio est intrinseca. conc. mi. si est tantum extrinseca. neg. mi. & conseq.

659. Dices. Si forma extrinseca potest tribuere denominationem, etiam anima separata poterit corpus denominare vivens, & cognitio, qua cognoscitur Paulus, poterit eum denominare cognoscentem: hoc est falsum: ergo. Resp. neg. ma. & quæro, quare istæ denominationes non possint haberi per entitatulam diminutam, vel relationem fictam. Scilicet, ut adversarii, ita & nos dicimus, disparitatem esse inter ipsas denominationes; nam aliquæ istarum dicuntur physicæ, & intrinsecæ, aliæ logicæ, & extrinsecæ: illæ exigunt formas intrinsecas, seu physice unitas: istæ non exigunt tales formas, sed

tantum formas extrinsecas, modo aliquo morali unitas subjecto, vel certo modo illud respicientes.

660. 2. Omnis forma debet informare subjectum: sed non potest illud informare, nisi fuerit ipsi physice unita: ergo omnis forma debet esse subjecto physice unita: atqui, quando dantur denominationes extrinsecæ, nihil datur physice unitum subjectis, nisi entitas diminuta: ergo. ma. habetur ex ethymologia nominis. mi. videtur etiam clara, nec minus patere subsumptum: ergo. Resp. dist. ma. omnis forma stricte, & physice talis, debet stricte informare subjectum. conc. ma. omnis forma minus stricte, & tantum logice talis, debet stricte informare subjectum. neg. ma. & dist. mi. non potest stricte informare. conc. mi. non potest informare in sensu latiore, adhuc tamen Philosophis usitato. neg. mi. & conseq. subsumpt. om. nam etiam entitas diminuta vix potest stricte informare subjectum, de quo vide *num.* 658. ad prob. dist. illatum habetur ex ethymologia nominis formæ stricte, & physice talis. om. illatum. formæ minus strictæ, & tantum logice talis. neg. illatum. Aliud est *forma informationis*, seu physica stricte talis: aliud est *forma denominationis*, seu tantum logica, & minus stricte talis: & ad hanc non requiritur totum illud, quod requiritur ad priorem stricte talem.

ARTICULUS II.

Quid Concreta importent in Recto, & quomodo multiplicentur.

661. UT diximus jam in Summulis *num.* 20. *Concretum* est terminus, qui significat totum compositum ex subjecto, & forma: *subjectum* autem est, quod denominatur: *forma*, quæ denominat. sic *album* est concretum, quod resolvitur *res habens albedinem*: ubi *res* est subjectum, *albedo* est forma. Ibidem etiam explicatum est, quid sit concretum *metaphysicum*, *physicum*, & *logicum*: sed præter hæc datur etiam *concretum substantiale*, & *accidentale*. Istud, seu *accidentale*, est, cujus forma est accidentalis subjecto, ut *albus*, *sapiens*, *justus &c.* Alterum, seu *sub-*

substantiale est, cujus forma est substantialis subjecto, ut *rationalis homo*, *&c.* Ubi obiter nota, concreta, quæ in creatis sunt accidentalia intrinseca, ut *sapiens*, *justus &c.* esse in Deo substantialia propter realem identitatem cum natura: sic in Deo substantialia sunt *sapiens*, *justus*, *æternus*, *immensus &c.*

Gormaz *de incarnat. nu.* 737. videtur concretum substantiale subdividere in *subsistantiale subsistantivum*, & *subsistantiale adjectivum*: atque per prius videtur intelligere illud, quod exprimitur per nomen substantivum, e. g. *homo*, *leo*: per alterum autem illud, quod exprimitur per nomen adjectivum, e. g. *rationalis*. Docet autem *ibidem*, concretum *persona* esse concretum adjectivum, quod videtur difficulter posse dici, nec tamen ab ipso probatur. E contra Arriaga *in Summul disp.* 1. *sec.* 9. *n.* 62. ait, concretum *persona* esse concretum substantivum, nec tamen etiam iste suum assertum probat.

662. Satis communiter quoque distinguunt inter *concretum naturæ*, & *concretum personæ*: ubi notandum, quod, cum de fide sit, verbum assumpsisse naturam humanam, non autem personam, item in divinis esse unam naturam, & tres personas, natura, & persona, aliquo modo inter se distinguantur: & quidem in divinis, ut nostri communiter docent, virtualiter: in creatis vero (in quibus distinctio virtualis a nostris communiter non admittitur) realiter saltem inadæquate: estque inter nostros satis recepta sententia (quæ & mihi placet, & hic supponitur) id, quod persona supra naturam addit, in creatis, aliud non esse, quam negationem unionis cum ente perfectiori, de qua re plura in Metaphysica *num.* 1125. Dico *in creatis*; nam in divinis personalitas, per quam Pater realiter distinguitur a Filio, utique non potest esse pura negatio.

663. Jam quid sit *rectus*, & *obliquus*, dictum est *nu.* 18. hic tantum addo, non quidem dari a parte rei rectum, & obliquum *formaliter* (quia nominativus, aut alii casus, non dantur formaliter, nisi in conceptibus, aut vocibus) dari tamen *fundamentaliter*; quatenus a parte rei datur in objectis capacitas, vel incapacitas, ad certas denominationes recipiendas; nam, quod incapax est certæ denominatio-

nis, pro eo non potest respectu illius denominationis substitui conceptus nominativo expressus: sic e. g. in hoc concreto *musca minor elephante*, non potest elephas efferri in nominativo; quia non est capax, ut denominetur *minor*, neque in complexo cum musca.

664. Licet enim sit identica, adeoque vera hæc propositio: *Musca minor elephante est minor elephante*: tamen non esset identica, sed falsa hæc altera: *Musca minor, & elephas est minor elephante*; quia elephas etiam solus, non est minor seipso, & adhuc minus est minor, si addatur ipsi musca. Eadem est ratio de aliis quibusdam similibus concretis: e.g. *Roboam minus sapiens Salomone*, *Abel junior*, *vel minus senex Mathusalemo*. Quin imo neque in concretis reduplicative sumptis possunt omnes partes semper efferri in recto, vel esse recti, ut diximus *num.* 578. & patet etiam in hoc exemplo: *Petrus ut Logicus disputat*: neque enim potest sic dici: *Petrus, & Logica disputant*.

Videtur autem dici posse, tunc utramque partem concreti concretive sumpti venire in recto, quando prædicatum de utraque parte, vel seorsim, vel simul sumpta potest prædicari, ut si dico: *Album est ens per accidens*; nam debet explicari: *Subjectum, & albedo, sunt ens per accidens*; de solo enim subjecto dici non potest, quod sit ens per accidens; alias homo, vel equus, si esset albus, esset ens per accidens. Si autem prædicatum non possit ita prædicari de utraque parte, tunc illa tantum pars veniet in recto, de qua prædicatum dici potest: & ideo in superiori exemplo: *Petrus ut Logicus disputat*: solus Petrus venit in recto.

665. Explicavimus jam *n.* 327. quid sit concretum sumi *quidditative*, vel *concretive*, & quid sit, illud sumi *denominative*: addendum, quid sit sumi concretum *formaliter*. Hoc dicunt fieri tunc, quando vel forma sola, vel saltem ipsa cum subjecto concreti, venit in recto: sic si dico: *Album est disgregativum visus*: vel si dico: *Homo est universale*: sumitur concretum formaliter; quia ipsa albedo, quæ est forma concreti, venit in recto, & disgregat visum: & non sola natura humana, a parte rei multiplex, est jam universale, sed etiam cognitio confusa,

fusa, seu unitas intentionalis, tanquam forma hujus concreti, venit in recto. Est tamen verum, in his modis loquendi quandoque auctores inter se aliquantum discrepare; unde quandoque opus est mutua intelligentia, & explicatione. His præmissis,

666. Dico 1. Concreta accidentalia important in recto subjectum, & in obliquo formam. ita communissima. Prob. Illud importatur in recto, quod debet cum altero extremo propositionis, sive cum prædicato, per copulam connecti, seu identificatum affirmari: sed hoc est solum subjectum concreti: ergo. ma. est innegabilis; quia identitas *ex n.* 341. est affirmabilitas unius de altero in recto. mi. prob. in exemplo, si dico: *Hoc album est dulce*: non potest aliter exponi, quam sic: *Hæc res habens albedinem, est res habens dulcedinem*: ubi tantum affirmatur identificata res, & res: non vero albedo, & dulcedo, vel res, & dulcedo, aut albedo; esset enim falsum, si diceretur: *Hæc albedo est dulcedo*: vel: *Hæc res est dulcedo*: ut est clarum; unde in his concretis forma tantum infertur in obliquo, qui non debet affirmari identificatus cum prædicato.

667. Dico 2. Concreta etiam substantialia, sive sint substantiva, sive adjectiva (de quibus *n.* 661.) dicunt in recto subjectum, & in obliquo formam, saltem in creatis. ita communis. Dixi autem *in creatis*; nam de divinis recurret sermo infra *n.* 676. Adverto autem, aliqua concreta substantialia esse, in quibus forma distinguitur a subjecto: & sic in sententia eorum, qui dicunt, subsistentiam, vel personalitatem, esse modum aliquem substantialem naturæ superadditum, in his concretis *suppositum*, *persona*, forma est distincta a subjecto, sive dein subjectum sit natura, sive modus.

Juxta alios autem, qui dicunt, personam, vel suppositum, naturæ nil superaddere, nisi negationem, hæc negatio est saltem partialis quasi forma, & distincta a subjecto, seu a natura: quæ natura juxta hos auctores est subjectum concreti, atque etiam partialis forma. Alia autem concreta substantialia (quæ etiam vocantur *concreta metaphysica*) sunt, in quibus subjectum, & forma realiter identificantur, ut *rationale*, *risibile &c.* si tamen ista concreta sumantur uni-

versaliter, & abstrahendo, an sint determinatum suppositum.

668. Hæc conclusio, cum in ea agatur etiam de concretis, in quibus forma, & subjectum sunt realiter idem, non potest probari ut prior; unde probatur cum Arriaga *disp. 54. de Trinit. sec. 1. n. 1.* sic. Quid veniat in recto, quid in obliquo, optime desumitur ex resolutione concretorum: atqui etiam, si resolvantur concreta substantialia, venit in recto subjectum, seu res, & in obliquo forma, seu id, quod rem denominat: ergo. prob. mi. sicut concretum *album* resolvitur *res habens albedinem*, ita concretum *rationale* resolvitur *res habens rationalitatem*, & concretum *homo* universaliter sumptum *res habens humanitatem*; ubi patet, quod *res*, seu subjectum efferatur in recto, & *rationalitas*, ac *humanitas*, tanquam formæ, efferantur in obliquo. Equidem verum est, quod in hac resolutione etiam rationalitas, & humanitas realiter veniant in recto, sed veniunt ut subjecta, non ut formæ: & sic semper manet verum, quod in recto solum veniat id, quod est subjectum: quamvis hoc idem etiam possit venire in obliquo, nempe quando formaliter bis attingitur.

669. Dico 3. Concreta accidentalia multiplicantur juxta multiplicationem subjectorum, seu rectorum, & non formarum, seu obliquorum. ita communis. Prob. Multiplicari concretum est illud in numero plurali efferri: atqui, si multiplicantur subjecta, debet concretum accidentale in numero plurali efferri, non autem, si multiplicentur formæ: ergo. prob. mi. si ab uno homine plures alii una cognitione cognoscantur, tunc dabuntur plures cogniti, quamvis formæ non multiplicentur, sed tantum subjecta: e contra, si unus, & idem homo cognoscatur a pluribus, per plures cognitiones distinctas, etsi multiplicentur formæ, quia tamen non multiplicatur subjectum, tantum erit unus cognitus: ergo concretum accidentale effertur in numero plurali, si multiplicentur subjecta, non autem formæ. Idem contingit circa concretum *calidus*; quamvis enim in eodem subjecto dentur plures gradus caloris, non dantur ideo plura calida: at, si idem unicus gradus caloris

loris replicatus esset in pluribus subjectis, essent plura calida: & sic de aliis.

670. Dico 4. Concreta substantialia, saltem substantiva (de quibus *n.* 661.) probabiliter non multiplicantur, nisi multiplicetur, tam rectus, quam obliquus, seu tam subjectum, quam forma. Prob. In hac quæstione fere de nomine videtur standum communiore auctoritate; nam, ut habet Angelicus 3. *p. q. 3. a. 7. ad 2.* agens de multiplicatione concreti *homo: Nominibus est utendum, secundum quod sunt ad significandum imposita:* scilicet ab auctoribus: atqui communior est auctoritas eorum, qui dicunt, ad multiplicationem concretorum substantialium substantivorum requiri multiplicationem, tam rectorum, quam obliquorum, tam subjectorum, quam formarum: ergo.

Minor patebit legenti auctores; ita enim docent S. Thomas *loc. modo cit.* Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 13. sec. 2. & 3.* & Gormaz *de incarn. n. 721.* Lugo *de incarnat. disp. 13. sec. 3.* Tannerus *tom. 4. disp. 1. de incarn. q. 4. dub. 1. n. 46. & 50.* & communis: quin imo isti, & alii auctores, ex hoc inferunt cum Angelico *loc. modo cit.* quod, sive una persona divina assumeret plures naturas humanas, sive plures personæ divinæ assumerent unam naturam humanam, in utroque casu tantum esset unus homo; quia scilicet in neutro casu multiplicaretur tam rectus, quam obliquus; adeoque neque concretum substantiale *homo*.

671. Difficultas tamen est aliqua circa concretum *Persona*, quod in divinis multiplicatur, etsi non multiplicetur natura. Sed respondet Gormaz *de incarnat. n. 737.* hoc esse concretum adjectivum: & hinc conclusionem limitavi ad concreta substantialia substantiva. Angelicus vero 1. *p. q. 30. a. 1. ad 1.* docet, quod terminus *substantia*, in definitione personæ positus, non significet essentiam; ex quo sequitur, quod essentia nec sit subjectum, nec forma concreti *personæ*: consequenter hoc concretum possit multiplicari, non multiplicata essentia seu natura divina.

672. Dico tamen 5. Etiam valde probabile est, concreta substantialia quoque multiplicari juxta multiplicationem rectorum. Dico *rectorum*, & non *subjectorum*, propter paulo post dicenda. Conclusionem

hanc tenet Arriaga *disp. 54. de Trinit. a sec.* 1. ubi hic auctor universaliter de omnibus concretis, tam substantialibus, quam accidentalibus, docet, ea multiplicari juxta multiplicationem rectorum: & juvat, ejus doctrinam hic compendiose afferre. Supponit imprimis, circa nomina abstracta nullam esse difficultatem; eo quod multiplicentur, multiplicato eo, quod immediate significant: & sic multiplicatur albedo, si dentur plures albedines.

673. Concreta autem omnia multiplicari juxta multiplicationem rectorum, probat *disp.* 1. *in Summulis, n.* 64. his exemplis. Quando quæritur, an cum veritate aliquis dicatur justus, attenditur tantum, an, quod venit in recto, sit justum, e. g. Petrus: non vero, an etiam, quod venit in obliquo, e. g. justitia Petri: eodem modo, quando quæritur, an cum veritate dicatur, aliqua esse duo, vel tria, attenditur tantum, an quæ veniunt in recto, sint duo, vel tria. Ratio est hæc. Justum e. g. est id, quod est habens justitiam: ergo tres justi sunt tres habentes justitiam: ergo modo multiplicetur habens justitiam, sive rectus, etsi non multiplicetur justitia, jam multiplicatur concretum *justus*. E contra, licet essent tres justitiæ, si tantum sit unus habens, sive unus rectus, non sunt tres justi: sicut, si sit tantum unus habens tria regna, non sunt tres reges: e contra, si in eodem imperio sint duo supremi principes, sunt duo imperatores, ut antiquitus pluries fuerunt in Romano imperio.

674. Quid autem veniat in recto concreti, quid in obliquo, ait Arriaga *cit. disp.* 54. *de Trinit. sec.* 1. *n.* 1. desumendum esse ex resolutione concreti, prout ex ipso retulimus supra *num.* 668. Addit rationem, quam vocat a priori, hanc. Id, quod significatur per modum substantiæ, per se stat, & significatur in recto: atqui in creatis semper significatur subjectum per modum substantiæ, forma vero per modum adjacentis: ergo subjectum per se stat, & significatur in recto.

Minor prob. Formæ accidentales reipsa per se non stant, sed tantum adjacent: formæ substantiales (quas hic auctor ait esse personalitatem, & subsistentiam) etiam adjacent subjecto, seu naturæ, a qua sustentantur; modus enim ille (si tamen datur modus aliquis subsistentiæ, quod a nobis negatur) non recipit in se naturam, sed ab ista recipitur: ergo nulla forma per se stat, aut significatur per modum substantiæ aliud sustentantis, aut per se stantis: sed ita significatur solum subjectum, in quo formæ sustentantur.

675. Infert ulterius Arriaga *cit. disp.* 54. *de Trinit. sec.* 1. *num.* 7. terminum *homo*, significare in recto naturam: & idem intelligendum esse de terminis *leo*, *equus &c.* eo quod natura significetur per modum subjecti habentis personalitatem, vel suppositalitatem. Addit, etiam terminum *persona* in creatis dicere in recto naturam, & personalitatem in obliquo: quod probat ex eo, quod vera sit hæc propositio: *Homo est persona humana*: quæ, ut ait, vera non esset, si persona diceret in recto non naturam, sed personalitatem; nam sensus esset: *Natura humana* (hanc enim in recto dicit terminus *homo*, ut modo dictum) *est personalitas humana*: in quo sensu esset propositio falsa, ut patet ex eo, quod in Christo sit natura humana, non autem personalitas humana. Et sane hoc etiam ex eo est mihi valde probabile, quod non capiam, quomodo homo in recto possit significare negationem, aut modum, vel quod negatio, aut modus possint esse subjectum hujus concreti. Equidem hinc sequitur, quod, si plures humanitates terminarentur una, eademque substistentia creata, forent juxta Arriagam plures homines: sed, cum hypothesis hæc impossibilis sit, facile potest sequela admitti, nec eam videtur Arriaga negare.

676. Ulterius ait hic auctor *subsec.* 3. *n.* 9. in divinis nomina concreta significare in recto formam, vel quasi formam: e contra in obliquo subjectum, vel quasi subjectum: & hinc in divinis concreta multiplicari multiplicatione formarum, vel quasi formarum, in recto venientium, adeoque semper multiplicatione rectorum multiplicari concreta. Hinc, ait, cum nomen *Deus* dicat pro quasi forma Deitatem, & hæc sit una, non dantur plures Dii, ratione plurium personarum, tanquam quasi subjecto-

ctorum: e contra, quia nomen *Persona* in divinis significat pro quasi forma personalitatem, multiplicatur persona, multiplicatis personalitatibus.

677. Rationem hujus asserti, ait, esse hanc. In divinis proprie non datur subjectum, sed omnia sunt realiter idem; unde non est, cur aliquid significetur semper per modum subjecti, seu per se stantis: sed potest modo hoc, modo illud, ita significari: consequenter censendum est, directe, & in recto significari id, quod terminus, seu nomen concretum, denotat sua formali, & explicita significatione: istud autem nomen *Deus* denotat Deitatem, & nomen *persona* personalitatem. Unde subjungit, hoc concretum *Deus* non recte resolvi *habens Deitatem*; nam, cum tres sint habentes Deitatem, essent tres Dii: sed debere resolvi *Deitas in supposito*: id, quod etiam videtur sentire S. Thomas 1. *p. q.* 39. *a.* 4. *in corp.* ubi ait: *Nomen Deus significat divinam essentiam ut in habente ipsam*; & *n.* 6. *in corp. Hoc nomen Deus per se habet, quod supponat pro essentia.*

678. Addit dein Arriaga, aliam rationem esse de termino *homo*, quando dicitur de puro homine, & aliam, quando dicitur de Christo; nam in puro homine significat in recto naturam, ut dictum: in Christo autem significat in recto personam; quia in hoc concreto *Christus homo* personalitas divina se habet per modum sustentantis humanitatem, & non e contra. Et sane hoc dicendum est, ut recte explicetur communicatio idiomatum in Christo, de qua Theologi. Ex quo tamen non sequitur, Christum non esse univoce, vel ejusdem nobiscum speciei hominem; nam species desumitur a natura, seu prædicatis essentialibus, animalitate, & rationalitate, quæ sunt in Christo similiter, ac in nobis; natura enim est species, non personalitas.

679. Accedit, quod, ut idem Arriaga *de incarnat. disp.* 27. *sec.* 3. *n.* 24. tradit, æquivocatio, vel univocatio nominum, non attendatur penes rectum, & obliquum, sed penes res significatas per expressum, seu explicitum significatum: hoc autem est illud, a quo vox concreta derivatur, ut a Deitate Deus, a personalitate persona, ab albedine album, ab humanitate homo; nam, quamvis e. g. albedo non veniat in

in recto, tamen expresse, & explicite significatur in concreto *album*: sicut ergo de equo, & ove, & marmore, univoce prædicatur album; quia in albedine conveniunt, etsi subjecta plurimum differant; ita etiam de Christo univoce prædicatur homo; quia in humanitate nobiscum convenit, etsi in subjecto, seu recto, sive persona, plurimum differat.

680. Objici tamen potest, ex hac sententia inferri, quod, si plures personæ divinæ assumerent eandem humanitatem, essent plures homines, quod est contra S. Thomam 3. *p. q.* 3. *a.* 6. *ad* 1. Suarezium *tom.* 1. *in* 3. *p. disp.* 13. *sec.* 2. *&* 3. & communiorem Theologorum. Sed responderi potest, esse tamen etiam graves auctores, qui cum Arriaga hoc admittant, quos citat ipse Suarez *cit. sec.* 2. *§. Quarta difficultas.* & Tannerus *tom.* 4. *disp.* 1. *de incarnat. q.* 4. *dub.* 1. *n.* 45. nempe Nominales, item Marsilium, Gabrielem, Cajetanum, Medinam: & certe hæc opinio dilucide, ac uniformiter explicat multiplicationem concretorum: & præscindendo ab auctoritate oppositæ sententiæ mihi valde placeret. Nunc quærendum, quid sit pars concreti, quidve tantum connotatum extrinsecum: id quod inferendum ex regula, seu definitione partis, de qua modo.

ARTICULUS III.

Quid sit Pars, aut quæ Regula Partis.

681. ARistoteles 5. *Metaphys. tex.* 30. ait, partes esse, *in quæ aliquid dividitur, aut ex quibus totum componitur*: dein ait *tex.* 31. *Totum dicitur, cujus nulla pars eorum abest, ex quibus totum natura dicitur*: quæ definitiones sunt satis obscuræ, & mancæ: hic autem inquirimus definitionem, tum clariorem, tum etiam talem, quæ aliquo modo serviat pro regula, vi cujus pars possit discerni a connexis, vel connotatis extrinsecis, sive iis, quæ quidem totum intrinsece non constituunt, attamen talia sunt, ut sine ipsis totum realiter dari non possit: e. g. Deus non est pars omnium creaturarum, & tamen absque Deo nulla creatura dari potest: item intellectus non est pars cognitionis, neque voluntas.

est

est pars volitionis : & tamen nec cognitio sine intellectu, nec volitio sine voluntate dari ullo modo potest.

Dixi *aliquo modo* ; neque enim petitur hic regula talis, ut ex ipsa sola, absque adjuncta alia notitia, statim universaliter discernatur pars a non parte (nam talis a nullo auctore assignatur) sed petitur regula, quæ talis sit, ut, si ipsa rite applicetur, aut aliunde constet, vel probetur, eam alicui enti convenire, ex ea inferatur, illud ens esse partem. Scilicet debet se habere regula, ut propositio major in syllogismo, quæ non debet se sola inferre conclusionem, sed tantum, si ei adjungatur minor proportionata. Supponitur autem hic, quod in Physica *a numer.* 648. probabitur, totum, & omnes partes simul sumptas, esse realiter idem.

682. Dico. Recte dicitur *Pars* esse *id, quo affirmato, non affirmatur totum, & quo non affirmato, etiam non affirmatur totum*. ita communis, saltem quoad rem. Prob. conclusio. Tale ens nec est adæquate identificatum cum toto, nec adæquate ab eo distinctum : ergo est pars. conseq. patet. itemque 1. p. ant. si enim tale ens esset adæquate identificatum cum toto, tunc ipso affirmato deberet etiam affirmari totum, ne de duobus realiter adæquate identificatis verificentur contradictoria. prob. jam 2. p. ant. si tale ens esset adæquate distinctum a toto, tunc ipso non affirmato tamen possit affirmari totum, ut per se patet : ergo, si hoc fieri non potest, neque potest esse adæquate distinctum. Confirm. Tale ens est id, quo non affirmato, non affirmantur omnes partes totius ; cum totum, & omnes partes sint realiter idem : ergo, cum non sit totum, seu omnes partes, debet esse id, quo non affirmato non affirmatur aliqua pars, adeoque esse aliqua pars.

683. Quidam dicunt, partem esse *id, quo affirmato non affirmatur totum, & quo negato negatur totum* : qui conceptus cum nostro reipsa coincidit, & solum ideo alter est positus ; quia probatio clariore methodo sub his terminis proponi posse videbatur. Alii ajunt, partem esse *id, quo non posito non ponitur totum*. Sed nisi dicatur, *sive per possibile, sive per impossibile non posito*, conceptus est falsus ; nam non

non posito Deo, nulla ponitur creatura, quin tamen Deus sit pars creaturæ : si autem fiat illa additio, miscetur quæstio de valore argumentationis ex hypothesi impossibili, quam non lubet huc transferre. Alii dicunt, partem esse *id, quo non concepto, non concipitur totum*. Sed relativæ difficulter concipi possunt sine termino, e. g. visio, vel cognitio, sine objecto, quin terminus sit pars ; unde noster conceptus saltem videtur esse melior.

684. Notandum autem hic est, *affirmare* non esse tantum *concipere*, vel *cognoscere*, ut ex modo dictis facile potest colligi : sed *affirmare* stricte acceptum significare alias *tradicare in recto*, vel formaliter, vel æquivalenter, de qua re dictum *num.* 18. Hic autem sumitur paulo latius, & significat *venire in recto* (formaliter, vel æquivalenter) sive dein veniat ex parte prædicati, sive ex parte subjecti ; nam in ordine ad hanc quæstionem est idem, sive dicam : *Corpus, & anima, & unio, sunt homo* : sive dicam : *Homo est corpus, & anima, & unio*.

Animadvertendum tamen est, nos non velle, quod omnes partes totius debeant in ordine ad omnes denominationes, quæ toti denominative sumpto conveniunt, venire in recto, ita, ut quævis denominatio, toti denominative sumpto conveniens, etiam omnibus partibus attribui possit ; nam, e. g. verum est dicere : *Homo est rationalis* : non tamen est verum dicere : *Materia, & anima, & unio hominis, sunt rationales* ; hæc enim propositio, prout jacet, significat, quod singulis partibus seorsim competat rationalitas ; cum tamen competat tantum uni, propter quam dein tribuitur toti denominative accepto, de quo vide *num.* 250.

685. Quare tantum volumus dicere, quod de toto quidditative accepto debeant omnes partes posse affirmari, seu in recto dici : & sic, sicut e. g. possumus dicere : *Homo est corpus, anima, & unio* : ita possumus dicere : *Inæqualitas duorum lignorum est longitudo unius, & brevitas alterius : Similitudo Petri, & Pauli essentialis, est utriusque essentia*. Aliud est, si dicatur : *Petrus est similis Paulo* : vel si dicatur : *Similitudo Petri cum Paulo* : vel : *Relatio Petri ad Paulum* ; nam in his casibus termini *similis, similitudo*,

litudo, *relatio*, ex communi usu, & modo, terminos tales accipiendi, non sumuntur quidditative, sed tantum denominative, seu pro subjecto recipiente denominationem, quod est solus Petrus, vel ratio fundandi inadæquata, se tenens ex parte Petri; unde in tali denominatione ita accepta Paulus non venit in recto: sic etiam, si dicatur *minoritas muscæ*, respectu elephantis, sumitur minoritas tantum denominative.

686. Objic. 1. Ex nostra conclusione sequeretur, quod tempus vespertinum sit pars cœnæ: hoc est absurdum: ergo. prob. min. si tempus est pars cœnæ, tunc, qui comederet cœnam, comederet etiam tempus: hoc dicere est absonum: ergo. Confir. Sequeretur etiam, quod Deus esset pars creaturæ, seu entis dependentis a Deo: hoc non est verum: ergo. Resp. conc. maj. nam plane cœnare non est tantum comedere (hoc enim fit etiam in prandio) sed insuper est tempus vespertinum. neg. min. ad prob. dist. maj. qui comederet cœnam quidditative sumptam, comederet etiam tempus. conc. maj. qui comederet cœnam tantum denominative acceptam, comederet etiam tempus. neg. maj. & dist. sic min. neg. conseq.

687. Quid sit, aliquid accipi denominative, vel quidditative, vide *num.* 327. Est autem frequens, quod alicui rei, denominative acceptæ, conveniat aliqua denominatio, quin conveniat eidem quidditative acceptæ, vel vicissim: sic vera est hæc propositio: *Logicus canit*: si scilicet simul sit musicus: & tamen hæc denominatio non convenit Logico quidditative accepto, sed tantum denominative accepto: quin etiam ista denominatio: *Logicus disputat*: convenit tantum Logico denominative accepto; quia non potest dici Logica disputans, nec inadæquate. Ad confir. neg. maj. nunquam enim de creatura potest in recto affirmari Deus; nam non est verum: *Creatura est ens creatum, & Deus*: vel: *Ens dependens a Deo est dependentia entis, & Deus*: sed in hac denominatione Deus tantum in obliquo concipitur.

688. Objic. 2. Juxta nos anni præteriti essent pars hominis senis, & collatio gradus doctoralis esset pars Doctoris: hoc non potest admitti: ergo. prob. min.

min. senex datur nunc, & anni præteriti non dantur nunc: item etiam Doctor datur nunc, & e. g. studet nunc, & tamen nunc non datur, multo minus studet nunc collatio illa gradus: ergo. Resp. neg. min. ad prob. dist. ant. senex denominative sumptus datur nunc, & non dantur anni præteriti: item Doctor denominative sumptus datur nunc, aut studet nunc, & tamen nunc non datur, vel studet collatio gradus. conc. ant. senex, vel Doctor quidditative, vel concretive sumptus, datur nunc. neg. ant. & conseq. Ubi nota, posse dari totum successivum (quale est senex) denominative sumptum, quin existant simul omnes ipsius partes, ut paulo post, nempe *num.* 693. magis explicabitur.

ARTICULUS IV.

Quomodo Denominatio quævis se habeat ad suas Partes.

689. DIco 1. Non potest dari nova denominatio sine nova parte. ita communissima. Prob. Nova denominatio est novum totum: atqui non potest dari novum totum sine nova parte: ergo neque nova denominatio potest dari sine nova parte. prob. min. novum totum est nova collectio partium; totum enim, & omnes partes collective sumptæ, sive collectio omnium partium, sunt idem: sed non potest dari nova collectio partium sine nova parte: ergo. prob. min. illa collectio debet esse, vel adæquate, vel inadæquate nova: si est adæquate nova, tunc omnes partes sunt novæ: si autem est inadæquate nova, tunc saltem una pars est nova: ergo nunquam potest dari nova collectio partium, si non saltem una pars sit nova.

690. Dico 2. Non potest perire antiqua denominatio, nisi pereat aliqua ipsius pars. ita communissime omnes. Prob. Non potest quidquam, consequenter neque aliqua denominatio perire, nisi pereat, vel adæquate, vel inadæquate: sed perire adæquate est perire omnes partes: perire inadæquate est perire saltem aliquam partem: ergo non potest perire denominatio, nisi pereat saltem aliqua ipsius pars. Confir. Non potest perire denominatio, quin debeat.

debeat perire aliquid cum ipsa identificatum : ergo vel debet perire aliquid adæquate identificatum, id est, collectio omnium partium : vel debet perire aliquid inadæquate identificatum, id est, saltem aliqua pars : ergo.

691. Dico 3. Non potest aliquod subjectum transire ab una denominatione ad alteram contradictoriam, vel ab uno prædicato ad alterum contradictorium, quin detur nova aliqua pars. ita rursum communiter omnes. Prob. Non potest fieri hic transitus, quin detur nova denominatio ; nam utique prædicata contradictoria causant contradictorias, adeoque diversas, & novas denominationes : atqui non potest dari nova denominatio sine nova parte : ergo neque hic transitus. Ubi tamen nota, partem novam non debere esse positivam, sed sufficere etiam negativam. Sic a denominatione viventis potest transiri ad denominationem mortui, per solam negationem unionis animæ cum corpore, quæ non est nova pars positiva, sive novum ens positive tale, sed est tantum nova pars negativa, seu negatio entis positivi.

692. Dico 4. Non potest dari denominatio, nisi dentur omnes ejus partes. ita communis. Prob. Denominatio, ut jam dictum *num.* 689. est aliquod totum : sed totum non potest dari, nisi dentur omnes ejus partes, quibus est identificatum : ergo neque potest dari denominatio. Advertendum tamen hic est, quod aliud dicatur *totum simultaneum*, aliud *successivum* : & eodem modo alia dicatur *denominatio simultanea*, alia *successiva*. Et quidem *totum simultaneum* exigit omnes partes coexistentes : & tale totum est *homo*, qui non dicitur dari, si hodie existat solum corpus, & cras sola anima : tale etiam est *domus*, quæ non dicitur dari, si hodie existant soli parietes, & cras solum tectum.

693. E contra *totum successivum* non exigit, ut partes omnes simul existant : sic dicitur modo dari annus millesimus septingentesimus trigesimus septimus, licet existat nunc tantum minima ejus pars, imo tantum pars minima horæ ex plurimis, quæ eum annum constituunt : sic dicitur dari senex, licet non simul existant anni, a quibus senex denominatur. Sicut autem partes totius successivi non simul existunt, ita neque ipsum totum successivum simul existit : & nunquam verum est dicere : *Nunc existit totus annus.*

Quod autem soleat dici : *Nunc datur hic annus : Nunc datur hæc dies : Nunc datur hic senex &c.* inde est, quod ista concreta sumantur, non adæquate, seu quidditative, sed tantum inadæquate, seu denominative : & sensus talium propositionum ex communi acceptione tantum est : *Nunc existit aliqua pars hujus anni, vel diei : Nunc existit homo, qui vixit plurimos annos :* adeoque dictæ propositiones veræ sunt, licet non detur nunc simul totus annus, aut dies &c.

694. Neque verum est, quod in his casibus detur denominatio, quin dentur ejus partes ; nam omnes partes dantur eo modo, quo eas denominatio requirit, scilicet non simul, sed successive : sive ita, prout requiritur, ut totum saltem denominative sumptum detur. Eodem modo intelligendæ sunt etiam denominationes, quarum partes in magno spatio, & divisibili existunt, si dicantur hic existere : e. g. si quis dicat : *Hic est cælum : Hic est mare : Hic est Germania ;* nam istæ propositiones intelligendæ sunt de his totis, partialiter, & denominative sumptis, ut sensus sit : *Hic est pars cæli, conjuncta cum aliis partibus cælum constituentibus : Hic est pars maris : Hic est pars Germaniæ &c.*

695. Auctores quidam, qui vocantur *Formalistæ*, aut *Connotatores ;* eo quod velint diversas denominationes explicare, non per diversas partes, sed per diversas formalitates, aut per diversa connotata, respondent ad nostra argumenta, non posse quidem dari sine nova parte novam denominationem entitative, attamen posse dari formaliter : & eodem modo, ajunt, posse perire antiquam denominationem, quin pereat aliqua ejus pars. Sed contra est. Vel denominatio formaliter sumpta est aliquid aliud, quam denominatio entitative sumpta, vel non est aliquid aliud : si secundum, tunc, quandocumque datur denominatio entitative sumpta, datur etiam denominatio formaliter sumpta : adeoque, si illa non est nova, neque erit ista : si primum, tunc

tunc denominatio formaliter sumpta habebit novum aliquid, quod non habuit denominatio entitative accepta: hoc autem erit nova pars: ergo.

696. Respondent iterum, dari aliquid novum, non physice, & realiter, sed tantum metaphysice, moraliter, & conceptibiliter: sed redit argumentum. Vel denominatio nova metaphysice, moraliter, & conceptibiliter accepta, est aliquid aliud, quam denominatio entitative accepta, vel non: si primum, tunc dabitur nova pars, sive negativa, sive positiva: si secundum, tunc, quando datur denominatio entitative, dabitur etiam metaphysice, moraliter, conceptibiliter &c. Nec dicant, dari novum ens abusivum; hoc enim esset abuti Philosophia, & eodem modo posset dici, sensationes, intellectiones, volitiones &c. esse tantum entia abusiva, nec esse realiter distincta ab animali, vel intellectu, aut voluntate; sicut videntur modo aliqui Atomistæ prorsus incredibiliter dicere.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

697. Objic. 1. contra 1. concluf. Quando ex vidente fit cæcus, item quando ex ternario fit binarius, fit nova denominatio sine nova parte: ergo prima conclusio non subsistit. Confirm. Deus acquirit sæpe novas denominationes: e. g. ex non creante fit creans: & tamen non potest acquirere, vel habere novam partem: ergo. Resp. neg. antec. licet enim in illis casibus non detur nova pars positiva, tamen datur nova pars negativa (de qua re vide *num.* 691.) datur enim in primo casu negatio visus, in secundo negatio unitatis. Ad confirm. dist. 2. p. ant. Deus non potest habere novam partem sibi intrinsecam, vel quæ sit pars Dei. conc. ant. non potest habere novam partem, quæ sit intrinseca toti concreto, vel sit pars totius denominationis. neg. ant. & conseq. Sic etiam Deus fit cognitus per cognitionem, quæ non est pars Dei, sed tantum pars denominationis hujus *Deus cognitus*.

698. Dices. Saltem, quando Deus ex non amante fit

fit amans (e. g. si prius peccatorem odio habuit, postea remisso peccato per puram condonationem extrinsecam, quæ juxta plurimos Theologos possibilis est, illum amat) datur nova denominatio sine nova parte: ergo. Resp. concesso casu ut possibili in alia providentia dist. ant. datur nova denominatio sine nova parte realiter tali. om. ant. sine nova parte, æquivalenter, vel eminenter tali. neg. ant. & conseq. Deus, cum sit immutabilis, potest eodem unico etiam virtualiter indivisibili actu, aliquem pro aliquo tempore odisse, & pro alio amare; unde videtur denominatio Dei amantis, & odio habentis, non debere involvere realiter alias, aut novas partes, sed tantum æquivalenter, vel eminenter alias, aut novas; quatenus nempe idem actus divinus æquivalet pluribus actibus amoris, & odii, aut plures eminenter in se continet.

Nisi dicere malis, denominationes has involvere etiam tempus, quod essentialiter respicit actus divinus, qui peccatorem pro hoc tempore, vel instanti, odio habet: pro sequenti vero, quo ponitur condonatio peccati, eum amat, vel certe non amplius odio habet; si enim hoc dicatur, tunc dabitur in ordine ad hujusmodi novas denominationes etiam semper pars realiter nova. Tantum addo, ab hoc mysterio immutabilitatis, & libertatis divinæ, male argumentum fieri ad creata, in quibus nec fides, nec ratio, simile mysterium docet.

699. Objic. 3. Potest nova pars accedere ad totum, quin fiat novum totum: ergo etiam potest fieri novum totum, quin accedat nova pars. prob. ant. hodie datur annus 1737, & cras accedet alia dies, seu nova pars, quin cras detur alius, seu novus annus, aut novum totum: ergo. Idem dic de homine, qui hodie, & cras, est idem senex, licet cras nova detur dies, quæ est pars nova senii. Resp. neg. ant. quidquid sit de consequentia. ad prob. dist. ant. hodie datur annus &c. quin cras detur alius annus moraliter. conc. ant. quin detur alius physice. neg. ant. & conseq. Reipsa cras annus jam numerat plures dies, & etiam annus denominative sumptus, seu pars anni actu existens est alia: & sic etiam vox *nunc*, vel *hic dies*, aliud revera physice significat hodie, quam

quam cras; nam significat aliam diem realiter distinctam. At in æstimatione morali censetur esse idem annus hodie, & cras. Eodem etiam modo loquendum est de sene.

700. Objic. 4. contra 2. conclus. Potest perire aliqua pars denominationis, quin pereat denominatio: ergo etiam vicissim potest perire denominatio, quin pereat aliqua ejus pars. prob. ant. denominatio divitis e. g. constituitur ex summa decem millium florenorum: sed potest perdi ex hac summa, vel ex hoc numero aliquis florenus, qui est pars illius summæ, quin perdatur denominatio divitis: ergo potest perdi pars denominationis, quin perdatur denominatio. Resp. neg. ant. ad prob. quæro, vel sermo est de divite in specie, seu in determinata quantitate tali, per determinatam summam decem millium florenorum: vel tantum est sermo de divite in genere tali, per aliquam magnam summam florenorum.

701. Si dicatur primum, neg. min. nam sublato tantum unico floreno, aufertur hæc determinata summa, sicut si addatur unicus florenus, etiam fit alia nova summa, & pariter fit alius in specie, vel determinata quantitate dives: si autem dicatur secundum (quod communiter intelligitur) dist. maj. denominatio divitis constituitur determinate per summam decem millium florenorum. neg. maj. constituitur tantum indeterminate per eam summam, nempe per aliquam magnam summam florenorum. conc. maj. & conc. min. neg. conseq. In hoc casu non destruitur pars denominationis divitis; licet enim auferatur florenus, manet tamen semper aliqua magna summa florenorum, quamvis non maneat determinate illa, quæ fuit prius, & quæ determinate non fuit pars denominationis, sub ratione tantæ, sed tantum sub ratione generica magnæ summæ, quæ ratio manet etiam ablato uno, vel altero floreno.

Dices. Saltem potest perire actus publicus, quo aliquis fuit creatus Doctor, & qui constituit denominationem Doctoris, quin pereat denominatio Doctoris: ergo. Resp. dist. ant. quin pereat denominatio Doctoris eodem modo, quo perit actus. neg. ant. quin pereat diverso modo. conc. antec. & neg. conseq. Actus publicus perit physice, id est, non amplius physice existit: & sic etiam perit denominatio Doctoris; nam etiam hæc postea non amplius physice existit: sicut autem hæc denominatio perseverat moraliter, seu in æstimatione morali hominum, ita etiam moraliter perseverat actus ille publicus, seu creatio Doctoris. Et idem dicendum de aliis similibus denominationibus, e. g. peccatoris post peccatum jam præteritum. In quo autem consistat moralis perseverantia alicujus rei, dicemus, quantum a Logico sciri debet, inferius *a num.* 795.

702. Ob. 5. Potest perire denominatio partis in actu secundo, quin pereat aliqua pars hujus denominationis: ergo. prob. ant. quando simul sunt tres homines, Petrus, Paulus, & Joannes, tunc Petrus est pars in actu secundo istius ternarii: quando recedit unus, e. g. Joannes, Petrus non est amplius pars in actu secundo ternarii, quin tamen aliquid Petri pereat: ergo perit hæc denominatio, quin aliqua pars ejus pereat. Resp. neg. ant. ad prob. neg. 2. p. ant. nam in hoc casu denominatio partis in actu secundo præter Petrum involvit etiam Paulum, & Joannem.

Ad clariorem hujus rei intelligentiam notandum, quod pars in actu secundo idem sit, ac pars actu componens, aut constituens totum: & si quidem totum sit physicum, cujus partes sunt physice inter se unitæ, potest dici, quod pars in actu secundo sit pars simul cum unione: ipsa autem unio sit se sola pars in actu secundo; quia ipsa essentialiter exigit actu componere, sive constituere totum. Unde, si quoad talia tota physica perit denominatio partis in actu secundo, debet aliqua pars ejus denominationis perire, scilicet unio.

At vero in totis accidentalibus per aggregationem, e. g. in ternario hominum, vel etiam in aliis, e. g. in relatione identitatis, aut similitudinis, vel coexistentiæ, quam habent duo homines ad se invicem, ubi nulla datur unio, vel similis determinatio essentialis ad hoc, ut partes constituant totum in actu secundo, sed ipsa constitutio totius stat in solis tribus hominibus, vel duabus albedinibus, aut duabus durationibus: tunc pars in actu secundo videtur dicere etiam alteram compartem, vel reli-

quas compartes, & in noſtro caſu Petrus, tanquam pars in actu ſecundo ternarii, etiam dicere Paulum, & Joannem; non enim eſt aſſignabile aliud determinativum ad denominationem ternarii, vel ſimilitudinis, aut coexiſtentiæ, quam acceſſus aliarum compartium: conſequenter, ſi deficit aliqua ex compartibus, ut in noſtro caſu Joannes, deficit aliqua pars hujus denominationis, ſeu partis in actu ſecundo: conſequenter neque hæc denominatio perit, niſi pereat aliqua ejus pars.

703. Dices 1. Juxta datam explicationem, pars in actu ſecundo, & totum, ſunt idem: hoc eſt abſurdum: ergo. Reſp. diſt. ma. ſi pars in actu ſecundo ſumatur concretive, ſive ſecundum rectum, & obliquos. conc. ma. (quia in totis phyſicis, ubi datur unio phyſica, pars in actu ſecundo tantum dicit, unam partem cum unione) ſi ſumatur tantum denominative, ſive ſecundum rectum ſolum. neg. ma. & diſt. ſic mi. neg. conſeq. cum autem ordinarie pars in actu ſecundo tantum ſumatur denominative, ordinarie tantum intelligitur per eam una pars in recto: quidquid ſit dein de aliis venientibus in obliquo. Quid autem inter rectum, & obliquum, a parte rei interſit, dictum eſt *num. 663. & ſeq.* vide etiam *num. ſeq.*

Dices 2. Juxta nos, quando intellectus concipit partem in actu ſecundo, concipit idem, ac quando concipit totum: ſed hoc eſt abſonum: ergo. Reſp. diſt. ma. concipit idem, & eodem modo. neg. ma. diverſo modo. conc. ma. & diſt. ſic mi. neg. conſeq. Intellectus concipiendo totum concipit omnes partes in recto, e. g. dicendo: *Homo eſt corpus, anima, & unio:* concipiendo autem aliquam partem in actu ſecundo, concipit tantum ipſam in recto, reliquas autem in obliquo: e. g. dicendo; *Corpus actu conſtituit hunc hominem:* idem dicit, ac ſi diceret: *Corpus eſt actu unitum huic animæ:* non autem dicit: *Corpus eſt actu anima, & unio;* eſſet enim hoc falſum. vide dicta *num. 653. & 687.*

704. Ratio horum eſt, quia, ut dictum *n. 73.* ad veritatem propoſitionis tantum requiritur identitas rectorum; hinc, quando concipitur tantum una pars in recto, tunc tantum uni patti identificatur prædicatum: quando autem concipiuntur omnes partes in

in recto, tunc omnibus partibus identificatur prædicatum, ſaltem inadæquate: quod eſt magnum diſcrimen a parte rei; nam utique a parte rei longe aliud eſt identitas cum una parte, quam identitas cum omnibus partibus: ſane ab hac diverſitate rerum in recto, vel obliquo conceptarum, dependet veritas, aut falſitas multarum puopoſitionum. Sic vera eſt iſta propoſitio: *Muſca eſt minor elephante:* non eſt vera iſta: *Elephas eſt minor muſca;* licet enim minoritas, concretive ſumpta, involvat muſcam, & elephantem, tamen, quia in his propoſitionibus terminus *minor* ſumitur denominative, & in priori propoſitione revera rectum hujus concreti identificantur cum muſca, in poſteriore vero rectum ejus concreti non identificatur cum elephante, propoſitio prior eſt vera, poſterior falſa.

Ubi tamen obiter notandum, aliquando ad veritatem propoſitionis requiri, ut aliquid adſit, licet non debeat identificari ſubjecto: ſic e. g. ad veritatem hujus propoſitionis: *Album eſt dulce:* requiritur dulcedo, ut patet, quamvis dulcedo non identificetur albo, neque etiam veniat in recto. Jam vero quidnam in aliquo concreto veniat in recto, vel obliquo, deſumendum eſt ex reſolutione concreti, ut dictum eſt *n. 668. & 674.* & poteſt ulterius etiam deſumi ex eo, an ſubjectum propoſitionis etiam identificetur cum illo, dum ſe tenet ex parte prædicati: ex quo facile infertur, quod in hoc concreto *minor elephante* elephas non poſſit venire in recto.

705. Addendum tamen, aliquando contingere, maxime in relationibus mutuis æquiparantiæ, e. gr. ſimilitudinis, ut a parte rei neutrum extremum relationis ſit præ altero rectus, ſed utrumque extremum ſit fundamentaliter rectus: ut autem unum extremum præ altero fiat formaliter rectus, debet determinari ab intellectu, potius accipiendo hoc, quam alterum pro ſubjecto propoſitionis, e. g. potius dicendo: *Petrus eſt ſimilis Paulo:* quam: *Paulus eſt ſimilis Petro;* quod enim in tali caſu eſt ſubjectum propoſitionis, eſt etiam rectus. Si autem intellectus utrumque accipiat in recto, dicendo e. gr. *Petrus, & Paulus ſunt ſimiles:* tunc ſubintelligitur *ſibi ipſis:* adeoque implicite affirmantur duæ relationes, nem-

pe Petri ad Paulum, & Pauli ad Petrum, in quibus Petrus, & Paulus vicissim sunt rectus, & obliquus: & concipi possunt etiam per eandem cognitionem ut rectus, & ut obliquus, ferme, sicut per eandem cognitionem, in qua manet universale in actuali prædicatione, potest eadem res cognosci clare, & confuse.

706. Ob. 6. contra 3. concluſ. Denominatio dextri potest transire in denominationem sinistri: item denominatio non agentis in denominationem agentis: item denominatio promissionis conditionatæ in denominationem absolutæ &c. sine nova parte, modo accedat aliquod exttinsecum connotatum, vel conditio: ergo. Resp. neg. ant. Denominatio dextri, & sinistri, involvunt tanquam partes diversas ubicationes: denominatio agentis involvit pro parte actionem: e contra denominatio non agentis involvit negationem actionis: denominatio promissionis absolutæ involvit purificationem conditionis, quam non involvit denominatio promissionis conditionatæ. Eadem est responsio, si objiciatur, quasdam imagines, pro diverso situ aspicientium, juxta leges opticas repræsentare diversa, e. g. ex una parte puerum flentem, ex altera ridentem; nam in hoc casu ubicationes colorum diversæ, vel etiam diversæ ubicationes aspicientium, sunt partes illarum diversarum repræsentationum, seu denominationum.

Dices 1. Eadem ubicationes, quæ denominant Petrum dextrum, denominant Paulum sinistrum: ergo etiam possunt Paulum denominare dextrum sine nova parte. Confir. Idem altare in latere templi, quod introeuntibus est a dextris, exeuntibus fit a sinistris sine omni nova parte: ergo. Resp. neg. conseq. Eadem cognitio, quæ denominat Petrum cognoscentem, denominat Paulum cognitum, quin tamen hunc possit denominare cognoscentem; quia scilicet deberet habere alium respectum: at sic etiam ubicationes Pauli, ut eum denominarent dextrum, deberent habere alium situm, vel respectum ad ubicationes Petri. Ad confir. neg. ant. nam est iterum alia ubicatio, & alius situs, hominis se invertentis; si enim exiret eundo retrorsum, maneret altare a dextris, ut erat introeunti.

Dices

Dices 2. Saltem hæc denominatio *Petrus similis Paulo* potest transire in aliam, nempe hanc *Paulus similis Petro*, sine nova parte: ergo conclusio tertia non subsistit. Resp. neg. conseq. nam in ea conclusione dicitur, non posse subjectum, nempe manens idem, ita transire: in his autem denominationibus non est idem subjectum. Sed replicabis. In hoc casu saltem datur nova denominatio sine nova parte: ergo prima conclusio non stat. Resp. neg. ant. Si hæ denominationes sumantur quidditative, sive concretive, tunc a parte rei non distinguuntur, sicut *n.* 703. dictum de toto, & de parte in actu secundo: adeoque in hoc casu non datur nova denominatio: si autem hæ denominationes sumantur tantum denominative, seu secundum rectum, tunc utique una habet aliam partem, quam altera; nam una denominatio habet pro suo subjecto, seu recto, Petrum, altera habet Paulum. Huc spectant etiam superius dicta *num.* 703. *& seq.*

QUÆSTIO SECUNDA.

De Prædicamentis.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Prædicamentum.

707. *Prædicamentum*, seu, ut etiam vocatur, *Categoria*, aliud non est, quam *omnium prædicabilium, ad certam classem pertinentium, in unam seriem ordinatio:* sic *prædicamentum substantiæ* est ordinatio in unam seriem istorum prædicabilium *substantia, corpus, vivens, animal, homo:* & hæc quidem prædicata dicuntur directe poni in prædicamento: alia autem, nempe differentiæ, ut respectu substantiæ *materialis, immaterialis*, respectu corporis *animatum, inanimatum*, respectu viventis *sensitivum, insensitivum*, respectu animalis *rationale, irrationale*, istæ, inquam, differentiæ dicuntur indirecte poni in prædicamento, & ex latere: sicut nempe solent poni differentiæ ex latere generum. Ita communiter auctores loquuntur: nec est operæ pre-

pe Petri ad Paulum, & Pauli ad Petrum, in quibus Petrus, & Paulus vicissim sunt rectus, & obliquus: & concipi possunt etiam per eandem cognitionem ut rectus, & ut obliquus, ferme, sicut per eandem cognitionem, in qua manet universale in actuali prædicatione, potest eadem res cognosci clare, & confuse.

706. Ob. 6. contra 3. concluſ. Denominatio dextri potest transire in denominationem sinistri: item denominatio non agentis in denominationem agentis: item denominatio promissionis conditionatæ in denominationem absolutæ &c. sine nova parte, modo accedat aliquod exttinsecum connotatum, vel conditio: ergo. Resp. neg. ant. Denominatio dextri, & sinistri, involvunt tanquam partes diversas ubicationes: denominatio agentis involvit pro parte actionem: e contra denominatio non agentis involvit negationem actionis: denominatio promissionis absolutæ involvit purificationem conditionis, quam non involvit denominatio promissionis conditionatæ. Eadem est responsio, si objiciatur, quasdam imagines, pro diverso situ aspicientium, juxta leges opticas repræsentare diversa, e. g. ex una parte puerum flentem, ex altera ridentem; nam in hoc casu ubicationes colorum diversæ, vel etiam diversæ ubicationes aspicientium, sunt partes illarum diversarum repræsentationum, seu denominationum.

Dices 1. Eadem ubicationes, quæ denominant Petrum dextrum, denominant Paulum sinistrum: ergo etiam possunt Paulum denominare dextrum sine nova parte. Confir. Idem altare in latere templi, quod introeuntibus est a dextris, exeuntibus fit a sinistris sine omni nova parte: ergo. Resp. neg. conseq. Eadem cognitio, quæ denominat Petrum cognoscentem, denominat Paulum cognitum, quin tamen hunc possit denominare cognoscentem; quia scilicet deberet habere alium respectum: at sic etiam ubicationes Pauli, ut eum denominarent dextrum, deberent habere alium situm, vel respectum ad ubicationes Petri. Ad confir. neg. ant. nam est iterum alia ubicatio, & alius situs, hominis se invertentis; si enim exiret eundo retrorsum, maneret altare a dextris, ut erat introeunti.

Dices

Dices 2. Saltem hæc denominatio *Petrus similis Paulo* potest transire in aliam, nempe hanc *Paulus similis Petro*, sine nova parte: ergo conclusio tertia non subsistit. Resp. neg. conseq. nam in ea conclusione dicitur, non posse subjectum, nempe manens idem, ita transire: in his autem denominationibus non est idem subjectum. Sed replicabis. In hoc casu saltem datur nova denominatio sine nova parte: ergo prima conclusio non stat. Resp. neg. ant. Si hæ denominationes sumantur quidditative, sive concretive, tunc a parte rei non distinguuntur, sicut *n.* 703. dictum de toto, & de parte in actu secundo: adeoque in hoc casu non datur nova denominatio: si autem hæ denominationes sumantur tantum denominative, seu secundum rectum, tunc utique una habet aliam partem, quam altera; nam una denominatio habet pro suo subjecto, seu recto, Petrum, altera habet Paulum. Huc spectant etiam superius dicta *num.* 703. *& seq.*

QUÆSTIO SECUNDA.

De Prædicamentis.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Prædicamentum.

707. *Prædicamentum*, seu, ut etiam vocatur, *Categoria*, aliud non est, quam *omnium prædicabilium, ad certam classem pertinentium, in unam seriem ordinatio:* sic *prædicamentum substantiæ* est ordinatio in unam seriem istorum prædicabilium *substantia, corpus, vivens, animal, homo:* & hæc quidem prædicata dicuntur directe poni in prædicamento: alia autem, nempe differentiæ, ut respectu substantiæ *materialis, immaterialis*, respectu corporis *animatum, inanimatum*, respectu viventis *sensitivum, insensitivum*, respectu animalis *rationale, irrationale*, istæ, inquam, differentiæ dicuntur indirecte poni in prædicamento, & ex latere: sicut nempe solent poni differentiæ ex latere generum. Ita communiter auctores loquuntur: nec est operæ pre-

tium de hac re litigare: contrarium opinatur Hurtadus *disp. 9. Metaph. sec. 3. §. 25.* ubi videri potest.

708. Decem prædicamenta assignari solent, & ab Archita Tarentino ad hunc numerum redacta sunt: quamvis autem hæc distributio, vel divisio sit prorsus arbitraria, (ut recte docet Arriaga *l. 5. de Prædic. in proœm. ante disp. 12. Log.*) eam tamen Aristoteles *in hoc libro*, & postea S. Thomas, aliique amplexi sunt, & ob hanc auctoritatem etiam recipi meretur, ut receptæ sunt divisiones plurimæ aliæ similes, e. g. diei in viginti quatuor horas, & orbis in quatuor partes &c. congruentias tamen aliquas exhibent Hurtadus, *disp. modo cit. sec. 2.* & alii. Indicantur autem hæc decem prædicamenta istis versiculis dialecticis: *Arbor sex servos ardore refrigerat ustos: Ruri cras stabo, nec tunicatus ero:* in quibus singulæ voces singula prædicamenta significant, nisi quod tres ultimæ simul unum tantum prædicamentum significent: sunt autem ista, *substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, ubicatio, duratio, situs, habitus.*

709. *Substantia* (quæ hic intelligitur completa) est ens per se, seu non indigens alio, cui inhæreat, vel cui exigat unirí, unione saltem informativa: & alia quidem dicitur *substantia prima*, alia *substantia secunda*, de quibus Philosophus agit *in Prædic. tr. 2. c. 1. & 5. Metaph. c. 8. text. 13.* & probabilius per substantiam primam, seu, ut loquitur *loc. cit. in Prædic. quæ proprie, & principaliter, & maxime dicitur* (intellige substantia) vel, ut habet *loc. cit. Metaphys. ipsum ultimum subjectum*, tantum intelligit individuum, seu substantiam singularem: per substantiam vero secundam, seu, ut loquitur *loc. cit. Metaphys. quod, cum quod quid* (alii legunt *hoc aliquid*) *sit, etiam separabile fuerit*, intelligit substantiam universaliter acceptam; nam *loc. cit. Metaph.* expresse ait, quod sit *cujusque forma, & species*: & *loc. cit. in Prædic.* ait, substantiam secundam dici hominem in specie, & animal in genere. Quod enim Aristoteles per primam substantiam intellexerit suppositum, per secundam vero substantiam, naturam, ut contradistinctam a subsistentia, non est facile credibile; cum ista distinctio primum innotuerit ex mysteriis SS. Trinitatis, & Incarnationis.

Quan-

Quantitas est forma denominans subjectum quantum, atque etiam reddit corpus naturaliter impenetrabile ab alio corpore: est autem duplex *discreta*, & *continua*. Illa datur in numeris, quorum partes inter se non copulantur: ista datur inter partes unitas, seu inter se copulatas, e. g. inter partes, quæ constituunt longitudinem, latitudinem, & profunditatem cubi lignei, vel marmorei. *Relatio* est ordo unius ad aliud, de qua mox plura.

710. *Qualitas* est forma denominans subjectum quale, vel est id, quod respondetur interroganti, quale est subjectum? estque omne accidens absolutum distinctum a quantitate. Aliæ autem dicuntur *qualitates primæ*, quæ saltem juxta antiquos plures sunt principia aliarum, & communiter assignantur hæ quatuor *calor, frigus, humiditas, siccitas*: aliæ dicuntur *qualitates secundæ*, quæ juxta eosdem antiquos ex primis, seu vario earum temperamento oriuntur, & assignari solent *color, odor, sapor &c.* aliæ dicuntur *qualitates corruptivæ*, quæ scilicet habent contrarium, contra quod pugnant, ac sæpe, vel quoad partem, vel quoad totum destruunt, aut vicissim destruuntur, & tales sunt e. g. *calor, & frigus*: aliæ dicuntur *qualitates perfectivæ*, quæ nihil corrumpunt, sed tantum subjectum perficiunt, & talis qualitas juxta multos est *lumen*. Verum de his qualitatibus, & earum numero, vel existentia, aut origine, multo plura nobis erunt dicenda in Physica.

711. *Actio* est id, per quod causa denominatur agens, vel quo producitur effectus: & sic e. g. creatio denominat Deum agentem, seu creantem: visio denominat hominem videntem. E contra *Passio* est id, per quod subjectum denominatur patiens aut passum, vel etiam recipiens: & sic receptio formæ materialis in subjecto, sive in materia prima, juxta Peripateticos denominat illud patiens, vel passum, seu recipiens. *Ubicatio* est determinatio ad certum locum. *Duratio* est determinatio ad certum tempus. *Situs* est certa dispositio corporis, vel ejus partium, a qua res dicitur: *stans, sedens, jacens &c.*

Habitus est tegumentum corporis, a quo aliquid denominatur *vestitum, ornatum*, vel etiam *armatum &c.* In hominibus habitus spectat ad accidens, sal-

tem logicum, ex dictis *n.* 598. in brutis autem, cum eorum pili, quibus teguntur, seu vestiuntur, sint pars integralis corporis, eorum vestitus spectat ad substantiam. Neque est absurdum admittere, quod aliqua res pertineat quandoque ad plura prædicamenta; nam e. gr. eadem productio equi est actio respectu equi producentis, & passio respectu materiæ, ex qua equus producitur, & relatio istorum ad se invicem, adeoque spectat saltem ad tria prædicamenta.

712. Conditiones ad hoc, ut aliquid poni possit in aliquo prædicamento, communiter requiruntur octo, tres ex parte termini formalis, quinque ex parte objecti, his versibus indicatæ; *Vox una, & simplex, rebus concinna locandis: Entia per seſe, finita, realia, tota.* Ex parte termini 1. vox, seu terminus, debet esse univocus. 2. Non debet esse terminus complexus, vel integra oratio. 3. Debet significare substantias in concreto substantivo, e.g. debet poni terminus *homo*, non *humanitas*: accidentia vero debent poni, non in concreto, sed in abstracto, e. g. terminus *albedo*, non *album*; quia hic accidens non sumitur ut quintum prædicabile, sed ut genus respectu suorum inferiorum. vide *num.* 583.

Ex parte objecti 1. debent res, per terminos significatæ, esse entia, & non puræ negationes. 2. Debent esse entia per se, non in eo sensu, in quo per ens per se intelligitur substantia; alias qualitates non possent poni in prædicamento: sed prout intelligitur ens, seu totum per se, & non tantum per aggregationem, ut cumulus lapidum. 3. Debent ea entia esse finita; hinc multi a prædicamento excludunt Deum, de quo Hurtadus *disp. 9. Metaph. sec. 4.* videri potest. 4. Debent esse entia realia, non tantum entia rationis ficta. 5. Debent esse aliquod totum, in sua ratione completum, de quo vide iterum Hurtadum, *loc. cit.* si lubet; nec enim mihi lubet in his parum necessariis diutius immorari. Addo tantum, Cardinalem Sfondratum *Logicæ l. 1. c. 3.* exhibere pulcherrimas tabulas prædicamentorum.

713. Quæres, ad quid prosit hæc prædicamentorum divisio. Resp. antiquum esse proverbium: *Qui bene distinguit, bene docet:* servit nempe hæc divisio ad clariorem rerum notitiam, & explicationem. Ex his

his prædicamentis facilius eruuntur genera, ac differentiæ, & consequenter definitiones: item hæc prædicamenta suppeditant ingentem argumentorum copiam, & materiam, de re qualibet fusius disserendi, etiam juxta leges Rhetoricæ, ut erudite ostendit Emanuel Thesaurus *in suo tubo optico Italice edito, titulo: Indice categorico;* nam omnis argutia, & elegantior dictio, ex his fontibus est haurienda. Quin etiam *Ars magna sciendi* tradita a Raymundo Lullo, & ab aliis copiose illustrata, potissimum versatur circa exactam notitiam prædicamentorum.

714. Non solent autem moderni Philosophi agere simul, & semel, de omnibus prædicamentis, sed sparsim pro opportunitate variis locis: id quod & nos faciemus, & hic duntaxat agemus de solo prædicamento relationis; eo quod plures quæstiones philosophicæ sine prævia ejus notitia rite intelligi nequeant. Ex dictis autem *n. 707.* facile infertur, *prædicamentum relationis* aliud non esse, quam collectionem omnium prædicabilium, ad relationem spectantium, seu in quæ relatio generice sumpta tanquam in sua inferiora dividitur, quæ in eleganti tabula expressa exhibet Cardinalis Sfondrati *Log. l. 1. c. 3. §. 6.* nos autem in varia divisione relationis, quam mox dabimus, referemus.

ARTICULUS II.

Quid, & Quotuplex sit Relatio.

715. ARistoteles *l. de prædicam. tr. 2. c. 3.* ita *relativa* definit. *Ad aliquid vero talia dicuntur, quæcumque hæc ipsa, quæ sunt, aliorum esse dicuntur:* id est: *Relativa sunt, quorum essentia est referri ad aliud:* ubi tamen adverto, Philosophum non velle per hæc dicere, quod relativa nullum habeant esse, nisi quod essentialiter, & formaliter ad aliud refertur; nam hoc esset falsum; cum relativum *simile* habeat subjectum, quod non refertur essentialiter ad aliud tanquam simile: rursum idem habet denominationem, e. g. albi, quæ pertinet ad aliud prædicamentum, scilicet qualitatis. Quare Aristoteles tantum vult, quod revelativa ut talia sint ad aliud:

& quod entia sint formaliter relativa per hoc, quod sint ad aliud.

716. Jam ex notione relativi in concreto facile infertur notio relationis in abstracto : nempe, quod *relatio* sit *ordo unius ad aliud*, vel sit *ratio formalis, ob quam unum refertur ad aliud*.

Dividit autem Philosophus *l. 5. Metaph. text. 20.* relativum, seu relationem in tres species. Prima relationis species est, quæ fundatur *in unitate, & numero* : per unitatem autem hic Aristoteles intelligit unitatem essentiæ, vel qualitatis, aut quantitatis : per numerum e contra intelligit diversitatem essentiæ, qualitatis, vel quantitatis.

Ad hanc unitatem spectat *relatio identitatis*, quæ datur inter ea, quæ habent similem essentiam, ut Petrus, & Paulus : item, ad unitatem hanc etiam spectat *relatio similitudinis accidentalis*, quæ datur inter ea, quæ habent eandem qualitatem, e. g. albedinem, ut duo muri albi : rursus ad unitatem hanc spectat *relatio æqualitatis*, quæ datur inter duo habentia eandem quantitatem, ut duo ligna bipalmaria, vel duo spatia horaria.

At vero ad numerum spectat *relatio diversitatis essentialis*, quæ datur inter habentia essentias specie diversas, ut sunt homo, & leo : item *relatio dissimilitudinis accidentalis*, quæ datur inter habentia diversas qualitates, e. g. inter marmor nigrum, & album : rursus *relatio inæqualitatis*, quæ datur inter habentia diversas quantitates, e. g. lignum bipalmare, & tripalmare. Ubi obiter ex occasione noto, quod relatio identitatis, & diversitatis essentialis, etiam posset dici relatio similitudinis, vel dissimilitudinis. Ne tamen fiat confusio cum relatione similitudinis accidentalis, quæ in quæstionibus de relatione solet venire sub nomine similitudinis, non solet sub hoc nomine venire relatio identitatis &c.

717. Altera species relationis est, quæ fundatur *in actione, & passione* : & ad hanc pertinet relatio causæ ad effectum, & effectus ad causam, patris ad filium, & filii ad patrem &c. Tertia species relationis est, quæ fundatur *in mensura, & mensurato* : per mensuram autem, ut docent auctores communiter, non intelligitur quantitas (quia relatio quantitatis per-

pertinet ad unitatem, vel numerum) sed intelligitur specificativum extrinsecum scientiæ, vel sensationis actualis ; nam Aristoteles *l. 5. Metaph. text. 20.* hanc relationem explicat per ordinem, quem habet scientia ad scibile, & sensus ad sensibile. *Specificativum extrinsecum* autem aliud non est, quam terminus aliquis, aut objectum, in ordine ad quod debet aliquid explicari, vel ejus perfectio mensurari : sic cognitio habet pro specificativo extrinseco objectum ; quia actus eo nobilior est, quo nobilius habet objectum.

718. Dividitur ulterius relatio in *relationem rationis*, & *realem*. Prior, seu *relatio rationis* (quæ ab aliquibus etiam vocatur *relatio secundum dici*) est, quæ datur inter duo, non realiter, sed tantum formaliter distincta, e. g. relatio inter subjectum, & prædicatum. Aliter tamen hanc relationem accipit, & explicat Giatinus *Log. q. 7. a. 2.* aitque, quod sit relatio ficta per intellectum inter ea, inter quæ nulla datur : sic, licet detur realis connexio cognitionis cum pariete cognito, non tamen datur connexio par, & mutua parietis cum cognitione : potest tamen intellectus sæpe fingere, quasi etiam paries cognitus haberet parem connexionem cum cognitione, quæ ficta connexio juxta hunc auctorem est relatio rationis. Idem videtur sentire Arriaga *disp. 12. Log. n. 3.* ubi in exemplum affert relationem, quam habet species, vel genus ad inferiora, quæ tantum est ab intellectu conficta.

Altera autem, seu *relatio realis*, est ordo realis unius ad alterum, seu ordo, qui datur a parte rei antecedenter ad omnem actum intellectus. Dari autem relationem realem probabimus contra Aureolum, qui eam negavit, infra *a n. 726.*

719. Dividitur rursus relatio realis in *transcendentalem*, & *prædicamentalem*. Illa, seu *transcendentalis*, juxta communiorem est, quæ adæquate identificatur cum fundamento : & probatur facile negative, dicendo, posito fundamento, essentialiter respiciente terminum, jam haberi totam relationem, nec alio opus esse. Dicitur autem transcendentalis juxta Giatinum *Log. q. 7. a. 2.* quia transcendit omnia prædicamenta, cum ista omnia, nullo excepto, habeant

relationem transcendentalem ad aliquid aliud, saltem ad Deum. Hæc relatio dicitur etiam *essentialis*, non ideo, quod per eam duæ essentiæ referantur ad se invicem; hoc enim etiam fit in relatione prædicamentali identitatis, ex. grat. inter Petrum, & Paulum: sed ideo, quia est ita essentialis fundamento, ut hoc sine ea relatione dari non possit.

720. Altera, seu *relatio prædicamentalis* est illa, quæ non est adæquate identificata cum fundamento, (ut infra *num.* 727. magis explicabimus) & hinc, ut recte ait Arriaga *disp.* 12. *Log. sec.* 2. *num.* 8. est sæpe separabilis a fundamento, e. g. relatio similitudinis muri unius albi ad alterum, est separabilis per separationem albedinis.

At non est semper separabilis a fundamento relatio prædicamentalis; nam e. g. relatio dissimilitudinis creaturæ ad Deum non est a creatura separabilis, uti nec relatio coexistentiæ creaturæ ad Deum, vel modi ad modificatum; quia, quandocumque datur creatura, est necessario dissimilis Deo, & quandocumque datur creatura, vel modus, debet ei coexistere Deus, vel modificatum: ex quo tamen non sequitur, quod ista relatio sit adæquate identificata cum fundamento, sed tantum essentialiter ab isto exigatur; sicut etiam creatura, si existat, essentialiter exigit, ut Deus quoque existat, adeoque sint duo, quin tamen sola creatura jam sit dualitas, vel duo.

Semery *disp.* 4. *Log. q.* 2. *a.* 1. videtur velle, quod relatio prædicamentalis debeat consistere, vel fundari in aliquo prædicato, quod non transcendat omnia prædicamenta, adeoque in aliquo prædicamento ponatur: at difficultas stat in eo, quod detur etiam relatio prædicamentalis mutua inter Deum, & creaturam, & tamen communius Deus excludatur a prædicamento; nisi forte dicat Semery sufficere, si ratio fundandi inadæquata sit in aliquo prædicamento.

721. Ulterius alia relatio realis est *mutua*, alia *non mutua*. Ista, sive *non mutua*, datur tunc, quando unum quidem realiter refertur ad alterum: at hoc non vicissim refertur ad illud: sic cognitio realiter refertur ad objectum, & creatura ad Deum: non tamen

men in eadem linea reali refertur objectum ad cognitionem, vel Deus ad creaturam. Relatio *mutua* est, quando vicissim datur relatio, ut hujus ad illud, ita illius ad hoc: sic ex duobus muris albis, vel duobus hominibus, ut hic est similis alteri, ita alter est similis huic.

Hæc autem relatio mutua iterum subdividitur, & alia dicitur *æquiparantiæ*, alia *disquiparantiæ*. Prima datur, quando relatio ex utraque parte eodem nomine appellatur; sic se habet relatio similitudinis, vel æqualitatis; nam uterque murus albus, vel baculus bipalmaris, dicitur similis, vel æqualis. Altera autem, seu relatio disquiparantiæ datur, quando relatio non eodem nomine ex utraque parte appellatur: sic se habet relatio patris ad filium, & filii ad patrem, causæ ad effectum, & effectus ad causam; nam respectu patris dicitur paternitas: respectu filii autem filiatio: item respectu causæ dicitur actio, & denominat causam agentem: respectu effectus dicitur potius passio, vel, si non semper potest dici passio, saltem nunquam denominat effectum agentem, sed tantum productum.

722. Ex hucusque allatis facile colligitur, ad omnem relationem tria, scilicet *fundamentum*, *terminum*, & *rationem fundandi* requiri. *Fundamentum* est *id, quod refertur ad aliud*: at *terminus* est *id, ad quod aliquid refertur*: & *ratio fundandi* est *id, ratione cujus aliquid refertur ad aliud*: sic in relatione patris ad filium fundamentum est pater: terminus est filius: ratio fundandi est actio generativa.

Notandum tamen est hic, quod *fundamentum* non eodem modo accipiant recentiores, & antiquiores; nam isti per fundamentum intelligunt rationem fundandi, ut patet ex S. Thoma infrius *n.* 734. citando: item ex Alensi *in* 5. *Metaph. text.* 20. *non longe ab initio*: ex Rubio *in libr. prædic. c.* 7. *qu.* 10. *n.* 220. Suarezio *disp.* 47. *Metaphys. sec.* 7. *n.* 14. Conimbricensibus *in prædic. c.* 7. *de relation. q.* 1. *a.* 4. Hurtado *disp.* 15. *Metaphys. sec.* 2. *§.* 14. Arriaga *disp.* 12. *Log. sec.* 10. *num.* 50. & aliis. At vero recentiores per fundamentum intelligunt illud objectum, quod refertur ad alterum, quodque antiquiores voca-

vocabant subjectum relationis, vel fundamentum remotum.

723. Ratio autem fundandi pro diversitate relationum est diversa, & multiplex. In relatione identitatis, vel diversitatis, ratio fundandi completa sunt essentiæ ejusdem, vel diversæ speciei: in relatione similitudinis, vel dissimilitudinis accidentalis, sunt qualitates ejusdem, vel diversæ speciei, aut intensionis: in relatione æqualitatis, vel inæqualitatis, sunt quantitates pares, vel impares: in relatione distantiæ sunt ubicationes non contiguæ: in relatione indistantiæ sunt ubicationes, vel contiguæ, vel compenetratæ; in relatione prioritatis, vel posterioritatis, sunt durationes successivæ: in relatione coexistentiæ sunt durationes simultaneæ, & probabilius etiam ipsæ existentiæ rerum: quin potest admitti, etiam in quibusdam aliis relationibus, existentias rerum esse partialem rationem fundandi; nam de aliquibus id vix videtur posse negari.

724. Similiter in relatione proportionis, vel improportionis, ratio fundandi est recta, vel prava dispositio partium, quæ vel delectet, vel offendat oculos: in relatione causæ ad effectum, vel effectus ad causam, est actio, quæ realiter etiam est passio, ut dicemus in Physica: in relatione patris ad filium est actio generativa, vel physice existens, vel moraliter perseverans, de qua perseverantia vide infra n. 750. Quia autem hæ, & similes relationes, sæpe sunt relationes præsentis ad præsens, vel præteritum, aut futurum, hinc dicendum est, eas aliquando involvere etiam durationes fundamenti, & termini, ac rationis fundandi, sive simultaneas, sive successivas. Quæritur jam, in quo consistat relatio prædicamentalis; nam de transcendentali diximus, eam juxta communem identificari cum fundamento, seu subjecto.

ARTICULUS III.

In quo consistat Relatio Prædicamentalis.

725. QUinque sunt celebriores circa relationem prædicamentalem auctorum sententiæ. Prima

ma est Aureoli volentis, eam stare in actu intellectus, uti & relationem transcendentalem; quia docet, nullam dari a parte rei relationem. Secunda est eorum, qui relationem prædicamentalem, sicut & transcendentalem, identificant cum solo fundamento. Tertia est eorum, qui relationem prædicamentalem identificant cum complexo, ex fundamento, termino, & ratione fundandi: transcendentalem autem cum solo fundamento. Quarta sententia est eorum, qui relationem prædicamentalem ab iis omnibus distinguunt, & in entitate modali superaddita stare volunt. Quinta denique est illorum, qui docent, relationem prædicamentalem stare in sola, & adæquata ratione fundandi.

726. Dico 1. contra Aureolum. Datur aliqua relatio realis. Ita communissima. Prob. 1. Ipsa hæc communissima auctoritas est sufficiens ratio adstruendi relationem realem, præsertim, cum Aristoteles *l. 12. Metaph. text.* 52. & S. Thomas *lect.* 12. *in cit. locum* supponant, quod detur a parte rei ordo universi, seu rerum in hoc universo existentium, sicut datur a parte rei ordo exercitus. Prob. 2. ratione. In divinis dantur quatuor relationes, & in creatis etiam, ante omnem operationem intellectus, dantur paternitas, & filiatio, æqualitas, & inæqualitas, similitudo, & dissimilitudo, imo ordo universi &c. ergo a parte rei dantur relationes, adeoque reales.

727. Dico 2. Relatio prædicamentalis non est adæquate identificata cum fundamento. Ita de facto communissima contra connotatores. Prob. Fundamentum, saltem sæpissime, est separabile a relatione prædicamentali adæquata, ita, ut possit dari fundamentum, quin detur ea relatio: ergo saltem sæpissime non est ea relatio adæquate identificata fundamento, conseq. jam est satis probata *num.* 352. ant. prob. sic potest existere murus, quin sit alteri muro similis, & sic de aliis, quæ plurima recenseri possent: ergo fundamentum est separabile a relatione prædicamentali similitudinis &c.

728. Si autem fundamentum in aliquibus casibus non est separabile a relatione prædicamentali adæquata, hoc est, si dari non potest fundamentum, nisi etiam detur adæquata illius relatio, tunc in iis casi-

casibus aliunde probatur, quod relatio adhuc aliquid involvat præter fundamentum: ergo nunquam relatio prædicamentalis est adæquate identificata fundamento. prob. ant. relationes, a quibus fundamentum non est separabile, sunt potissimum illæ, in quibus fundamentum essentialiter exigit terminum: sed illæ relationes, vel sunt transcendentales, quæ huc non spectant, vel, si sunt prædicamentales, satis clare probatur, quod pro parte etiam involvant ipsum terminum: ergo.

Prob. min. Relationes tales prædicamentales sunt illæ, quas attulimus *num.* 720. vel similes: sed in iis satis clare probatur, quod pro parte involvant etiam terminum: ergo. prob. min. dissimilitudo, & coexistentia, aperte dicunt duo; neque enim una res se sola est tota coexistentia, aut tota dissimilitudo, etiamsi non possit existere sine altero coexistente, aut dissimili; alias dicam, quod unum essentialiter exigens alterum, adeoque exigens cum isto constituere dualitatem, se solo sit dualitas, vel duo: quod est ex terminis absurdum.

729. Dico 3. Relatio prædicamentalis non identificatur cum complexo ex fundamento, termino, & ratione fundandi. Ita recentiores de facto longe communius, nec oppositi sunt antiquiores auctores, qui per fundamentum, & terminum, non intelligunt id, quod modo intelligitur a recentioribus, quibuscum disputamus, de quo vide *n.* 722. Prob. conclus. negative. Si potest affirmari, vel explicari relatio prædicamentalis adæquata, quin affirmetur totum complexum, vel assignentur pro partibus etiam fundamentum, & terminus, tunc non debet dici, quod relatio dicta stet in toto complexo: sed hoc potest fieri: ergo. ma. non videtur neganda; quia non debet dici aliquid esse pars, nisi sine eo affirmari, vel explicari non possit totum. min. constabit partim ex *n.* 739. partim ex solutione objectionum.

730. Dico 4. Relatio prædicamentalis non consistit in modo superaddito toti complexo ex fundamento, termino, & ratione fundandi. Ita nostri communius contra aliquos ex nostris, & aliis. Prob. conclus. negative. Relatio adæquata potest explicari sine omni modo superaddito: ergo non debet adstrui

strui talis modus; nam entia non sunt multiplicanda sine necessitate. ant. constabit ex *num.* 739. & solutione objectionum. consequentia probata est ex modo adducto principio philosophico communiter recepto.

731. Confir. Si modi debent resultare in omnibus subjectis relationis cujuscumque, erunt quasi infiniti, certe innumerabiles, quot utique non debent admitti sine gravissima ratione, quam adversarii non afferunt. Et quis credat, ad saltum ranæ, vel cicadæ, in omnibus entibus resultare myriades modorum, qui iterum singulis momentis millesies millies mutentur, ob aliorum novorum entium productionem, priorum destructionem, aut motum, vel mutationem &c.? Et quis entia remotissima, e. g. stellas supremas, determinabit ad producendos in se modos hos, ad motum muscæ, vel saltum pulicis in terra?

732. Nec dicas, posse hos modos relationum identificari cum durationibus ipsorum relativorum; nam etiam sic finguntur in quibusvis durationibus respectus infiniti pro infinita varietate relationum, sine omni necessitate, & ratione: imo contra rationem; nam durationes entium naturalium deberent habere essentialem respectum, & exigentiam ad entia supernaturalia, quibus exigerent essentialiter coexistere, vel priora, aut posteriora esse: & duratio hodierna muscæ essentialiter exigeret existentiam Christi, & peccatum Caini, quibuscum esset essentialiter relatio posterioritatis.

Quin etiam duratio Petri esset essentialiter relatio ipsius ad actum liberum, pro eo instanti a Petro productum, & ipsi coexistentem, quod difficulter conciliatur cum libertate: & si quis forte vellet dicere, quod ipsa duratio Petri præsupponat ejus actum liberum, adeoque sit tantum necessarius actus necessitate consequenti, certe hoc ipsum dicere durum esset, & difficillime explicabile, quomodo Petrus pro priori ad suam durationem se determinet ad producendum actum liberum, & dein primum ab hoc determinetur ad producendam, vel recipiendam durationem, cui identificata sit relatio ad actum liberum. Sicut etiam videtur inexplicabile,

quo-

quomodo determinetur Petrus, vel quæcumque causa creata, ad producendam potius durationem talis, quam alterius speciei, sive modum habentem sibi identificatas potius tales, quam alias relationes: nisi recurratur ad Deum, ad quem tamen recurrere in determinatione ad speciem, non decet Philosophum.

733. Dico 5. Relatio prædicamentalis consistit in sola adæquata ratione fundandi. Prob. concl. 1. auctoritate Philosophi *l. de Prædicam. tr. 2. c. 4.* ubi sic habet: *Similia vero, aut dissimilia secundum solas dicuntur qualitates:* & 5. *Metaph. c. 9. text. 16.* ait: *Similia dicuntur ... quorum qualitas una:* ergo (ut bene infert Hurtadus *disp. 15. Metaph. sect. 2. §. 14.*) unitas qualitatum est forma denominans subjecta similia, seu, quod idem est, relativa (nam simile in suo conceptu involvit relationem ad alterum, cui est simile) atqui forma denominans relativum est relatio, ut per se patet: ergo unitas qualitatum, quæ est adæquata ratio fundandi, est relatio.

734. Confirm. ex S. Thoma, qui *Opusc. 48. tract. 5. de prædicam. ad aliquid cap. 2.* clarissime sententiam nostram docet, & explicat, sic scribens: *Similitudo requirit duo alba realia, quorum unum est fundamentum, alterum terminus; similitudo enim Sortis albi ad Platonem album, in albedine Sortis est ut in fundamento: in albedine vero Platonis est ut in termino:* & post pauca ita pergit: *Cum autem dico, quod similitudo Sortis habet albedinem ejus ut fundamentum, non est intelligendum, quod similitudo Sortis sit aliqua res in Sorte alia ab ipsa albedine, sed solum est ipsa albedo, ut se habet ad albedinem Platonis ut ad terminum:* ex quo textu, tum patet, quod similitudo, seu relatio consistat in adæquata ratione fundandi, tum, quod hæc ab antiquis dicta sit fundamentum, & terminus.

735. Addit dein S. Thomas: *Si enim similitudo adderet supra albedinem Sortis aliquam rem, nullo modo posset aliquis alicui fieri similis sine sui mutatione:* quibus verbis docet, similitudinem præter utramque albedinem nihil aliud includere, neque etiam ullum modum; cum & ratione istius deberet aliquis mutari. Quamvis autem per hæc verba non necessario excludatur fundamentum, in sensu recentiorum

rum acceptum, seu fundamentum in sensu S. Thomæ remotum (quia, etiamsi hoc esset pars relationis, tamen non deberet propterea aliquis mutari) id tamen sufficienter excluditur per verba superiora, quibus ait S. Doctor, similitudinem non esse aliquam aliam rem ab ipsa albedine, sed solum esse albedinem.

736. Quando autem Angelicus *cit. opusc. & tract. c. 3.* ait: *Relatio differt a suo fundamento; quia importat oppositum relativi:* per fundamentum, & terminum intelligit utramque albedinem, ut dictum *num. 734.* & docet, relationem adæquatam involvere non tantum e. g. albedinem Sortis, sed etiam oppositam, seu contrapositam albedinem Platonis, ad quem Sortes refertur: additque expresse, relationem totam differre a fundamento, nempe una albedine, e. g. Sortis, sicut differt totum a parte.

Nec dicas, S. Doctorem, uti & Alexandrum Alensem mox citandum, requirere ad relationem *duo alba*; nam sumunt terminos *duo alba* formaliter, seu secundum formam, vel terminum abstractum, ut idem significent, ac *duæ albedines*; sicut scilicet, quando dicitur: *Album est disgregativum visus:* significatur: *Albedo est disgregativa visus:* de quo vide etiam *num. 665.* Et sane sic debent exponi isti auctores; alias ipsorum dicta sibi opponerentur: certe solæ albedines non essent fundamentum, & terminus: uti tamen esse clare docet S. Thomas.

737. Consentit etiam Alexander ab Ales, qui *in l. 5. Metaph. text. 20.* & in illa verba Aristotelis: *Alia vero secundum accidens &c.* ita ait: *Differentia autem inter relationem, & relativum, est, sicut inter formam, & formatum, & sicut inter albedinem, & album.* Imo, si legatur tota ejus doctrina de relativis, sat clare patebit, eum stare a nostris partibus, atque per *fundamentum* intelligere rationem fundandi, & per *modum*, in quo aliquando videtur statuere relationem, intelligere aliquam conceptibilitatem, vel comparabilitatem unius partis rationis fundandi ad alteram: per *fixum* autem, quod docet requiri ad relationem, aliud non intelligere, quam iterum rationem fundandi, tanquam fundamentum proximum relationis, in sensu S. Thomæ, supra *num. 734.* adducto.

738. Pro-

738. Pro nobis etiam stant omnes ferme auctores antiquiores, qui relationem constituunt in fundamento, & termino; nam per hæc aliud non intelligunt, quam adæquatam rationem fundandi, ut patet legenti. Recentiores vero, tum in impressis libris, tum in manuscriptis, communissime nostram sententiam in terminis amplectuntur, adeo, ut ex nostris vix sit, qui oppositam modo defendat. Et hæc ratio ab auctoritate, in hac quæstione, quæ post exclusas Modistarum, & Formulistarum opiniones, non parum habet de nomine, magnum pondus habere debet.

739. Prob. 2. conclusio ratione, quæ simul sententiam nostram magis declarat. Relatio tota est forma denominans relativum: sed forma denominans relativum est sola adæquata ratio fundandi: ergo relatio tota est sola adæquata ratio fundandi. maj. patet; quia *relativum* est concretum, quod resolvitur sic: *res habens relationem*: adeoque ejus forma est relatio. min. prob. forma denominans relativum est forma denominans, e. g. simile, vel æquale: sed forma denominans simile, vel æquale, est sola adæquata ratio fundandi: ergo. maj. patet; nam hæc concreta sunt formaliter relativa. min. prob. forma denominans simile, vel æquale, est similitudo, vel æqualitas: sed similitudo, vel æqualitas est sola adæquata ratio fundandi: ergo. maj. patet.

740. Minor habetur ex Aristotele, & S. Thoma, quos citavimus *n.* 733. & 735. certe ob solam adæquatam rationem fundandi, nempe unam specie qualitatem, vel magnitudinem in duobus, ista dicuntur similia, vel æqualia, ut nemo negat; quia propterea possunt substare eidem conceptui confuso, ut dictum *num.* 397. Quod autem hic dictum de relatione similitudinis, & æqualitatis, facile transfertur ad omnes alias relationes prædicamentales: & insuper in ordine ad omnes hæc minor probatur negative; quia ultra adæquatam rationem fundandi adhuc aliud requiri, adversarii non possunt probare; cum tamen ipsis, utpote plus affirmantibus, id incumberet: nobis autem incumbit solvere objectiones, quæ, quia plurimæ sunt, in plures etiam articulos sunt necessario dividendæ.

ARTI-

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

741. OBjic. 1. contra 1. concluſ. Relatio est id, per quod unum refertur ad aliud: sed nihil datur a parte rei, per quod unum referatur ad aliud: ergo non datur a parte rei relatio. Confir. 1. Forma referens unum ad alterum est cognitio: sed hæc forma est relatio: ergo cognitio est relatio: atqui cognitio non datur a parte rei: ergo. Confir. 2. Relatio similitudinis est unitas qualitatum: sed hæc unitas non datur a parte rei: ergo. Resp. dist. maj. relatio est id, per quod unum refertur ad alterum potentia. conc. maj. per quod refertur actu. neg. maj. & dist. sic min. neg. conseq. Jam dictum est initio *num.* 11. verba in definitionibus posita, per se non significare actum, sed tantum potentiam. Addo, *referri* hic communiter sumi pro *comparari*, adeoque comparari actu utique esse cognosci cognitione comparativa: at non comparari potentia, seu esse comparabile; nam comparabilitas datur independenter a cognitione, & intellectu.

742. Ad 1. confir. dist. maj. forma actu referens, seu actualis comparatio, est cognitio. conc. maj. forma potentia referens, seu comparabilitas, est cognitio. neg. maj. & dist. proportionaliter min. neg. conseq. dein conc. subsumpt. neg. iterum conseq. Sensus distinctionis jam patet ex modo dictis. Ad 2. confir. dist. maj. relatio illa est unitas qualitatum fundamentalis. conc. maj. est unitas formalis. neg. maj. & dist. sic min. neg. conseq. Unitas fundamentalis est tantum fundamentum, quod præbetur intellectui, ut plura faciat intentionaliter unum: & tale fundamentum est convenientia, seu similitudo qualitatum: unitas autem formalis est ipsa actualis confusio plurium per modum unius, quæ utique est cognitio.

743. Objic. 2. Independenter a cognitione, vel intellectu cognoscente, non datur fundamentum, aut terminus: ergo neque relatio. prob. ant. independenter a cognitione non refertur potius Petrus ad

Pau-

Paulum, quam Paulus ad Petrum: ergo non datur fundamentum, aut terminus. Resp. dist. ant. non datur fundamentum, aut terminus in actu primo. neg. ant. non datur in actu secundo. om. ant. & neg. conseq. ad prob. dist. conseq. ut prius: nego dein, quod fundamentum a parte rei, seu in actu primo sit illud, quod actu refertur, sive comparatur cum altero; fundamentum enim a parte rei est id, quod potest referri, vel comparari cum altero. Dixi om. ant. quia, si per fundamentum in actu secundo tantum intelligatur id, quod est referibile (eo quod termini, in definitione positi, tantum significent potentiam, non actum) dabitur fundamentum in actu secundo a parte rei. Attamen, quia hæc referibilitas, seu comparabilitas a parte rei, nondum est, saltem semper, determinata ad potius esse fundamentum, quam, ad esse terminum: & ista determinatio videtur saltem sæpe fieri per intellectum, hinc omisi, quod non semper fundamentum in actu secundo jam detur a parte rei.

Unde, si relatio est mutua, ut relatio similitudinis inter Petrum, & Paulum, tunc a parte rei utrumque extremum est fundamentum, & terminus in actu primo: & dein primum per cognitionem (quæ hoc potius, quam alterum extremum assumit tanquam rectum, vel subjectum) determinatur, ut in actu secundo sit potius fundamentum, quam terminus. Si autem relatio non est mutua, e. g. relatio transcendentalis creaturæ ad Deum, tunc solum id, quod refertur, est fundamentum, nempe creatura, ut per se patet.

744. Objic. 3. Independenter ab intellectu tantum dantur entia absoluta, & qualitates: ergo non dantur relativa, consequenter neque relatio. Confirm. Prædicamentum relationis est diversum a prædicamentis substantiæ, qualitatis &c. ergo relatio non consistit in substantiis, vel qualitatibus: ergo in actu intellectus. Confir. 2. Aliquæ relationes consistunt in negationibus: sed istæ non dantur realiter: ergo. Resp. neg. ant. tum quia a parte rei dantur entia modalia, tum quia etiam dantur relativa: quæ tamen relativa etiam vocantur absoluta, non sumendo hanc vocem, prout opponitur relativo, sed

sed prout opponitur modali; nam substantiæ ut quod, & qualitates, distinguuntur a modis.

745. Ad 1. confirm. neg. utramque conseq. vide supra *num.* 711. Ad 2. confirm. conc. maj. saltem, quod aliquæ relationes inadæquate consistant in negationibus, & dist. min. istæ, nempe negationes, non dantur realiter, hoc est, non dantur physice. conc. min. non dantur independenter ab intellectu, nempe suo modo. neg. min. & conseq. Scilicet negationes non constituuntur per actum intellectus, neque eorum qualiscumque existentia, analogice talis, præsupponit actum intellectus; unde dicuntur suo modo dari a parte rei: nisi autem adversarii probent, eas tantum haberi per intellectum, pro suo intento nil probant.

746. Objic. 4. contra 2. concluf. Paternitas in divinis est adæquate identificata cum fundamento, seu cum Patre: ergo etiam est ita identificata in creatis. Confir. Relatio Dei scientis ad scibile est adæquate identificata cum Deo, & tamen est separabilis a Deo; casu quo enim Antichristus e. g. non committeret peccatum, Deus istud non sciret: ergo potest relatio adæquate esse identificata fundamento, quamvis ab isto sit separabilis.

Resp. neg. conseq. In divinis paternitas non est separabilis a Patre, & e contra est realiter distincta a filiatione: at aliter se habet in creatis; unde est disparitas satis manifesta. Ad confirm. Antecedens supponit, quod actus Dei contingentes adæquate identificentur cum Deo, simul tamen propter antecedentem separabilitatem virtualiter ab eodem distinguantur: qualis tamen distinctio virtualis in creatis non admittitur; unde argumentatio hæc a divinis ad creata est nulla: in forma om. ant. neg. conseq.

747. Objic. 5. Fundamentum solum, deficiente termino, vel etiam altera parte rationis fundandi, manet adhuc in se isti simile, quantum est ex se: ergo potest dici, quod cum ipso identificetur tota relatio. Confir. Etiam relatio transcendentalis deficit, deficiente termino, & tamen identificatur cum solo fundamento: ergo potest etiam relatio prædicamentalis identificari cum fundamento, & tamen deficere, deficiente termino. Resp. neg. conseq. Relatio

non

non est tantum inadæquata convenientia, aut inadæquata forma denominans, e. g. simile, quæ inadæquata forma, aut convenientia manet, manente solo fundamento: sed est adæquata convenientia, & forma, quæ non datur, nisi detur tota, & adæquata ratio fundandi. Ad confir. dist. 1. p. ant. relatio transcendentalis deficit, deficiente termino formaliter. neg. 1. p. ant. deficit tantum arguitive; quia scilicet ex defectu termini arguitur, vel infertur etiam defectus ipsius fundamenti. conc. 1. p. & etiam 2. p. ant. ac neg. conseq. Disparitas est maxima; nam in relatione prædicamentali maneret fundamentum, & non maneret relatio: at in transcendentali ipsum etiam fundamentum deficeret.

748. Objic. 6. contra 3. conclus. Relatio prædicamentalis aliquando identificatur cum complexo ex fundamento, & termino: ergo convenientius dicitur, quod semper identificetur. prob. ant. relatio identitatis, e. g. inter Petrum, & Paulum, etiam juxta nos identificatur cum complexo: ergo. Resp. 1. retorq. arg. In hoc ipso casu relatio identitatis identificatur etiam juxta adversarios cum ratione fundandi; quia hæc in isto casu realiter identificatur cum complexo: ergo relatio semper identificatur cum ratione fundandi. Resp. 2. dist. ant. relatio identificatur cum complexo, quando istud identificatur cum ratione fundandi. conc. ant. in alio casu. neg. ant. & conseq. ad prob. conc. ant. & sub data distinctione conc. vel neg. conseq. Manet tamen semper verum, quod relatio prædicamentalis semper identificetur cum adæquata ratione fundandi, & tantum identificetur cum complexo, quando hoc est identificatum cum ratione fundandi.

749. Objic. 7. Si relatio prædicamentalis non consistit in complexo, tunc sola actio generativa est adæquata paternitas: sed hoc est contra communem: ergo. Confirm. 1. Sequeretur, quod pereunte actione generativa periret pater, & ea multiplicata multiplicaretur pater: utrumque est falsum: ergo. Confirm. 2. Sequeretur, quod eadem actio generativa tanquam forma denominaret patrem, & filium: hoc non potest dici: ergo. Resp. 1. neg. maj. quæ stricte loquendo non est vera; nam relatio paternitatis non est sola actio generativa; alias Deus esset pater naturalis omnium animalium; nam actio generativa cujus-

cujuslibet animalis respicit essentialiter Deum ut producentem. Quare relatio paternitatis dicit imprimis actionem productivam alicujus quoad naturam similis, dein etiam actionem communicativam alicujus de sua substantia: de quibus vide dicta *Phys. part. p. 2. nu. 440.* Resp. 2. om. ma. neg. mi. intellectam de actione orta a principio conjuncto, & productiva in similitudinem naturæ; nam auctoritas nostræ sententiæ patet ex *num. 733. & seq.*

Ad 1. confir. dist. 1. p. ma. periret pater eodem modo, quo actio generativa. conc. ma. diverso modo. neg. ma. Scilicet periret pater pereunte actione generativa, sicut perit doctor pereunte actu publico creationis, de quo *n. 701.* sive periret quidem physice, moraliter tamen maneret pater. Jam 2. p. ma. neg. nam non multiplicaretur pater ob multiplicatam actionem illam; quia concreta accidentalia non multiplicantur multiplicata forma, ut *nu. 669.* jam dictum est. Ad 2. confir. neg. mi. Sicut eadem actio tanquam forma denominat causam producentem, & effectum productum: ita etiam potest unum hominem denominare generantem, seu patrem, & alterem generatum, seu filium.

750. Dices 1. Moralis perseverantia actionis generativæ facit tantum relationem secundum dici: ergo non sufficit. Resp. in omni sententia admittendam aliquam perseverantiam moralem alicujus requisiti ad relationem: & quidem, qui adstruunt modos, debent admittere perseverantiam moralem relationis fundamentalis; alii, qui statuunt complexum, perseverantiam moralem actionis generativæ; unde facile retorquetur argumentum. In forma neg. ant. nam est vere respectus realis, per quem refertur pater ad filium, mediante actione genarativa, physice quidem præterita, moraliter autem adhuc perseverante: sicut revera est adhuc realiter peccator, qui prius peccavit, dummodo peccatum necdum sit remissum, etsi non amplius physice, sed tantum moraliter existat.

Addo hic, moralem hanc perseverantiam actionis generativæ posse consistere in actione conservativa filii, quam Deus ponit intuitu præcedentis actionis generativæ; sic enim ista actio manet in esse-

effectu, aliquo modo suo. Quod autem actio conservativa sit specie diversa ab actione generativa, non refert; nam, licet differat physice, non differt moraliter, sive in æstimatione hominum.

751. Dices 2. Juxta nos posset aliquis adhuc dici pater mortuo filio, & filius mortuo patre, adeoque pupilli adhuc haberent patrem: hæc sunt paradoxa: ergo. Resp. Hoc argumento ad summum probatur, quod relatio ista, vel similis, exigat coexistentiam fundamenti, & termini, adeoque præter actionem generativam etiam durationes simultaneæ fundamenti, & termini, sint partes rationis fundandi, & forte etiam aliquæ relationes exigant ubicationes simultaneas: quod libenter transmitto.

Attamen hæ durationes, aut ubicationes non requiruntur universaliter ad quamvis relationem prædicamentalem, ut patet ex receptis variis modis loquendi: sic e. g. dicitur equus esse similis illi, quem quis habuit alibi ante annum: dicitur filius similis patri mortuo: item sæpe interroganti, cujus filius sit aliquis homo, redditur nomen defuncti: sic relationes successoris, & antecessoris, prioris, vel posterioris &c. nec simultaneas durationes, nec ubicationes exigunt.

Unde recte asserit Arriaga *disp. 12. Log. sec. 10. nu. 50.* cum hæc sit quæstio de modo loquendi, non bene argui ab uno ad alium; cum in his quæstionibus argumentum a pari non procedat; eo quod sæpe unus modus loquendi sit receptus, non alius. In forma vel neg. ma. & dic, requiri ad hanc relationem etiam durationes simultaneas fundamenti, & termini: vel neg. mi. dic, dici sæpe aliquem filium patris defuncti, vel etiam patrem filii defuncti, ut *Sap. 14. v. 15.* item pupillos etiam dici filios talis, vel talis: quamvis non dicantur pupilli habere patrem; eo quod hoc modo loquendi juxta communem acceptionem indicetur, non pater quomodocumque, sed ut existens.

752. Ob. 8. contra 4. concluſ. S. Thom. *1. p. q. 28. a. 2. ad 2.* ait: *Id, quod invenitur in creatura præter id, quod continetur sub significatione nominis relativi, est alia res*: ergo relatio in creatis præter extrema involvit modum. Confir. Aristoteles adstruit

struit illas relationes, quas negavit Zeno: sed hic negavit relationes consistentes in modis: ergo Aristoteles istas admisit. prob. mi. Zeno non negavit duos muros albos: ergo tantum negavit modum istis superadditum.

Resp. neg. conseq. S. Thomas *loc. cit.* tantum docet, relationem non esse identificatam soli fundamento, quod ibi intelligit per relativum, ut patet legenti; quærit enim ibi S. Doctor, an relatio in divinis sit aliquid superadditum essentiæ, sive ipsi non identificatum: & respondet, relationem in divinis nihil superaddere essentiæ in divinis, quamvis superaddat in creatis. Ad confir. neg. min. ad prob. neg. conseq. Zeno non quidem negavit, muros esse albos ratione albedinis, sed negavit, eos esse similes ratione albedinis, seu negavit, albedinem esse similitudinem, uti negant patroni modorum.

753. Ob. 9. Pater ut pater connotat paternitatem: ergo paternitas non est pars, sed tantum connotatum patris ut patris: ergo debet modus superadditus esse pars patris ut patris; quia hæc nova denominatio debet habere novam partem: ergo modus superadditus est relatio patris. Resp. om. ant. neg. conseq. Verbum *connotare* non semper adhibetur in sensu stricto, in quo tantum dicitur de illo, quod non est pars, sed tantum aliquid connexum: sed sæpe adhibetur in sensu minus stricto, in quo dicitur etiam de illo, quod quidem est pars rei concretive sumptæ, sed non denominative sumptæ: vel venit tantum in obliquo, ita ut de ipso prædicatum propositionis non possit affirmari; & sic dicitur: *Musicus ut musicus connotat musicam*: &: *Pater ut pater connotat paternitatem*. Non quidem est satis proprius iste modus loquendi, & videtur a Formulistis in Philosophiam inductus: sed, quia jam videtur civitate donatus, hinc eum in explicato sensu transmittimus.

754. Ob. 10. Absque modo superaddito dantur tantum entia indifferentia ad relationem: ergo debet eorum indifferentia tolli per modum superadditum. prob. conseq. cæcus non fit videns per additionem alterius cæci: ergo etiam indifferens non fit determinatum per additionem alterius indifferentis.

Antequam respondeam, noto, hanc, & plures objectiones pro modis factas, retorqueri posse in relatione fundamentali, quam etiam adversarii debent admittere.

Hæc autem relatio fundamentalis aliud non est, quam fundamentum aliquod, quo posito, seu quo exigente, juxta adversarios resultat modus relationis formalis; nam etiam ipsi interrogati, quare in duobus muris albis resultet modus similitudinis, & non resultet in duobus muris, quorum unus est albus, altet niger, debent respondere; quia in illis adest fundamentum exigens modum, non autem adest in istis: sive, quia in istis non adest ratio fundandi; unde, quod juxta ipsos est relatio fundamentalis, juxta nos est relatio formalis.

755. Jam vero etiam ex. gr. utraque albedo, vel uterque homo, est indifferens ad relationem fundamentalem similitudinis, vel identitatis, adeoque etiam debet ea indifferentia tolli: non per modum; alias jam daretur juxta adversarios relatio formalis: ergo debet tolli per aliquid aliud: atqui per idem tolletur juxta nos indifferentia ad relationem formalem. In forma. dist. ant. absque modo dantur tantum entia omnimode indifferentia. neg. ant. non omnimode indifferentia. conc. ant. & neg. conseq. ad prob. dist. conseq. indifferens non fit determinatum per additionem alterius omnimode indifferentis. conc. conseq. per additionem alterius non omnimode indifferentis. neg. conseq.

756. Indifferentia hic idem significat, ac insufficientia: hæc potest esse, vel omnimoda, vel non omnimoda: insufficientiam omnimodam, seu exclusivam etiam inadæquatæ sufficientiæ, habet cæcus ad videndum; & hinc, si addantur mille cæci, non ptopterea aliquid videbunt: insufficientiam non omnimodam, seu conjunctam cum sufficientia inadæquata, habet e. g. equus ad trahendum currum onustum; & hinc, si addantur alii equi, poterit ille cum istis currum trahere absque modo superaddito.

Potest autem hæc insufficientia non omnimoda esse major, vel minor, prout requiruntur plura, vel pauciora ad sufficientiam adæquatam: & sic aliquando plures, aliquando pauciores equi, requiruntur, nempe

pe pro diversitate ponderis. Simili ratione etiam una pars rationis fundandi se sola est indifferens, vel insufficiens ad constituendam relationem: non tamen est indifferens, aut insufficiens omnimode, sed est inadæquate sufficiens, & partialiter ita, saltem conditionate, determinata, ut, quando altera pars rationis fundandi ei jungitur, statim cum ea relationem constituat.

757. Dices. Indifferentia ad relationem identitatis est Petro intrinseca: ergo non potest tolli per additionem Pauli, etiam intrinsece indifferentis. prob. conseq. si potest indifferentia intrinseca tolli per additionem alterius indifferentis, tunc etiam non erunt amplius necessarii modi unionis, ubicationis &c. sed hoc non potest admitti: ergo. Resp. retorq. arg. in relatione fundamentali: item in equo indifferente, seu insufficiente ad trahendum currum.

In forma, dist. conseq. non potest tolli, id est, auferri, vel separari a Petro, quod non est necesse. conc. conseq. non potest tolli, hoc est, non potest determinari, vel compleri insufficientia Petri. neg. conseq. ad prob. qui negant necessitatem modorum, admittunt totum: alii negant ma. nam, ut dictum *num.* 756. indifferentia, vel insufficientia est diversa, quandoque major, quandoque minor: quandoque potest tolli per unum, quandoque requiruntur plura: in iis autem casibus, ubi adstruuntur modi, docent isti auctores, non posse indifferentiam tolli per aliud, quam per similem modum, quod specialibus rationibus se probare asserunt, de qua re suo loco in Physica.

758. Ob. 11. Sæpe in relatione etiam identitatis terminus, & fundamentum, si seorsim sumantur, sunt indifferentia ad relationem: ergo etiam sunt indifferentia, si simul sumantur; nam sunt idem, sive simul, sive seorsim sumantur. Resp. conc. ant. neg. conseq. cum sua probatione addita; nam partes seorsim sumptæ, & partes simul sumptæ, non sunt adæquate idem, sed differunt ut totum, & pars; revera enim partes simul sumptæ sunt totum: at vero seorsim sumptæ non sunt totum, sed sunt tantum quælibet pars, per descensum distributivum enumeranda: verum de hoc fusius in Physica, ubi de modo totalitatis.

759. Ob. 12. Fundamentum, & terminus, sunt extrema relationis: ergo debet dari aliquod medium, seu vinculum inter ipsa: sed hoc est modus superadditus: ergo. Confir. Relatio est accidens: ergo non potest stare in ratione fundandi, quæ est quandoque substantia: ergo debet stare in modo. Resp. neg. conseq. neque enim sunt extrema, quæ debeant facere a parte rei unum physicum, sed tantum quomodocumque, seu fundamentaliter unum; unde necesse non est aliquod vinculum realiter distinctum: quidquid sit, an admittendum sit vinculum, moraliter tantum ab ipsis distinctum. Ad confir. dist. ant. relatio est accidens physicum, vel logicum. conc. ant. necessario accidens physicum. neg. ant. & conseq. potest autem etiam substantia esse accidens logicum, ut dictum est *num.* 711. & 598. atque patet in exemplo habitus, vel vestis ibidem adducto.

760. Ob. 13. Similitudo est perfectio intrinseca rei simili, & distincta a ratione fundandi: ergo relatio saltem similitudinis consistit in modo superaddito. prob. ant. equus majori pretio emitur, si sit similis alteri, quam si non sit similis: ergo similitudo est perfectio intrinseca equo, distincta a ratione fundandi. Confirm. In relationibus consistit ordo, & pulchritudo universi: sed ordo, & pulchritudo est summa perfectio universi: ergo in relationibus consistit summa perfectio universi: ergo sunt modi superadditi.

Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. Recte ait Semery *disp. 4. Leg. q. 8. n. 6.* similitudinem esse indifferentem; nam, si equus sit similis equo malo, etiam ipse erit malus: si autem sit similis bono, etiam ipse erit bonus: intrinsece autem similitudo nihil addit, præter rationem fundandi: quin etiam pater non est intrinsece perfectus, si habeat insignem filium; nam ab ignavis parentibus nascuntur quandoque egregii libeti, & vicissim) nisi forte arguitive; quia quandoque arguitur ex filio bene educato virtus, & prudentia patris.

761. Quando autem carius ematur equus similis, quam alius, non probat majorem in ipso perfectionem intrinsecam; nam sæpe aliquid carius emitur propter circumstantias pure extrinsecas: e. g. carius emitur panis tempore famis: item aliquando, si quis sciat, quendam equum placere alicui, cujus ipse gratiam aucupatur, illum quandoque excessivo etiam pretio emit, ut eo dein oblato patroni gratiam sibi conciliet,

In casu objectionis equus carius emitur, non propter modulum, (quem equus juxta adversarios etiam haberet, si alicui equo in Indiis esset similis, de quo tamen nec emptor, nec venditor aliquid sciret, qua tantum existente similitudine equus carius minime emeretur) sed propter alium finem, e. gr. delectationem, quam quærit emptor, ex aspectu similitudinis, vel ex laude, & æstimatione hominum, quam sperat ex curru tracto a pluribus equis similibus. Ad confirm. neg. ultimam conseq. Ordo, & relatio, est quidem perfectio intrinseca toti universo adæquate sumpto: sed non est perfectio intrinseca cuilibet enti particulari, & distincta a ratione fundandi: adeoque nulla opus est entitate modali superaddita.

762. Ob. 14. Relatio est entitas simplex: sed ratio fundandi sæpissime non est entitas simplex: ergo ratio fundandi non est relatio. ergo relatio est aliquis modus. prob. ma. per relationem plura fiunt unum: ergo debet esse entitas una, & simplex. Confir. Si relatio non est entitas una, & simplex, totum universum est ens per accidens, ut cumulus lapidum: hoc non potest admitti: ergo. Resp. neg. ma. licet enim relatio sæpe sit entitas simplex, quando scilicet ratio fundandi talis est: at non est necessario semper entitas simplex.

Ad prob. dist. ant. per relationem plura fiunt unum fundamentaliter. conc. ant. fiunt unum formaliter. neg. ant. & conseq. quid hoc sit vide *n.* 496. Ad confirm. neg. ma. Est quidem universum in aliquo sensu totum per accidens; id est, partes illius non sunt inter se physice continuativæ, vel informativæ unitæ: at non est totum per accidens, ut cumulus lapidum, sine ordine, ac dispositione, casu in unum conjectorum; nam partes universi sunt summa prudentia, ac ordine a Deo inter se dispositæ.

763. Dices. Relatio rationis est entitas una, & simplex: ergo etiam relatio realis debet esse talis; nam debent mutuo proportionari. Resp. neg. conseq.

quam non evincit addita ratio; proportio enim unius relationis cum altera, non ſtat in hoc, quod una debeat eſſe entitative talis, qualis eſt altera: certe relatio rationis ſtat in cognitione: cognitio autem ſæpe non proportionatur objecto entitative; nam ſæpe cognitio eſt abſtractiva, quin objectum a parte rei abſtractum eſſe poſſit: ſed proportio iſtarum relationum tantum ſtat in hoc, quod relatio rationis quidem intentionaliter, relatio vero realis realiter, debeat referre unum ad alterum: & quod cognitio nihil debeat repræſentare, quod in objecto non exiſtit: e contra objectum debeat tale eſſe, quale a cognitione repræſentatur.

ARTICULUS V.

Solvuntur Reliqua Objectiones.

764. OB. 1. contra 5. concluſ. Relatio identitatis non poteſt identificari cum adæquata ratione fundandi: ergo concluſio non ſubſiſtit. prob. ant. in relatione identitatis adæquata ratio fundandi identificatur fundamento, & termino: ſed fundamentum, & terminus, non poſſunt identificari relationi: ergo. prob. mi. omnes partes relationis debent referri ad aliud: ſed terminus non poteſt referri ad aliud: ergo non poteſt eſſe pars relationis. prob. ma. relatio ut relatio, ſive reduplicative ſumpta, eſt ordo unius ad aliud: ergo omnes ejus partes debent referri ad aliud.

Reſp. neg. ant. ad prob. neg. mi. ad hujus prob. neg. ma. & ad hujus prob. neg. conſeq. nam quamvis concretum etiam ſumatur reduplicative, non ideo de omnibus ejus partibus poteſt dici prædicatum, ut oſtenſum eſt *nn.* 578. & 664. quare neque in relatione identitatis, etiam reduplicative ſumpta, debet de omni parte rationis fundandi, ſeu etiam de termino dici, quod referatur ad aliud.

765. Dices. Saltem relatio etiam identitatis eſt ratio, quare ipſamet referatur ad aliquid aliud: ergo terminus non eſt pars relationis identitatis. prob. conſeq. terminus non poteſt eſſe ratio, quare aliquid referatur ad aliud, ſed tantum poteſt eſſe ratio,

tio, quare aliquid referatur ad ipſum terminum: ergo. Reſp. diſt. ant. relatio identitatis eſt ratio, quare ipſa denominative ſumpta referatur ad aliud, diſtinctum ab ipſa denominative ſumpta. conc. ant. eſt ratio, ob quam ipſa denominative ſumpta referatur ad aliud, diſtinctum ab ipſa quidditative, ſive concretive ſumpta. neg. ant. & conſeq. ad prob. diſt. ant. terminus non poteſt eſſe ratio, quare aliquid referatur ad aliud diſtinctum a relatione identitatis quidditative ſumpta, vel diſtinctum ab ipſo etiam termino. conc. ant. quare aliquid referatur ad aliud, tantum diſtinctum a relatione identitatis denominative ſumpta, vel diſtinctum a fundamento. neg. ant. & conſeq.

766. Quando dicitur, relativum, vel relatio referri ad aliud, intelligitur per ſe tantum relativum, vel relatio denominative accepta, ſive ſecundum rectum; unde tantum una pars relativi, vel relationis identitatis, debet referri ad alteram. Neque debet ea pars referri ad aliquid a tota relatione adæquata diſtinctum, quando fundamentum, & terminus identificantur adæquatæ rationi fundandi, ut contingit in relatione identitatis.

Sicut ferme, quando anima, & corpus, uniuntur inter ſe, etiam uniuntur ipſi unioni: &, dum dicitur aliquid unitum alteri, non ſemper intelligitur unitum alteri adæquate diſtincto ab omnibus partibus hujus concreti unitum (nam poteſt etiam intelligi, quod uniatur unioni ipſi) ita etiam, quando dicitur relatio referri ad alterum, non neceſſario intelligitur alterum, a relatione tota adæquate diſtinctum.

767. Ob. 2. Poteſt manere adæquata ratio fundandi, & non manere relatio: ergo ſunt inter ſe diſtinctæ. prob. ant. in SS. Euchariſtia poſt conſecrationem manet utraque albedo, ſeu adæquata ratio fundandi, in duabus ſacris hoſtiis. & tamen non manet relatio ſimilitudinis inter duos panes: ergo. Reſp. neg. ant. ad prob. neg. 2. p. ant. manet enim relatio, ſeu forma, ſaltem in actu primo denominans relativum, quamvis non denominet in actu ſecundo: ſicut manet albedo, ſeu forma denominans album, quamvis actu non denominet ex defectu ſubjecti, vel unionis cum illo.

quam non evincit addita ratio; proportio enim unius relationis cum altera, non ſtat in hoc, quod una debeat eſſe entitative talis, qualis eſt altera: certe relatio rationis ſtat in cognitione: cognitio autem ſæpe non proportionatur objecto entitative; nam ſæpe cognitio eſt abſtractiva, quin objectum a parte rei abſtractum eſſe poſſit: ſed proportio iſtarum relationum tantum ſtat in hoc, quod relatio rationis quidem intentionaliter, relatio vero realis realiter, debeat referre unum ad alterum: & quod cognitio nihil debeat repræſentare, quod in objecto non exiſtit: e contra objectum debeat tale eſſe, quale a cognitione repræſentatur.

ARTICULUS V.

Solvuntur Reliqua Objectiones.

764. OB. 1. contra 5. concluſ. Relatio identitatis non poteſt identificari cum adæquata ratione fundandi: ergo concluſio non ſubſiſtit. prob. ant. in relatione identitatis adæquata ratio fundandi identificatur fundamento, & termino: ſed fundamentum, & terminus, non poſſunt identificari relationi: ergo. prob. mi. omnes partes relationis debent referri ad aliud: ſed terminus non poteſt referri ad aliud: ergo non poteſt eſſe pars relationis. prob. ma. relatio ut relatio, ſive reduplicative ſumpta, eſt ordo unius ad aliud: ergo omnes ejus partes debent referri ad aliud.

Reſp. neg. ant. ad prob. neg. mi. ad hujus prob. neg. ma. & ad hujus prob. neg. conſeq. nam quamvis concretum etiam ſumatur reduplicative, non ideo de omnibus ejus partibus poteſt dici prædicatum, ut oſtenſum eſt *nn.* 578. & 664. quare neque in relatione identitatis, etiam reduplicative ſumpta, debet de omni parte rationis fundandi, ſeu etiam de termino dici, quod referatur ad aliud.

765. Dices. Saltem relatio etiam identitatis eſt ratio, quare ipſamet referatur ad aliquid aliud: ergo terminus non eſt pars relationis identitatis. prob. conſeq. terminus non poteſt eſſe ratio, quare aliquid referatur ad aliud, ſed tantum poteſt eſſe ratio,

tio, quare aliquid referatur ad ipſum terminum: ergo. Reſp. diſt. ant. relatio identitatis eſt ratio, quare ipſa denominative ſumpta referatur ad aliud, diſtinctum ab ipſa denominative ſumpta. conc. ant. eſt ratio, ob quam ipſa denominative ſumpta referatur ad aliud, diſtinctum ab ipſa quidditative, ſive concretive ſumpta. neg. ant. & conſeq. ad prob. diſt. ant. terminus non poteſt eſſe ratio, quare aliquid referatur ad aliud diſtinctum a relatione identitatis quidditative ſumpta, vel diſtinctum ab ipſo etiam termino. conc. ant. quare aliquid referatur ad aliud, tantum diſtinctum a relatione identitatis denominative ſumpta, vel diſtinctum a fundamento. neg. ant. & conſeq.

766. Quando dicitur, relativum, vel relatio referri ad aliud, intelligitur per ſe tantum relativum, vel relatio denominative accepta, ſive ſecundum rectum; unde tantum una pars relativi, vel relationis identitatis, debet referri ad alteram. Neque debet ea pars referri ad aliquid a tota relatione adæquata diſtinctum, quando fundamentum, & terminus identificantur adæquatæ rationi fundandi, ut contingit in relatione identitatis.

Sicut ferme, quando anima, & corpus, uniuntur inter ſe, etiam uniuntur ipſi unioni: &, dum dicitur aliquid unitum alteri, non ſemper intelligitur unitum alteri adæquate diſtincto ab omnibus partibus hujus concreti unitum (nam poteſt etiam intelligi, quod uniatur unioni ipſi) ita etiam, quando dicitur relatio referri ad alterum, non neceſſario intelligitur alterum, a relatione tota adæquate diſtinctum.

767. Ob. 2. Poteſt manere adæquata ratio fundandi, & non manere relatio: ergo ſunt inter ſe diſtinctæ. prob. ant. in SS. Euchariſtia poſt conſecrationem manet utraque albedo, ſeu adæquata ratio fundandi, in duabus ſacris hoſtiis. & tamen non manet relatio ſimilitudinis inter duos panes: ergo. Reſp. neg. ant. ad prob. neg. 2. p. ant. manet enim relatio, ſeu forma, ſaltem in actu primo denominans relativum, quamvis non denominet in actu ſecundo: ſicut manet albedo, ſeu forma denominans album, quamvis actu non denominet ex defectu ſubjecti, vel unionis cum illo.

Alii negant 1. p. ant. & dicunt, solas albedines non esse adæquatam rationem fundandi, sed hanc involvere etiam uniones, adeoque in eo casu non manere adæquatam rationem fundandi. Equidem, ut detur ratio fundandi, in actu secundo denominans relativum, etiam necessaria est unio cum subjecto: at vero, ut tantum detur ratio fundandi, denominans in actu primo, unio non requiritur. In casu vero impossibili, quo fingeretur dari albedo utraque, & unio, non tamen panis, dabitur tota relatio, sed non dabitur relativum, ob defectum subjecti, non formæ.

768. Ob. 3. Potest cognosci, quin etiam affirmari, tota ratio fundandi, quin cognoscatur, aut affirmetur relatio: ergo sunt distinctæ. Resp. dist. ant. potest cognosci, vel affirmari ratio fundandi, quin etiam realiter cognoscatur, vel affirmetur relatio. neg. ant. quin formaliter cognoscatur, vel affirmetur relatio. conc. ant. & neg. conseq. nam potest quidem cognosci, e. g. utraque albedo, quin ad invicem comparetur, vel referatur: & tunc non cognoscitur formaliter relatio; non tamen potest cognosci ratio fundandi, quin realiter etiam attingatur relatio, ut dictum circa animal, & rationale *a n.* 447.

769. Ob. 4. Ex nostra sententia sequitur, quod, crescente albedine ex parte unius muri, crescat etiam similitudo murorum: hoc est aperte falsum; quia muri fierent minus similes: ergo. ma. prob. crescente parte crescit totum: ergo crescente una albedine, quæ est juxta nos pars similitudinis, crescit similitudo. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ant. nisi crescente una parte tollatur alia pars. conc. ant. si tollatur alia pars. neg. ant. & conseq. Similitudo in specie tanta (de qua fermo esse debet) non tantum constituitur ex albedine, sed etiam ex tanteitate albedinis, ex una, & altera parte, sive ex proportione graduum albedinis ad se invicem: hæc autem tanteitas, vel proportio stat etiam partialiter in negatione plurium graduum, quæ negatio dein tollitur per incrementum unius albedinis, seu per additionem graduum albedinis: adeoque minuitur similitudo murorum.

770. Dices. Etiamsi crescat albedo ex utraque parte, tamen non crescit similitudo: ergo non potest simi-

similitudo esse identificata adæquate albedini. prob. ant. si duo muri, prius albi ut tria, postea fiant albi ut sex, propterea non fiunt similiores: ergo. Resp. 1. hoc argumentum etiam solvendum adversariis in relatione fundamentali, ex qua juxta ipsos resultat modus similitudinis intensioris: vel etiam debet solvi in complexo, quod etiam deberet fieri magis simile. Resp. 2. me jam dixisse, similitudinem etiam dicere tanteitatem, vel proportionem graduum. Resp. 3. dist. ant. etsi crescat albedo, non crescit similitudo materialiter, & realiter. neg. ant. non crescit formaliter. conc. ant. & neg. conseq. ad prob. conc. ant. & sub priori dist. conc. vel neg. conseq.

771. Ut totum crescat aliquo modo realiter, aut materialiter, sufficit, ut crescant partes sub aliqua quacumque ratione: & sic, si duo juvenes æqualiter crescant, crescit materialiter binarius. Ut autem totum crescat formaliter, in aliqua ratione, seu denominatione, debet crescere forma tribuens illam denominationem; sic in priore exemplo, licet crescant illi duo juvenes quoad staturam corporis; quia tamen statura non est forma denominans binarium, vel numerum, non crescunt formaliter in ratione binarii, vel numeri.

Sic etiam, licet extendatur magis in longum pannus albus, non crescit propterea in albedine; quia longitudo, vel extensio, non est forma denominans album: sic quoque circulus non crescit in ratione circuli, si ex ferreo fiat aureus; quia perfectio major auri non est forma denominans circulum, sed rotunditas, &, si in hac crescat, tunc crescet in ratione circuli.

772. Jam vero similitudo perfecta murorum (de qua hic agitur) non stat tantum in gradibus albedinis ut sic, sed in eorum æqualitate quoad numerum, vel intensionem; unde, si deberent crescere in similitudine perfecta, deberent crescere in ea æqualitate: quæ, cum stet in indivisibili, adeoque crescere nequeat (neque enim utrinque sex gradus sunt magis similitudo perfecta, quam utrinque tres gradus) etiam similitudo perfecta, seu forma denominans perfecte simile, crescere nequit.

773. Dices. Quando dicitur: *Petrus ut Logicus*

disputat: Logica non venit in recto, neque significatur: *Petrus, & Logica disputat*: ut diximus *n.* 664. ergo etiam, quando dicitur: *Albedo ut æqualis crescit*: æqualitas non venit in recto, neque significatur: *Albedo, & ejus æqualitas crescit*. Resp. retorq. arg. ergo etiam, quando dicitur: *Album ut album crescit*: albedo non venit in recto, neque significatur, quod albedo crescat: quod est falsum. Verum est, quod non semper reduplicatio exigat, ut omnes partes concreti veniant in recto, & de iis possit affirmari prædicatum: attamen id aliquando fit, ut patet in exemplo modo allato, & alio allato *n.* 664.

774. Quod autem id etiam fieri debeat in casu præsentis objectionis, seu quando dicitur: *Similitudo perfecta crescit*: probatur sic. Ut dictum est *numer.* 771. ad hoc, ut totum aliquod, seu denominatio aliqua, formaliter crescat, debet crescere forma tribuens eam denominationem: & præsertim debet crescere illa pars formæ, quæ est ultimo determinativa, & completiva significati expressi illius denominationis, seu effectus formalis, qui in illa denominatione maxime elucet; atqui in hac denominatione murorum albotum perfecte similium maxime elucet omnimoda convenientia, vel æqualitas in albedine, ad quam ultimo determinat æqualitas graduum: ergo, si crescere deberet denominatio murorum perfecte similium, deberet etiam crescere æqualitas graduum: hoc non fieret in casu objectionis, ut patet: imo nec fieri potest; quia æqualitas stat in indivisibili: ergo.

775. Ob. 5. Si relatio consistit in sola adæquata ratione fundandi, tunc totum minus pulchrum posset fieri magis pulchrum per subtractionem pulchritudinis, vel posset totum magis pulchrum reddi minus pulchrum, per additionem pulchritudinis: utrumque est absurdum: ergo. prob. ma. si nasus per se sit pulcher, sed nimis magnus pro hac facie, & aliquid de ejus magnitudine demetur, fiet nasus pulchrior pro hac facie per subtractionem pulchritudinis: e contra, si nasus sit faciei pulchræ proportionatus, & aliquid ei addatur, ita, ut nasus in se sit totus pulcher, fiet tamen pro hac facie minus pulcher, vel omnino deformis: ergo.

Resp.

Resp. neg. ma. ad prob. neg. suppositum, quod talis nasus sit pulcher in hac facie; nam pulchrum est denominatio, saltem partialiter extrinseca, & constituta ex proportione cum aliis partibus: quæ proportio involvit etiam alias partes, seu saltem earum dispositionem, & ordinem, item negationem rerum superfluarum: verbo, involvit totum id, quod requiritur ad hoc, ut res delectet intuentem; hoc enim significat pulchrum; unde sæpe, quod pulchrum est in aliquibus circumstantiis, in aliis est deforme, & circumstantiæ saltem sæpe sunt partes pulchri concretive sumpti.

776. Quare nasus talis non est pulcher in hac facie, licet pulcher esset in alia, vel etiam seorsim sumptus. Unde, quando tali naso aliquid detrahitur, non detrahitur pulchritudo, sed deformitas, seu improportio, qua ablata, nasus fit pulchrior. Idem dicendum est proportionaliter de additione alicujus ad nasum, vel faciem. Eadem etiam responsio danda est, si objiciatur, quod juxta nos possit totum pulchrum componi ex meris deformibus: e. g. si plures essent homines, quorum singuli haberent unum membrum nimis magnum, & Deus membra ista conjungeret in unum corpus, istud posset esse pulchrum: scilicet ista membra essent tantum deformia in circumstantiis conjunctionis cum membris improportionatis, non autem in circumstantiis compositionis eorum in unum corpus.

777. Ob. 6. Si relatio consistit in ratione fundandi, non potest quis honeste amare mores Sancti Petri dissimiles moribus Judæ: hoc est falsum: ergo. prob. ma. ratio fundandi in relatione dissimilitudinis includit mores utriusque: sed non potest quis in hoc casu honeste amare mores utriusque: ergo non potest honeste amare dissimilitudinem morum, seu mores dissimiles. Confir. 1. Mores S. Petri possunt amari ut dissimiles moribus Judæ: ergo potest amari ipsa dissimilitudo. Confirm. 2. Juxta nos hæc denominatio *homo dissimilis equo*, & ista *equus dissimilis homini*, constituerentur ex iisdem partibus: hoc est falsum: ergo. Resp. dist. ma. non potest quis honeste amare mores S. Petri dissimiles, quidditative, seu concretive sumptos. conc. ma. denominative sumptos. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq.

778. Ad

778. Ad 1. confir. neg. conseq. si intelligatur dissimilitudo adæquate sumpta. Utramque hanc responsionem jam sæpius explicaviimus. videri possunt superius dicta *n.* 327. *n.* 578. *n.* 664. Eadem responsio datur, aut eadem distinctio reponitur, si objiciatur, juxta nos non posse amari pœnam conformem delicto; eo quod juxta nos illa conformitas involveret ipsum delictum. Ad 2. confir. dist. ma. ita, ut etiam eædem partes veniant in recto in utraque denominatione. neg. ma. ut hoc non fiat. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Ex hac autem differentia sequitur, quod vera sit hæc propositio: *Homo dissimilis equo est rationalis*; non vero ista: *Equus dissimilis homini est rationalis*; nam in priori quidem propositione convenit recto hoc prædicatum, & hinc de ea denominatione potest affirmari: secus res se habet in propositione posteriore. vide *n.* 665.

779. Ob. 7. Ratio fundandi est id, quod fundat relationem: sed nihil fundat seipsum: ergo ratio fundandi non est relatio. Confir. Juxta nos non potest dari discrimen inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem: hoc est absurdum: ergo. prob. ma. eadem e. g. actio generativa esset relatio prædicamentalis, & transcendentalis inter patrem & filium: ergo. Resp. dist. ma. ratio fundandi fundat relationem, hoc est, ratio fundandi est forma denominans relativum, & ratio, cur unum referatur ad alterum. conc. ma. in alio sensu. neg. ma. & dist. mi. nihil fundat seipsum, in hoc tantum sensu, quod sit ratio, cur ipsum, vel etiam aliud, referatur ad alterum. neg. mi. in alio sensu. om. mi. & neg. conseq. Certe tam complexum, quam modus superadditus, debent esse ratio, cur ipsa, vel alia referantur ad Deum, & sic in hoc sensu fundare suam relationem, vel seipsa: si tamen adversariis displiceat hic modus loquendi, forte minus proprius, debent accusare auctores antiquos, a quibus est derivatus.

780. Ad confir. neg. ma. ad prob. neg. ant. nam actio generativa non est relatio transcendentalis filii ad patrem; neque enim illum transcendentaliter refert ad hunc: sed tantum refert transcendentaliter actio seipsam ad patrem, & etiam ad filium. Unde in hoc casu ratio fundandi non refert eadem extrema transcendentaliter, & prædicamentaliter ad invicem: sed aliqua extrema refert prædicamentaliter, alia vero transcendentaliter: quod etiam debent admittere adversarii; nam e. g. modus, vel complexum, referunt patrem ad filium, & vicissim, prædicamentaliter: at seipsa referunt ad Deum transcendentaliter.

781. Dices. Ipsa actio generativa habet etiam relationem coexistentiæ ad patrem, & filium: & ipsa etiam est partialis ratio fundandi hujus relationis: ergo ipsa est etiam relatio prædicamentalis ad patrem, & filium. Resp. si actio non sit identificata cum duratione sua, hoc argumentum fors posset hic evitari: sed rediret statim in duratione, e. g. patris; nam hæc utpote modus habet relationem transcendentalem ad patrem, & ut ipsi coexistens habet etiam relationem prædicamentalem; unde conc. totum.

Non est absurdum, quod eadem res ad eundem terminum habeat relationem aliquam prædicamentalem, & aliam transcendentalem: id quod videtur abomnibus debere admitti in relationibus creaturarum ad Deum; nam quælibet creatura, sive absoluta, sive modalis, refertur transcendentaliter ad Deum, & simul etiam in relatione dissimilitudinis, vel coexistentiæ, prædicamentaliter, ut diximus *num.* 720. Interim discrimen semper manet satis magnum inter relationem transcendentalem, & prædicamentalem; quod in illa relatio, & ratio fundandi, sit adæquate identificata fundamento: in ista vero ratio fundandi sit, vel adæquate, vel saltem inadæquate distincta a fundamento.

DISPUTATIO V.

De Signis.

782. TRactatibus de Prædicamentis subdit Aristoteles libros *Perihermenias*, seu *de interpretatione*: quæ vox juxta eruditissimos Conimbricenses *proœm. in hos libros* hic aliud non significat, quam manifestationem internorum conceptuum, quorum scilicet interpretes sunt voces. Ex primaria autem intentione (ut volunt iidem Conimbricenses *de scopo, institutoque hujus operis*, id est *libri perihermenias*)

778. Ad 1. confir. neg. conseq. si intelligatur dissimilitudo adæquate sumpta. Utramque hanc responsionem jam sæpius explicaviimus. videri possunt superius dicta *n.* 327. *n.* 578. *n.* 664. Eadem responsio datur, aut eadem distinctio reponitur, si objiciatur, juxta nos non posse amari pœnam conformem delicto; eo quod juxta nos illa conformitas involveret ipsum delictum. Ad 2. confir. dist. ma. ita, ut etiam eædem partes veniant in recto in utraque denominatione. neg. ma. ut hoc non fiat. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Ex hac autem differentia sequitur, quod vera sit hæc propositio: *Homo dissimilis equo est rationalis*; non vero ista: *Equus dissimilis homini est rationalis*; nam in priori quidem propositione convenit recto hoc prædicatum, & hinc de ea denominatione potest affirmari: secus res se habet in propositione posteriore. vide *n.* 665.

779. Ob. 7. Ratio fundandi est id, quod fundat relationem: sed nihil fundat seipsum: ergo ratio fundandi non est relatio. Confir. Juxta nos non potest dari discrimen inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem: hoc est absurdum: ergo. prob. ma. eadem e. g. actio generativa esset relatio prædicamentalis, & transcendentalis inter patrem & filium: ergo. Resp. dist. ma. ratio fundandi fundat relationem, hoc est, ratio fundandi est forma denominans relativum, & ratio, cur unum referatur ad alterum. conc. ma. in alio sensu. neg. ma. & dist. mi. nihil fundat seipsum, in hoc tantum sensu, quod sit ratio, cur ipsum, vel etiam aliud, referatur ad alterum. neg. mi. in alio sensu. om. mi. & neg. conseq. Certe tam complexum, quam modus superadditus, debent esse ratio, cur ipsa, vel alia referantur ad Deum, & sic in hoc sensu fundare suam relationem, vel seipsa: si tamen adversariis displiceat hic modus loquendi, forte minus proprius, debent accusare auctores antiquos, a quibus est derivatus.

780. Ad confir. neg. ma. ad prob. neg. ant. nam actio generativa non est relatio transcendentalis filii ad patrem; neque enim illum transcendentaliter refert ad hunc: sed tantum refert transcendentaliter actio seipsam ad patrem, & etiam ad filium. Unde in hoc casu ratio fundandi non refert eadem extrema transcendentaliter, & prædicamentaliter ad invicem: sed aliqua extrema refert prædicamentaliter, alia vero transcendentaliter: quod etiam debent admittere adversarii; nam e. g. modus, vel complexum, referunt patrem ad filium, & vicissim, prædicamentaliter: at seipsa referunt ad Deum transcendentaliter.

781. Dices. Ipsa actio generativa habet etiam relationem coexistentiæ ad patrem, & filium: & ipsa etiam est partialis ratio fundandi hujus relationis: ergo ipsa est etiam relatio prædicamentalis ad patrem, & filium. Resp. si actio non sit identificata cum duratione sua, hoc argumentum fors posset hic evitari: sed rediret statim in duratione, e. g. patris; nam hæc utpote modus habet relationem transcendentalem ad patrem, & ut ipsi coexistens habet etiam relationem prædicamentalem; unde conc. totum.

Non est absurdum, quod eadem res ad eundem terminum habeat relationem aliquam prædicamentalem, & aliam transcendentalem: id quod videtur abomnibus debere admitti in relationibus creaturarum ad Deum; nam quælibet creatura, sive absoluta, sive modalis, refertur transcendentaliter ad Deum, & simul etiam in relatione dissimilitudinis, vel coexistentiæ, prædicamentaliter, ut diximus *num.* 720. Interim discrimen semper manet satis magnum inter relationem transcendentalem, & prædicamentalem; quod in illa relatio, & ratio fundandi, sit adæquate identificata fundamento: in ista vero ratio fundandi sit, vel adæquate, vel saltem inadæquate distincta a fundamento.

DISPUTATIO V.

De Signis.

782. TRactatibus de Prædicamentis subdit Aristoteles libros *Perihermenias*, seu *de interpretatione*: quæ vox juxta eruditissimos Conimbricenses *proœm. in hos libros* hic aliud non significat, quam manifestationem internorum conceptuum, quorum scilicet interpretes sunt voces. Ex primaria autem intentione (ut volunt iidem Conimbricenses *de scopo, institutoque hujus operis*, id est *libri perihermenias*)

nias) videtur Philosophus in his libris agere, non de qualibet voce, sed de enunciatione, seu secunda mentis operatione. Ut autem hujus proprietates, nempe universalitatem, particularitatem, affirmationem, negationem, modum &c. accuratius explicare possit, præmittit *c.* 1. notitiam aliquam de notis, seu signis (nam voces sunt signa conceptuum) tum *c.* 2. agit de nomine, & *c.* 3. de verbo, ex quibus scilicet componitur enunciatio: inde *c.* 6. agit de veritate, earum præsertim propositionum, quæ de futuris contingentibus sunt. Quia tamen horum pleraque jam sunt explicata in Summulis, ideo hoc loco tantum solet tractari de duobus, nempe de signorum, maxime vocum significatione, atque de veritate. Et de his nos quoque per duas quæstiones agemus.

QUÆSTIO PRIMA.

De Vi Significativa Signorum, maxime Vocum.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Signum.

783. *Signum* ex S. Augustino *l.* 2. *de doctrin. Christ. c.* 1. est *res, præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire.* Hæc tamen definitio universalis non est, nec nisi signis instrumentalibus, & sensibilibus (quæ quidem hominibus, sensu præcipue moveri solitis, præcipua sunt) convenit; quare universalior quædam statuta est ex S. Thoma *q.* 9. *de verit. a.* 4. *ad* 4. ubi ait: *Possumus signum dicere quodcumque notum, in quo aliquid cognoscatur*: itaque *Signum est id, in quo, aut ex quo noto, aliud cognoscitur*: vel paulo clarius: *Signum est, quod vel formaliter, vel objective, ducit in cognitionem alterius.*

Jam formaliter ducere in cognitionem alterius est esse formam, quæ potentiam denominat cognoscentem: & sic in cognitionem alterius ducit ipsa cognitio, quæ propterea dicitur *signum formale*. At objective ducere in cognitionem alterius est esse objectum,

ctum, quod ut cognitum facit etiam cognoscere aliud, atque vocatur *signum instrumentale*: & tale est e. g. fumus, ex quo cognoscitur ignis.

784. Dividitur autem *signum in genere* in *rememorativum*, seu rei præteritæ: in *demonstrativum*, seu rei præsentis: in *prognosticum*, seu rei futuræ: in *sensibile*, seu sensibus perceptibile, & *insensibile*, seu sensibus imperceptibile: in *naturale*, quod ex naturalibus principiis vim suam habet, & in *supernaturale*, quod principiis supernaturalibus vim suam debet: in *fallibile*, & *infallibile*, quæ non indigent explicatione: in *verum*, quod non adest, quin etiam adsit suum significatum: & *falsum*, quod adest sine suo significato. Ubi nota, ad verum signum non requiri, ut ipsum semper adsit, quando adest significatum, sed tantum, ut ipsum non adsit sine suo significato. Sic rugitus est signum leonis viventis, quamvis leo possit vivere sine rugitu. Aliæ divisiones signi in genere, si forte afferantur, facile ex ipsis terminis intelligentur. Restant exponendæ divisiones signi instrumentalis.

785. Dividitur 1. Signum instrumentale in *signum naturale*, & *morale*. Illud, seu *naturale* (quod hic sumitur, non ut oppositum supernaturali, sed morali) est, quod habet naturalem connexionem cum significato: tale signum est causa necessaria respectu sui effectus, e. g. nubes densa respectu pluviarum: vel est effectus respectu causæ, e. g. fumus respectu ignis: vel etiam unus effectus connexus cum altero, e. g. fulgura respectu tonitruum. Hinc ille versus: *Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat*: nempe varius color apparens lunæ, ratione atmosphæræ terrestris, indicat, aut pluvias, aut ventos, aut serenitatem. Hinc regulæ ortæ de noscenda anni, ac mensium tempestate, quæ dicuntur *rusticæ*.

Alterum vero, seu *signum morale* est, quod habet, aliquam connexionem cum re significata, vel ex consuetudine: sic ex. gr. mappa mensæ instrata est signum prandii, vel cœnæ; licet per se mappa non fit instituta ad significandum prandium, vel cœnam: sic etiam vestis virilis est signum viri: vel habet connexionem ex institutione hominum: & hoc vocatur etiam *signum ex institutione hominum*, vel

vel *signum ad placitum* : sic hedera appensa ad fores domus est signum vini vendibilis , & circulus stramineus est signum vendibilis cerevisiæ : sceptrum est signum regis &c. Hoc signum ex institutione hominum subdividitur in *signum privatum* , quod uni soli significat , vel privata auctoritate est institutum : & in *publicum*, quod publica auctoritate pro communitate est institutum.

786. Dividitur 2. Signum instrumentale in *signum speculativum* , & *practicum* . Prius , seu *speculativum*, est , quod non effieit suum significatum : sic hedera appensa domui non efficit vinum : sic hirundines , supra aquas volitantes , easque pennis sæpe percutientes , sunt signum speculativum imminentium pluviarum. Posterius , sive *practicum* est , quod efficit significatum : sic ventus orientalis est nobis signum serenæ tempestatis , quam adducit : sic nubes gravida est signum pluviarum , & ignis est signum caloris : sic sacramenta novæ legis sunt signa practica gratiæ sanctificantis , quam efficiunt.

787. Dividitur 3. Signum instrumentale in *signum in actu primo* , & *signum in actu secundo* . Illud est , quod potest in cognitionem ducere : hoc , quod actu in cognitionem ducit . Dividitur 4. in *signum suppositivum* , & *signum pure manifestativum* . Illud , seu *pure manifestativum* est , quod solum indicat rem , non tamen pro ea substituitur tanquam vicarium rei significatæ , in ordine ad prædicationem , vel subjectionem : sic fumus est signum pure manifestativum ignis ; nec enim prædicatum , quod convenit igni , e. g. lucidum , tribuitur fumo : sic etiam hedera est signum pure manifestativum vini ; non enim , nisi per metaphoram , supponitur pro vino : & esset etiam valde audax tropus , si quis diceret : *Hedera bibitur*.

788. At alterum , seu *signum suppositivum* est , quod non tantum rem quomodocumque significat , sed etiam substituitur pro re , atque pro ista supponit : & talia signa sunt calculi in supputatione : item personæ in theatro : rursus voces in locutione pro rebus adhibitæ ; nam his attribuuntur ea prædicata , quæ per se tantum conveniunt rebus , pro quibus substituuntur , vel pro quibus supponunt.

Nota

Nota autem , plures aliquando ex his divisionibus , vel prædicatis signorum , in unum , idemque signum coincidere : sic cognitio reflexa est simul signum formale , & instrumentale : sic sacramenta novæ legis sunt signa speculativa , & rememorativa passionis Domini , & simul sunt signa practica , & demonstrativa gratiæ , atque prognostica gloriæ : sic clangor tubæ est signum naturalæ vitæ tubicinis , & signum morale progressus , vel regressus militum &c.

789. Objic. 1. Ex dictis sequeretur , causam esse signum effectus : sed hoc non est verum : ergo . prob. min. argumentum a causa ad effectum est a priori : argumentum a signo ad significatum est a posteriori : ergo causa non potest esse signum effectus . Confir. Deus non est signum creaturarum : ergo causa non est signum effectus . Resp. neg. min. ad prob. dist. 2. p. ant. argumentum a signo ad significatum est semper a posteriori . neg. ant. est sæpius a posteriori ; quia scilicet sæpius noti sunt effectus , quam causæ . conc. ant. & neg. conseq.

Ad confir. om. ant. dist. conseq. ergo non omnis causa est signum effectus . conc. conseq. nulla causa est signum effectus . neg. conseq. Deus imprimis est causa libera , nec habet connexionem cum creaturis , tanquam suis effectibus : nos autem *num.* 785. locuti sumus de causa necessaria , & habente connexionem cum effectu : dein hic modus loquendi , vel dicendi , Deum esse signum creaturarum , non est usitatus . Si tamen potest probari , quod Deus ut cognitus ducat nos in cognitionem aliorum , non video , quid desit , quo minus Deus juxta definitionem , ab omnibus receptam , dicatur eorum signum .

790. Objic. 2. Juxta nos speculum , vel saltem species visivæ , essent signum inspicientis se in speculo : hoc non est verum : ergo . Resp. neg. 1. p. maj. at conc. 2. p. Speculum non est signum inspicientis ; quia nemo cognoscendo , vel videndo præcise speculum , cognoscit seipsum , ut patet manifeste in eo , qui non stat eo situ obversus speculo , ut species ex eo in ipsum reflectantur . Quare tantum quis cognoscit se ratione specierum a speculo reflexarum , in quocumque tandem istæ consistant .

Unde species impressæ sunt signum : de quibus tamen.

tamen dubitari potest, an sint signum formale, an instrumentale. Videtur tamen dicendum cum communi, ut testantur Conimbricenses *in l. 1. Periherm. cap. 1. qu. 2. art. 3. sect. art. 1.* quod sint signum formale; eo quod recipiantur in ipsa potentia, eamque informando per se ipsas constituant, ac denominent in actu primo, sive radicaliter cognoscentem, quod ex communi sufficit ad signum formale: cum insuper non sint proprie objectum, quod cognitum faciat cognoscere aliud, quod tamen requiritur ad signum instrumentale. Equidem forte posset dici, species posse vocari aliquo modo objectum; eo quod tanquam vicariæ ex parte objecti concurrant ad cognitionem: sed in lite tere vocabularia videtur potius loquendum cum communi.

791. Objic. 3. Qui cognoscit rem immediate per se, non dicitur, eam cognoscere per signum: ergo signum formale, seu cognitio, non est signum proprie dictum. Confir. Aliqui termini, e. g. cognitio, vox, nomen &c. significant seipsos: ergo, si sunt signa, tunc signum non debet ducere in cognitionem alterius. Resp. dist. ant. non dicitur cognoscere per signum instrumentale. conc. ant. per signum formale. neg. ant. & conseq. Quæstio hæc est de modo loquendi, in qua standum auctoritate, quæ stat pro nobis. Ad confir. dist. conseq. signum non debet ducere in cognitionem alterius a se adæquate distincti. conc. conseq. saltem inadæquate distincti. neg. conseq. Isti termini autem non significant seipsos solos, sed plurimos alios.

792. Objic. 4. Juxta nos baculus esset signum verberum respectu canis, cui ostenditur: atqui non datur signum respectu brutorum: ergo. Resp. neg. maj. Baculus, nec ex natura sua, nec ex placito hominum, est signum verberum: si ergo canis eum videns fugiat, id oritur præcise ex eo, quod species baculi, & species verberum, quas habet canis, sint inter se connexæ, & excitatis illis excitentur etiam istæ, moveantque phantasiam, & appetitum ad fugam. Id non negandum, quod ostensio baculi, certo modo facta, sit signum verberum, saltem conditionate futurorum, e g. respectu servi, vel pueri, si nempe se male gerat.

An

An autem etiam tale signum sit respectu canis, pendet ex eo, an bruta cognoscant unum ex alio: circa quam quæstionem Cardinalis Sfondratus *Leg. l. 2. §. 1. num. 6.* sentit, quod, etsi bruta non habeant cognitionem comparativam, tamen possint ex cognitione unius devenire in cognitionem alterius: & sic audito lupi ululatu fugit ovis, & columba, dum videt in aquis speciem, aut umbram accipitris, avolat. Alii tamen talem cognitionem brutis non concedunt: unde omnia explicant per connexionem specierum, de qua modo dictum.

ARTICULUS II.

In quo consistat Vis Significativa Signorum.

793. Dico 1. Vis significativa signorum naturalium in actu primo consistit in connexione naturali, quam habent signa cum rebus significatis. Ita communis. Prob. Vis significativa est ratio formalis, per quam aliqua res denominatur significativa, seu potens ducere in cognitionem alterius: sed hæc ratio formalis nihil est aliud in signis naturalibus, quam connexio signi cum re significata; nam propter hanc connexionem signa naturalia possunt ducere in cognitionem rerum significatarum: ergo. Sane ideo fumus potest ducere in cognitionem ignis, non tantum materialiter, seu propter connexionem specierum, sed etiam formaliter, seu causando cognitionem illativam; quia est connexus cum igne, & ex ea connexione tanquam medio termino potest inferri, quod adsit ignis.

794. Dico 2. Vis significativa signorum ad placitum in actu primo consistit in voluntate instituentium ea signa, quæ sit sufficienter manifestata, & moraliter perseverans. Ita iterum communis. Prob. Signa ista, e. g. hedera, vel voces, antecedenter ad eam voluntatem, non significant, & posita ea voluntate significant, e. g. hedera vinum vendibile, & vox quælibet certam aliquam rem: ergo per istam voluntatem ista signa fiunt significativa: non autem causaliter; quia voluntas ista nihil in ipsis producit: ergo formaliter: adeoque ista voluntas est

ratio

ratio formalis, per quam ea signa denominantur significativa, in qua ratione, ut dictum *num. præced.* stat vis significativa.

795. Quæres, in quo consistat moralis perseverantia voluntatis instituentium signa. Resp. Hæc quæstio recurrit in plurimis materiis, & denominationibus moralibus; sic enim quæritur, in quo stet moralis perseverantia legis, consuetudinis, peccati habitualis &c. unde responsio potius petenda est a Theologo, vel Ethico, quam Logico: ut tamen aliquid dicam, ajo, posse dici, moralem perseverantiam voluntatis instituentium signa consistere in volitione eorum præterita, nec formaliter, nec virtualiter retractata.

Formaliter retractatur aliquid, quando per volitionem positive contrariam abrogatur, & tollitur: e. g. si Pontifex per aliquod decretum prohiberet, ne deinceps Episcopi uterentur mytra, cessaret hæc esse signum Episcopi. *Virtualiter* retractatur aliquid per contrariam consuetudinem, vel longum non usum: & sic retractata est institutio aliquarum vocum, quæ antiquitus fuerunt, modo autem non amplius in usu sunt.

796. Hæc moralis perseverantia aliquando dicitur *habitualis*: aliquando autem *virtualis*, quæ ab habituali differt per hoc, quod ista, seu habitualis, in nullo effectu perduret: at vero virtualis perduret in aliqua sua virtute, seu effectu: e. g. intentio sanitatis, si ex ea movear ad ambulandum, virtualiter perseverat in ipsa ambulatione, tanquam suo effectu, etsi inter ambulandum de aliis rebus confabuler, & de sanitate non cogitem. Et sic videtur etiam voluntas instituentium signa virtualiter perseverare in suo effectu, nempe significatione signorum, seu actuali productione cognitionum de re significata.

797. Si ulterius petas, quodnam objectum habeat hæc volitio instituentium signa, vel quid velit. Resp. quod pro objecto habeat, aut velit ipsa signa, & eorum significationem, e. g. velit voces, & earum significationem: & quidem significationem in actu secundo, saltem conditionate, ita, ut, si aliqua cognitio alicujus rei sit producenda mediantibus vocibus, ea potius producatur mediantibus istis,

istis, quam aliis. Vult autem hæc volitio signa, aut voces certo modo tendendi, qui ea denominat instituta, & potest dici institutivus, atque ab experientia satis est notus: sicut scilicet lex, si rem aliquam præcipit, eam vult certo modo tendendi, qui eam rem denominat præceptam: cui contrarius est modus tendendi alius, quo lex tendit in rem, quam prohibet. Eadem volitio insuper habet pro objecto partiali, & vult seipsam; quia nempe per seipsam vult instituere signa, vel voces.

798. Dico 3. Vis significativa signorum in actu secundo est actualis productio cognitionis rei significatæ. Prob. facile. Ista vis nihil est aliud, quam actualis significatio, vel actualis ductio in cognitionem alterius: sed hæc est actualis productio cognitionis rei alterius, seu significatæ: ergo. maj. & min. cuique facile patent: quomodo autem signa producant cognitionem, vel in eam influant, quæstio est, quæ spectat ad Physicam, non ad Logicam.

Noto hic, juxta quosdam vim significativam in actu secundo, præsertim signorum ad placitum, non stare in productione qualiscumque cognitionis, sed talis, vi cujus cognoscenti signum innotescat res ipsa, ad quam significandam signum determinate institutum est: sic, ajunt, vis significativa vocum non stat in qualibet cognitione, vel auditione earum; sed in earum intelligentia; nam, si voces non intelliguntur, etiam non intelligitur earum significatio, adeoque non ducunt in cognitionem rei significatæ.

799. Juxta alios autem ad vim significativam in actu secundo, signorum etiam ad placitum, sufficit productio cognitionis alicujus rei a signo distinctæ, etiam indeterminate sumptæ; alias, ajunt, sequeretur aliquid valde dutum, & contra communem sensum, nempe, quod confessarius non posset dici alloqui pœnitentem, latini idiomatis ignarum, dum cum absolvit, nec verba absolutionis esse signum respectu istius; quia hic non intelligit, quid ea verba determinate significent, sed tantum cognoscit, ea significare aliquam liberationem a peccatis.

Puto, quod, sicut ab aliis causis potest profluere quandoque perfectior, quandoque minus perfectus esse-

effectus effectus, ita possit dici, quod etiam a signis possit provenire, quandoque perfectior, quandoque minus perfecta significatio in actu secundo; & hinc puto, posse dici, quod productio cognitionis alicujus rei, etiam indeterminate sumptæ, a signo distinctæ, jam sit aliqua significatio in actu secundo, sed minus perfecta, quam sit productio cognitionis rei, per voces ex. gr. rite intellectas determinate significatæ. Sed res hæc non est magni momenti, nec est operæ pretium, ut in ea explananda diutius immoremur.

800. Objic. 1. contra 1. conclus. Fumus e. g. est signum naturale ignis, ex dictis *num.* 785. & tamen ejus vis significandi in actu primo consistit in voluntate, & beneplacito Dei: ergo prima conclusio non subsistit. prob. 2. p. ant. connexio fumi cum igne provenit ex voluntate, & beneplacito Dei: sed hæc connexio ex dictis *num.* 795. est ejus vis significandi: ergo. Resp. neg. 2. p. ant. ad prob. dist. maj. connexio illa provenit ex voluntate Dei, qua voluit fumum ab igne produci. conc. maj. qua voluit eum in signum ignis instituere. neg. maj. & conc. min. neg. conseq. Non est idem, rem velle producere, vel produci, & in signum instituere; alias Deus, qui omnia produxit, etiam signa hominibus de facto usitata instituisset, adeoque instituisset hederam in signum vini, & stramineum circulum in signum cerevisiæ &c. quæ sunt ridicula. Unde Deus produxit quidem connexionem fumi cum igne, sed eum non instituit in signum ignis, & fumus ex natura sua habet, quod sit signum ignis.

801. Objic. 2. contra 2. conclus. Vis significativa signi, etiam ad placitum, est ipsi intrinseca: sed voluntas instituentium non est ipsi intrinseca: ergo non identificantur. Resp. dist. maj. vis significativa est intrinseca signo ad placitum concretive sumpto, seu pro toto concreto, ex subjecto, & forma constituto. conc. maj. est intrinseca signo etiam denominative sumpto, seu tantum pro recto, aut subjecto recipiente denominationem. neg. maj. & dist. proportionaliter min. neg. conseq. Sic hedera ex. grat. specificative sumpta non est determinata ad significandum vinum, sed ad hoc in se est indifferens:

rens, at determinatur ad eam significationem, per voluntatem instituentium, tanquam per formam denominantem, quæ forma intrinseca est, non quidem hederæ denominative sumptæ, sed concretive sumptæ, seu toti huic concreto, *Hedera ad vinum significandum instituta*.

802. Ob. 3. Quando cognoscitur vis significativa signorum ad placitum, e. g. vocum, non cognoscitur voluntas instituentium: ergo non sunt idem. Confir. Vis significativa vocum semper manet: voluntas instituentium non semper manet: ergo non sunt idem. Resp. dist. ant. non cognoscitur formaliter voluntas instituentium. conc. ant. non cognoscitur realiter. neg. ant. & conseq. Res hic se habet, ut in rationali realiter cognito, quando videtur animal a longe, de quo supra *nu.* 447. Ad confir. dist. 1. p. ant. vis significativa manet semper physice. neg. ant. manet semper moraliter. conc. ant. & proportionaliter dist. 2. p. ant. neg. conseq.

803. Manent scilicet, tam vis significativa, quam voluntas instituentium eodem modo, scilicet moraliter, de qua perseverantia morali dictum *num.* 795. Noto tamen, aliud esse vim significativam, aliud signum denominative sumptum: istud potest manere, vel actu dari physice, & sæpe etiam manet, vel actu datur, e. gr. hedera sæpe manet, & vox sæpe actu physice datur, quando non amplius manet, vel actu physice datur vis significativa (sicut actu, seu physice datur Doctor, quando non amplius datur actus publicus, quo fuit creatus) hoc autem sufficit, ut possit dici, quod detur physice signum, seu aliquid significativum, ex. gr. vox significativa; nam per hoc tantum significatur, quod detur physice subjectum, quod recipit denominationem significativi, sive, quod detur signum, vel significativum denominative sumptum.

804. Ob. 4. Si quis putaret vocem *Equus* significare lapidem, tunc quoties audiret eam vocem, toties ei significaretur lapis, licet ea vox non esset ad significandum lapidem instituta: ergo vis significativa vocum non consistit in voluntate instituentium. Resp. neg. ant. non enim tali reipsa significaretur lapis, sed tantum ob suam erroneam persuasionem

ipse putaret, eum sibi significari: & omnes dicerent, talem esse deceptum; sicut scilicet, si quis putaret, stramineum circulum, ante domum pendulum, significare vinum vendibile, deciperetur, & petens ibi sibi vendi vinum, derideretur; neque enim præsumptio significationis facit signum, sed institutio: sicut etiam præsumptio obligationis non facit legem, sed voluntas superioris. Nec dicas, leges etiam existimatas obligare ratione conscientiæ erroneæ; nam in talibus casibus obligat lex reflexa vere existens, de qua plura Theologi.

805. Ob. 5. Potest audiens perfectius intelligere vocem, quam loquens, vel etiam eam instituens: sive potest vox audienti perfectius rem aliquam significare, quam loquenti, vel instituenti: ergo vis significativa non habetur ex voluntate instituentis. ant. patet in eo casu, quo quis, qui nunquam vidit urbem aliquam, e. gr. Parisiensem, loquitur de ea alicui, qui eam vidit; nam in tali casu audiens longe clarius intelligit, quid sit urbs Parisiensis, quam loquens: & idem potest contingere instituenti vocem, e. gr. si quis princeps jubeat ædificari urbem, & etiam nomen ei imponat, dein antequam illam urbem viderit, loquatur de ea architecto, qui præsens ædificationem urget.

806. Prob. jam etiam conseq. Instituens vocem non potest per suam voluntatem voci tribuere vim significandi, nisi illud, quod ipse percepit, & quomodo percepit: ergo, quia in datis casibus vox significat aliquid amplius, vel perfectius, non habet eam vim significandi ex voluntate instituentis. Resp. conc. ant. neg. conseq. ad prob. om. ant. neg. conseq. vel potius ejus suppositum, scilicet, quod vox tali audienti perfectius significet; nam, quod talis auditor rem clarius intelligat, non provenit ex sola significatione vocis, sed ex aliis speciebus clarioribus, quas aliunde habet, e. gr. ex oculari visione urbis Parisiensis, quæ species occasione auditæ talis vocis excitantur, & ad clariorem cognitionem determinant.

Alias deberet admitti, quod vox *Deus* repræsentet clarissime Deum; nam Beati eam vocem audientes Deum clarissime, & intuitive cognoscunt, & adhuc infinities clarius ipse Deus: hoc autem admitti non po-

potest; quia hac ratione Deus non amplius ineffabilis esset. Dixi om. ant. nam alii illud negant, & volunt, institutorem potuisse tribuere voci majorem vim significandi, quam ipse intellexerit: sicut, si Pontifex e.g. tribueret alicui omnem potestatem, quam posset tribuere, posset fieri, ut ipse non intelligeret, quantam potestatem tribueret. Mihi sufficit responsio prior.

807. Ob. 6. contra 3. concluf. Si signorum, etiam vocum, significatio in actu secundo consistit in actuali productione cognitionis in percipiente signum, e. g. in audiente, tunc absolutio sacerdotis, latinis verbis pronunciata, esset invalida respectu pœnitentis, non intelligentis linguam latinam: hoc est falsum: ergo. prob. ma. verba sacramentalia, ut sint valida, debent esse significativa: sed verba latina non essent significativa respectu talis pœnitentis: ergo non essent valida. prob. mi. in non intelligente non producerent ullam cognitionem, vel conceptum: ergo non essent significativa. Et potest hoc argumentum fortius urgeri in infante, quem sacerdos per formam baptismi alloquitur.

808. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ma. verba sacramentalia debent esse significativa in actu primo. conc. ma. in actu secundo, etiam respectu illius, ad quem diriguntur. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad hujus prob. dist. ant. non producerent in non intelligente ullam cognitionem in actu secundo. om. ant. non producerent in actu primo. neg. ant. & dist. conseq. ergo non essent significativa in actu secundo. om. conseq. in actu primo. neg. conseq. Dixi om. ant. nam, ut dictum *num.* 799. in tali pœnitente producitur a verbis absolutionis saltem aliquis conceptus, seu cognitio, alicujus absolutionis a peccatis in genere, vel indeterminate sumptæ, quod videtur sufficere.

Interim tamen, ut verum fatear verba formæ baptismi in infante neque talem cognitionem possunt producere: & idem dicendum de absolutione data moribundo sensibus destituto; unde debet sufficere, si verba sacramentalia in actu secundo intelligantur a pronunciante, vel in isto producant aliquam cognitionem: respectu vero eorum, ad quos diriguntur, debet sufficere, si sint signa in actu primo.

809. Dices. Verba sacramentalia neque sunt signa in actu primo, respectu infantis, vel moribundi, si significatio in actu secundo stet in productione cognitionis: ergo. prob. ant. hæc verba non habent vim producendi aliquam cognitionem in infante, vel moribundo: ergo. Resp. dist. ant. non sunt signa in actu primo, seu non habent vim significativam in actu primo. neg. ant. non habent vim significativam in actu primo proxime expedito. conc. ant. & neg. conseq. ad prob. iterum eodem modo dist. ant. & neg. conseq.

Per signum in actu primo aliud non intelligitur, quam causa ex se potens producere cognitionem, vel actualem significationem: possunt autem verba sacramentalia esse tales causæ, etsi ob impedimentum aliquod extrinsecum, e.g. ob incapacitatem audientis, ab effectu suo, seu producenda cognitione impediantur; nam ad producendum effectum non tantum requiritur causa, sed plura alia, quæ actum primum reddunt proxime expeditum: sic etiam ignis est causa in actu primo alterius ignis, licet sæpe ab isto producendo impediatur.

ARTICULUS III.

Quid, & Quomodo significent Voces Humanæ.

810. SErmo est hic de vocibus articulatis; nam gemitus, suspiria, risus, & similia, significant naturaliter certum animi affectum, ut clarum est omnibus; unde non de istis nunc quæritur, sed de articulatis vocibus, quæ linguas, seu idiomata variarum nationum constituunt. Ubi incidenter noto, has voces articulatas Aristotelem dividere in *nomen*, & *verbum*, ex quibus componitur *enunciatio*, seu *propositio*, de qua actum *a num.* 66. reliquas autem voces, ut *adverbia*, *conjunctiones &c.* Philosophus non curavit, quia non sunt, ut ajunt Conimbricenses *in* 1. *Periherm. c.* 2. proprie partes enunciationis, sed tantum partium adjumenta, vel complementa.

811. Est autem *Nomen* ex Aristotele 1. *Periherm. c.* 2. *Vox significativa secundum placitum* (nempe habens

habens significationem ex placito hominum) *sine tempore* (hoc est, significat suum objectum præscindendo, an unquam extiterit, vel existat, vel extiturum sit) *cujus nulla pars significativa est separata*: id est, ut non singulæ syllabæ, seu partes nominis aliquid significent, sed tantum omnes simul.

Nam licet aliquando aliqua pars se sola posita haberet aliquam significationem tamen eam non habet, quando constituit nomen. Exemplum ponit Philosophus *loc. cit.* nomen *equiferus*, & *c.* 4. nomen *forex*, in quibus nominibus partes *ferus*, & *rex*, non significant id, quod significarent, si se solis tanquam integra nomina ponerentur: ex quo infertur, quod, quando dicitur *respublica*, etsi propter conjunctionem videatur proferri unum nomen, revera proferantur duo: & idem de aliis quibusdam dicendum.

812. Jam *Verbum* definit, seu describit Aristoteles 1. *Periherm. c.* 3. dicens: *Verbum autem est, quod significat tempus* (quia scilicet verbum semper effertur, vel in præsenti, vel in præterito, vel in futuro, ut per se notum est) *cujus pars nihil significat seorsum* (scilicet eodem modo, ut de nomine dictum est) *& est semper eorum, quæ de altero prædicantur*: hoc est, ponitur semper ex parte prædicati, vel loco istius. Quæ fusius exponere non est operæ pretium: sicut etiam non est operæ pretium, pluribus discutere, an hæ definitiones sint exactæ, an non etiam nomina participia significent aliquid cum tempore, & similia levia; videri possunt Conimbricenses *in l.* 1. *Periherm. c.* 2. & 3. His breviter præmissis.

813. Dico 1. Voces quælibet significant naturaliter loquentem, & aliquem conceptum, quem habet loquens de voce, item volitionem proferendi eam vocem. Prob. Voces sunt effectus loquentis, non minus, quam fumus est effectus ignis: item voces sunt etiam affectus alicujus conceptus, seu cognitionis, ac etiam volitionis, vel certe ordinarie cognitionem, & volitionem pro priori præsupponunt, tanquam aliquam necessariam conditionem, adeoque tamquam quasi causam; ordinarie enim nemo loquitur, nisi cognoscat, vel intelligat aliquo modo voces, easque velit proferre: ergo voces tan-

quam effectus significant loquentem, item cognitionem, & volitionem, tanquam causas, seu ducunt in cognitionem istorum. Et hoc controversum nemini est: sed controversia est, an, & quid, & quomodo, significent ex institutione hominum voces articulatæ, an scilicet res a loquente, & ejus conceptu distinctas, vel an tantum conceptus, aut cognitiones.

814. Non autem procedit quæstio de vocibus, institutis ad significandas cognitiones, quales sunt *cognitio*, *intellectus*, *conceptus*, *operatio mentis*, *&c.* quæ significant conceptus tanquam objecta, quamvis sub hac ratione etiam conceptus sub nomine rerum possint venire. Neque etiam procedit quæstio de quibusdam particulis, e. g. *nisi*, *si*, *sed*, & similibus, uti neque de terminis syncategorematicis &c. quamvis enim aliqui velint, etiam similes voces significare aliquid extra intellectum, tamen mihi probabilius videtur, eas tantum significare certum modum tendendi propositionis: verum de his nihil decidimus, sed tantum hic agimus de vocibus, quæ juxta omnes saltem mediate significant aliquid extra intellectum, quales sunt *homo*, *lapis*, *lignum* *&c.* His positis,

815. Dico 2. Voces significant res, a loquente, & ejus conceptu distinctas. Prob. Adamus *Gen. 2. v. 19.* imposuit omnibus animalibus nomina, quæ significant ipsa animalia, adeoque res: item, cum res non possimus ore proferre, nec semper præsentes sistere, ideo in commercio humano substituimus illis voces: ergo istæ debent nos ducere in cognitionem rerum, seu eas significare.

Confir. Si voces non significant res, tunc omnes propositiones vocales, vel sunt veræ, vel mendaces, & nulla est tantum materialiter falsa: sed hoc admitti non potest: ergo. prob. ma. si voces tantum repræsentant conceptus, tunc vel propositiones repræsentant conceptus, qui dantur in mente, & sunt veræ: vel repræsentant conceptus, qui non dantur, & sunt mendaces; nam materialiter falsæ tantum possunt esse ex eo, quod repræsentent conceptum vere existentem, & tamen dissormem objecto, sive rei, atqui, si res non est objectum significatum per voces

ces, tunc ratione hujus dissormitatis propositiones vocales non sunt falsæ; quia sunt conformes tui suo objecto, nempe conceptui, licet hic sit dissormis objecto: ergo

816. Dico 3. Voces non tantum quomodocumque, sed immediate significant res. Prob. Loquens per voces intendit immediate ducere audientem in cognitionem rerum: ergo voces immediate significant res. prob. ant. concionator e. g. dicens, Deum esse colendum, & non offendendum, non vult, ut populo prius innotescat suus conceptus, & ex hoc primum mediate Deus: sed vult, ut saltem cum conceptu etiam immediate innotescat Deus: ergo.

Confir. Voces substituuntur conceptibus: ergo debent immediate idem significare, quod significant conceptus: sed hi immediate significant res: ergo. prob. 1. conseq. si quis vellet e. g. in theatro habere statuam Cæsaris, ut ei tamquam Cæsari exhiberet honorem: at post diligentiam in inquisitione adhibitam non posset statuam acquirere, adeoque ei substitueret imaginem pictam, & huic dein exhiberet honorem, ista pictura juxta omnes repræsentaret immediate Cæsarem. videatur Arriaga *disp. 13. Log. sec. 2. n. 32.*

817. Dico 4. Voces significant etiam aliquos conceptus determinatos de rebus. Prob. 1. Aristoteles 1. *Periherm. c. 1.* ait: *Sunt ergo ea, quæ sunt in voce, earum, quæ sunt in anima, passionum nota:* ubi per passiones intelligit (ut habent Conimbricenses *in l. 1. Periherm. præfat. de scopo, institutoque &c.* & *c. 1. commentar.*) intellectiones; nam Philosophus 3. *de anima summa 1. c. 1.* supponit, quod intellectio sit passio: & hinc hoc assumendo tanquam conditionem, atque dicendo (*text. 12. Si intelligere pati quoddam est*) infert, intellectum non esse impassibilem: & hæ certe passiones animæ non sunt objecta, extra animam existentia, ut est per se clarum: ergo etiam conceptus significantur per voces.

Prob. concluf. 2. Juxta communem vocem significant res ut substantes conceptibus, & hinc pro diversitate conceptuum, seu cognitionum, etiam eidem rei imponuntur diversa nomina: sic e. g. idem

homo, modo dicitur animal, modo rationale: ergo debent ex vocibus saltem aliquo modo colligi conceptus, quos loquens de objecto locutionis habet: ergo debent voces etiam aliquo modo significare conceptus. Confir. 1. ex Conimbricensibus *in l. 1. Periher. c. 1. q. 3. a. 2.* Si voces non significant etiam conceptus, non datur mendacium: hoc est falsum: ergo. prob. ma. mentiri est contra mentem ire, seu loqui aliter, ac quis mente conceperit: hoc non fit, si voces non significant conceptum, quem loquens de objecto habet: ergo. Confir. 2. Juxta communem dicuntur voces inventæ ab hominibus ad communicandos sibi mutuo conceptus, quod Oviedo *controv. 8. Log. p. 3. num. 8.* gratis limitat ad aliquas tantum voces: ergo voces debent etiam conceptus significare.

818. An autem voces significent conceptus etiam immediate, sicut res: an vero eos significent tantum mediate, & arguitive ex rebus, ita ut audiens loquentem, immediate quidem concipiat res, atque ex his dein primum inferat, quod loquens habeat tales, vel tales determinatos conceptus de rebus, non multum refert: & sunt auctores in utramque partem. Ut tamen verum fatear, inclino in eorum opinionem, qui dicunt, voces etiam immediate significare conceptus; nam ex re ipsa, vel objecto a parte rei cognito, non video, quomodo quis possit determinari ad cognoscendum potius hunc, quam alium conceptum, quem loquens de objecto habeat; e. g. potius conceptum rei adæquatum, vi cujus objectum e. g. dicatur homo, quam conceptum inadæquatum, vi cujus dicatur animal &c. nam ad tales conceptus objectum ex se indifferens est, adeoque ex ipso colligi, vel inferri nequit talis conceptus, sed debet hic immediate per voces significari: verum hæc non sint dicta per modum conclusionis, quam firmiter velim asserere.

819. Hoc tamen firmiter tenendum, voces non significare conceptus ex parte objecti, seu tanquam suum objectum; objectum enim subjecti, & objectum prædicati debent inter se identificari: item in syllogismo debet dari identitas duorum objectorum in tertio: at neque conceptus identificantur inter se, neque in tertio. Unde voces sunt quidem signa suppositiva rerum, ac tantum manifestativa conceptuum, de quibus *a n. 787.* Ex quo iterum infertur, quod voces pro objecto habeant res, non vero conceptus; nam illud dicitur objectum vocis, pro quo ipsa supponit, & de quo debet verificari propositio: non vero illud, quod quomodocumque significatur a voce, ut conceptus, alias etiam loquens esset objectum suarum vocum. videatur Smiglecius *disp. 12. Log. q. 1.*

820. Si quæras, quid ergo intelligatur a Philosophis, per illum communiter receptum modum loquendi: *Voces significant res ut substantes conceptibus.* Resp. illud *ut* significare idem, ac *sicut*, sive *ad eum modum*, & sensus illius modi loquendi est: Voces non exprimunt res quomodocumque, sed ad eum modum, quo illud exprimunt conceptus; nam, sicut sunt aliqui conceptus abstractivi, vel inadæquati, qui rem tantum inadæquate, vel imperfecte exprimunt, ita etiam sunt aliquæ voces, quæ rem tantum inadæquate, & imperfecte exprimunt, & ita conceptui proportionantur: tales sunt eus, animal &c.

Scilicet ad omnem locutionem præsupponitur conceptus, seu cognitio (nam de re omnino incognita non loquimur) & ad mensuram conceptus, seu juxta majorem, vel minorem ejus perfectionem, accipiuntur voces, rem vel perfectius, vel imperfectius exprimentes; unde conceptus est causa moralis, quare hæ potius, quam illæ voces adhibeantur: & hinc voces tanquam effectus significant conceptum tanquam suam causam: & ex vocibus colligimus, adesse in mente loquentis hunc, vel illum conceptum, pro quo tamen voces non supponunt.

821. Dico 5. Voces significant determinatas res a loquente distinctas, & determinatos conceptus, non naturaliter, sed ex libera institutione, & placito auctorum linguarum, seu idiomatum: sive dein Deus, sive homo, unam, vel plures, instituerint linguas. ita communissime omnes. Prob. concluſ. quoad 1. partem. Non potest ostendi in vocibus ulla connexio naturalis cum rebus, aut conceptibus determinatis: ergo non sunt istorum signum naturale ex *num. 785.* prob. ant. negative, cum oppositum

tum minime possit probari, ut patebit ex solutione objectionum.

822. Prob. conclusio quoad 2. partem. Imprimis Aristoteles 1. *Periherm. c.* 4. ait: *Est autem oratio omnis quidem significativa . . . . secundum placitum.* Dein voces aliquo modo significant: non autem significant naturaliter: ergo ex libera institutione, aut placito institutorum, qui has potius, quam alias, voces elegerunt, ad significandas certas res, vel cognitiones. Sic Deus elegit has potius, quam alias voces Hebræas, earumque notitiam infudit Adamo: iterum alias elegit, & infudit septuaginta duabus familiis ad turrim Babylonicam, ubi probabiliter ortum habuere linguæ dictæ *matrices*: in quibus præter Hebræam, (quæ fuit omnium prima, & ædificatione turris Babylonicæ longe anterior) videntur esse *Chaldaica*, *Græca*, *Latina*, *Sclavonica*, *Germana &c.* ex quarum commixtione, vel confusione, aut corruptione, natæ sunt postea aliæ. Sic ex *Hebræa*, & *Chaldaica* nata est *Syriaca*: ex *Latina*, & *Germana* natæ sunt *Italica*, *Gallica*, & *Anglica*: ex corruptione *Latinæ* item nata est *Hispana*: ex mutatione *Sclavonicæ* natæ sunt *Hungarica*, *Polonica*, *Bohæmica &c.*

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

823. Ob. 1. contra 3. conclus. Voces juxta communem significant res mediante conceptu: ergo non significant res immediate. Confir. Scriptura immediate significat voces, & mediate res: ergo etiam voces significant immediate conceptus, & mediate res. Resp. neg. conseq. Illud *mediante conceptu* tantum significat idem, ac *interveniente conceptu*, qui scilicet est causa, cur hæ potius, quam aliæ voces adhibeantur ad rem exprimendam, ut explicatum est *n.* 820.

Ad confir. Arriaga *disp.* 13. *Leg. sec.* 2. *n.* 35. negat conseq. ego neg. ant. Scriptura etiam significat immediate res; neque enim, qui tantum scit legere litteras Hispanice scriptas, (quia characteres Hispani sunt

sunt iidem cum Latinis) intelligit significationem illarum litterarum. (videatur Oviedo *controv.* 8. *Leg. p.* 3. *n.* 13.) & sic plurimi fatentur, se non intelligere libros, e.g. Latinos, licet possint litteras bene exprimere: & quis dicat, Moniales intelligere significationem homiliarum, vel psalmorum, dum Horas Canonicas recitant? E contra, si quis tota vita surdus tamen intelligeret, quas res indicaret scriptura (quod tamen naturaliter vix fieri potest) omnino intelligeret significationem scripturæ.

824. Ob. 2. contra 4. conclus. Voces supponunt tantum pro rebus: ergo non significant simul conceptus. Confir. Propositiones mendaces non significant conceptus: ergo neque veræ. Resp. neg. conseq. Plura in hanc rem dicta vide *num.* 819. Ad confir. neg. ant. Propositiones etiam mendaces significant conceptus, non qui dantur, sed qui deberent dari in mente loquentis; unde etiam sunt signa illorum conceptuum, sed fallibilia, & falsa, ac mendacia. Neque enim ad signum ut sic requiritur, ut necessario semper adsit significatum, quando adest signum: sed hoc requiritur tantum ad signum infallibile, quale ex se non est propositio, vel locutio humana. Et cur non possit etiam ante fores pendere circulus straminеus, etsi cervisia jam sit omnis vendita, aut alias exhausta?

825. Ob. 3. Voces, vel propositiones delirantium, aut somniantium non significant conceptus: item neque voces psyttaci: ergo. Confir. 1. Voces Monialium cantantium in choro, vel puerorum declamantium in theatro, dum non intelligunt, quod dicunt, non significant conceptus: ergo voces saltem non semper significant conceptus. Confirm. 2. Sæpissime audimus diu aliquem loquentem, & tantum cogitamus de rebus ab eo dictis, & nunquam de ejus conceptibus: ergo non ducimur a loquente in cognitionem conceptuum, & voces istos non significant. Resp. dilt. ant. & istæ sunt voces humanæ, humano modo prolatæ. neg. ant. non sunt voces humanæ, humano modo prolatæ. conc. ant. & neg. conseq. Voces, ut diximus *n.* 820. significant conceptus tanquam suas causas; quia supponuntur voces humano modo, sive a conceptu prævio causatæ.

Quando ergo patet, ut in delirantibus, psyttacis &c. quod conceptus non præcesserit, non possunt voces, saltem in his circumstantiis, conceptum proxime significare : fere sicut circulus stramineus, pendens adhuc ante domum, notorie a militibus penitus expilatam, non potest, etiam in actu primo, proxime significare cerevisiam vendibilem. Ad 1. confirm. dist. ant. voces Monialium, vel puerorum, non significant conceptus perfectos de vocibus, vel rebus. conc. ant. non significant conceptus imperfectos, aut confusos. neg. ant. & conseq. videantur dicta in simili *n.* 799. Ad 2. confir. dist. conseq. ergo non ducimur in cognitionem conceptuum in actu secundo. conc. conseq. non ducimur in actu primo, quod sufficit ad signum. neg. conseq.

826. Ob. 4. Adam non imposuit nomina vocalia conceptibus, sed tantum rebus : ergo voces non significant conceptus, sed tantum res. Confir. Voces, ut diximus *n.* 816. subrogantur conceptibus : sed isti significant solas res : ergo has etiam significant conceptus. Resp. dist. conseq. ergo voces non significant conceptus ullo modo. neg. conseq. non significant eos ex parte objecti. conc. conseq. hoc enim ad summum infertur ex antecedenti. Ad confir. Syllogismus non est in forma. dist. tamen ma. voces subrogantur conceptibus, ita, ut id significent, quod conceptus. conc. ma. ut tantum id significent. neg. ma. & dist. mi. significant solas res ex parte objecti. conc. mi. omni suo modo significandi. neg. mi. (nam conceptus etiam significant naturaliter intellectum) & neg. etiam conseq.

827. Ob. 5. Si voces significarent res, & conceptus, tunc omnes voces essent termini secundo intentionales, & æquivoci : atqui non sunt : ergo. Confir. 1. Juxta nos propositio Judæi, fixo animo dicentis: *Christus est Deus* : esset falsa, hoc dici non potest : ergo. prob. ma. in Judæo tali non daretur conceptus asserens Christum Deum : & tamen propositio affirmaret, dari talem conceptum : ergo. Confir. 2. Juxta nos propositio: *Chimæra existit* : esset vera : & e contra propositio : *Petrus non est lapis* : esset falsa : hæc admitti non possunt : ergo. prob. ma. istarum propositionum sensus esset iste : *Con-*

Conceptus repræsentans Chimæram est conceptus repræsentans ejus existentiam : item : *Conceptus repræsentans Petrum non est conceptus repræsentans ejus distinctionem a lapide:* sed prior propositio est vera, altera falsa : ergo. Confir. 3. Ista propositio : *Petrus bibit* : haberet hunc sensum : *Conceptus Petri bibit* : hoc est absurdum : ergo.

828. Resp. neg. ma. nam voces non significant conceptus ex parte objecti, quod tamen requiritur ad terminum secundo intentionalem : ad æquivocum vero requiritur, ut significet ex parte objecti diversa, ita, ut, quando significat unum, non significet alterum : sic e. g. canis, dum significat stellam, non significat animal latrabile : at voces simul, & semel significant res, & conceptus, sed hos non ex parte objecti. Ad 1. confir. dist. ma. esset falsa, hoc est, mendax; quia nempe diceret, adesse aliquem conceptum, qui reipsa non adesset. conc. ma. esset falsa materialiter, id est, difformis objecto. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. dist. conseq. eodem modo. Ad 2. confir. neg. ma. ad prob. neg. ant. non enim in illis propositionibus conceptus venit ex parte objecti, ut prædicatum debeat ipsi identificari : sed sola res venit ex parte objecti, ut dictum *n.* 819. Ad 3. confir. neg. iterum ant. ex modo dictis.

829. Ob. 6. contra 5. concluf. Voces sunt effectus conceptuum : ergo naturaliter significant conceptus. ant. & conseq. habetur ex *num.* 813. Confirm. Voces habent naturalem similitudinem cum rebus significatis, ex. grat. voces, mugitus, sibilus &c. ergo naturaliter significant. Resp. dist. ant. voces sunt effectus conceptuum, independenter a libero beneplacito institutorum linguæ. neg. ant. dependenter ab isto. conc. antec. & neg. conseq. Conceptus, vel affectus, non exigunt, ut ipsi, aut etiam res aliæ, ab ipsis cognitæ, vel volitæ, his potius, quam aliis vocibus exprimantur : sed auctoribus linguæ liberrimum fuit, has potius, quam alias voces determinare, ad hæc, vel illa alius significanda, ut est per se clarum. Supposita autem institutione vocum, etiam conceptus concurrit ad iis utendum, prout *numer.* 813. dictum.

830. Ad confir. dist. ant. aliquæ paucæ voces habent

ali-

aliqualem similitudinem, eamque valde imperfectam, neque sufficientem, ad rem se sola satis intelligibiliter significandam. conc. ant. omnes voces habent similitudinem, eamque sufficientem. neg. ant. & conseq. Si quis coram rustico proferret eas voces *sibilus*, *mugitus*, certe is non intelligeret, iis denotari vocem bovis, vel serpentis. Sed etsi omittatur, in his, & paucissimis forte aliis vocibus, dari aliquam imperfectam similitudinem, quæ auctoribus linguæ potuit esse occasio, eas eligendi, & instituendi, tamen in innumeris nulla datur similitudo.

Quæ enim similitudo inter animal ferocissimum, & vocem *Leo* mollissimam? quæ similitudo inter affectum acerbissimum, & vocem mollem *odium*? & sic de infinitis aliis. Ut nihil dicam de æquivocis vocibus, quæ, cum disparatissima significent, similitudinem naturalem cum significatis habere non possunt. Accedit, quod, quæ naturaliter significant, eodem modo ubique apud omnes gentes significent: certe fumus ubique significat ignem: at voces non ubique idem significant: certe vox *Lutis* aliud longe significat Latinis, quam Germanis, uti etiam vox *Hur* longe aliud Hebræis, quam Germanis.

831. Ob. 7. Si voces non significant naturaliter res determinatas, tunc debuisset earum significatio per alias voces priores explicari, quæ debuissent naturaliter significare; alias iretur in infinitum: ergo melius dicitur, quod istæ voces, quibus utimur, naturaliter significent. Resp. Auctor primæ linguæ, atque etiam earum, quæ ortæ sunt ad ædificium turris Babel, probabiliter fuit Deus, qui absque aliis vocibus potuit hominibus infundere intelligentiam vocum. Si autem aliqua lingua primitus inventa fuisset ab hominibus, nullius alterius linguæ gnaris, debuissent prius nutibus, & aliis signis, qualibus aliquid explicamus surdis, invicem agere, & sic tandem vocum significationem inter se determinare, ac linguam instituere. in forma. neg. ant.

832. Ob. 8. In nostra sententia non potest explicari, quomodo pueri discant linguam maternam: sed hoc debet explicari: ergo. Confirm. Homo est animal natura sociabile: ergo naturaliter exigit voces summe necessarias ad commercium humanum. Resp. neg.

neg. ma. Pueri possunt addiscere linguam maternam per signa, & studium parentes imitandi; nempe, dum vident, ad has, vel illas voces, hoc, vel illud fieri, advertunt, se his vocibus in his, vel illis circumstantiis, debere uti. Ad confir. dist. conseq. naturaliter exigit voces, quæ naturaliter significent res. neg. conseq. quæ, vel naturaliter, vel ex placito, significent res. conc. conseq. Utique ad commercium humanum sunt necessariæ aliquæ voces: sed æque serviunt voces ex beneplacito hominum significantes, quam, si naturaliter significarent: sic etiam necessariæ sunt homini vestes, sed non naturaliter tales; nam æque serviunt ab arte confectæ.

833. Ob. 9. Scriptura Sacra *Genes. 2. v. 20.* dicit: *Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia*: ergo illa nomina naturaliter significabant animalia. Confir. Voces brutorum naturaliter significant: ergo etiam voces hominum. Resp. neg. conseq. Ad summum evincitur ex eo textu, quod aliqua nomina jam prius ex placito fuerint imposita certis aliis rebus, cum quibus, quia animalia habebant similitudinem, ideo ab iis derivata nomina istis fuere imposita: quamvis nec hoc absolute evincatur; cum sufficere potuerit, quod simul animalibus, & illis rebus nomina imposita fuerint.

Ad confir. dist. conseq. ergo etiam aliquæ voces hominum, id est, non articulatæ, significant naturaliter, scilicet aliquos affectus &c. conc. conseq. voces articulatæ significant naturaliter res quascumque determinatas. neg. conseq. Ex hoc autem non sequitur, hominem esse quoad hoc brutis imperfectiorem; cum habeat totum id, quod habent bruta: insuper autem ad finem nobiliorem, nempe ad commercium humanum, habeat voces ex placito institutas, quarum notitiam potest sua industria sibi parare: sicut etiam ex eo homo non est imperfectior bove, quod non, sicut huic, cornua, ita etiam ipsi adnascantur arma; cum sibi possit sua dexteritate longe meliora arma parare.

834. Ob. 10. Dicuntur a quodam rege Ægypti educari jussi infantes, ita, ut nunquam audirent loquentem hominem, tandem prorupisse in vocem *Bec*, quæ

quæ Phrygibus panem significat : ergo naturaliter significat; quia a natura eam vocem doceridebuerunt. Confir. Attis filius Cræsi, a nativitate mutus, cum videret militem irruere in parentem, subito erupit in hanc vocem : *Miles ne occide Cræsum* : sed hæc verba non potuit discere, nisi a natura ; cum muti a nativitate etiam sint surdi : ergo.

Resp. neg. conseq. Pueri illi potuerunt discere eam vocem a capris, inter quas teste Herodoto, qui id refert, versabantur, vel quæ sæpe ab ipsis audiebantur : aut ex dæmonum illusione id factum est, ad inflandam superbia eam gentem, tanquam antiquissimam : vel etiam casu id potuit contigisse, ut eam unam syllabam articulate pronunciarent. Cæterum etiam narratur de alio puero, jussu famosi regis Mogorum Ackebar dicti, similiter invulso, eum semper mansisse mutum. Ad confirm. neg. mi. Quamvis plerumque muti a nativitate, etiam sint surdi, ob laesos utriusque potentiæ nervos, tamen id non contingit semper: sed aliquando defectus loquelæ oritur ex aliquo ligamine solius linguæ, quod in filio Cræsi etiam contigerit, ita, ut ipse loquentes audire, ac etiam intelligere potuerit. Hoc ligamen dein, ex vehementi apprehensione periculi patri imminentis, fuerit ruptum, ita, ut voces, quarum significationem bene noverat, edere potuerit.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Veritate.

ARTICULUS I.

Quid sit Veritas Transcendentalis, & Prædicamentalis.

835. VEritas in genere (ut bene docent Conimbricenses *in* 1. *Periherm. c.* 1. *q.* 5. *a.* 1. ex S. Thoma *in* 1. *Periherm. lect.* 3.) est *habitudo ad intellectum* ; nam, ut communissime omnes asserunt, ita se habet intellectus ad verum, sicut se habet voluntas ad bonum : adeoque, sicut bonum dicit ordinem, vel habitudinem ad voluntatem, quia nullum est

est bonum, quod non ab aliqua voluntate sit appetibile, ita verum dicit ordinem, vel habitudinem ad intellectum ; quia nullum est verum, quod non ab aliquo intellectu sit affirmabile, vel cognoscibile.

836. Dupliciter autem possunt res se habere ad intellectum, ut idem Angelicus *ibidem* docet, nempe, vel *ut mensura ad mensuratum*, vel *ut mensuratum ad mensuram* : & quidem *ut mensura* habent se res ad intellectum speculativum *tanquam mensuratum* : id est, ad actus ejus speculativos, quos res quasi metiuntur; quia intellectus per actus speculativos in tantum dicit verum, in quantum eos actus elicit ad mensuram rerum, seu objectorum : sive in quantum elicit actus conformes objectis : & hæc conformitas dicitur *veritas formalis*, vel etiam *prædicamentalis*, aut etiam *veritas in cognoscendo*, quæ, ut paulo post dicemus, est conformitas actus cum objecto.

837. At vero *ut mensuratum* habent se res ad intellectum practicum, *tanquam mensuram* : id est, ad ejus actus practicos ; quia intellectus practicus, seu cognitiones practicæ, metiuntur veritatem practicam rerum ; nam res eatenus sunt practice veræ, quatenus sunt conformes cognitionibus practicis, seu regulis dirigentibus ad earum effectionem.

Cumque res omnes habeant hanc conformitatem respectu intellectus divini practici, rerum omnium artificis, sintque conformes cognitionibus Dei practicis, seu divinæ, ut ita dicam, arti, quæ ipsas, vel se sola, vel cum causis secundis, ex sua, vel aliena determinatione, potest producere ; hinc ista veritas, seu habitudo ad intellectum divinum practicum, datur in omnibus rebus, seu entibus : ideoque vocatur *veritas transcendentalis*, seu *veritas in essendo*. Ubi notandum, quod hæc veritas etiam detur in iis, quæ falsa vocantur ; nam etiam falsum aurum est verum aurichalcum : & pariter propositio formaliter falsa est transcendentaliter vera, sen vere habet omnia prædicata, ad essentiam propositionis requisita.

838. Hæc *veritas transcendentalis*, ut recte docet Suarez *disput. 8. Metaphys. sect. 7. num.* 24. non est aliud, quam ipsa entitas rei, ita tamen, ut (prout

addit

quæ Phrygibus panem significat : ergo naturaliter significat; quia a natura eam vocem doceridebuerunt. Confir. Attis filius Cræsi, a nativitate mutus, cum videret militem irruere in parentem, subito erupit in hanc vocem : *Miles ne occide Cræsum* : sed hæc verba non potuit discere, nisi a natura ; cum muti a nativitate etiam sint surdi : ergo.

Resp. neg. conseq. Pueri illi potuerunt discere eam vocem a capris, inter quas teste Herodoto, qui id refert, versabantur, vel quæ sæpe ab ipsis audiebantur : aut ex dæmonum illusione id factum est, ad inflandam superbia eam gentem, tanquam antiquissimam : vel etiam casu id potuit contigisse, ut eam unam syllabam articulate pronunciarent. Cæterum etiam narratur de alio puero, jussu famosi regis Mogorum Ackebar dicti, similiter invulso, eum semper mansisse mutum. Ad confirm. neg. mi. Quamvis plerumque muti a nativitate, etiam sint surdi, ob laesos utriusque potentiæ nervos, tamen id non contingit semper: sed aliquando defectus loquelæ oritur ex aliquo ligamine solius linguæ, quod in filio Cræsi etiam contigerit, ita, ut ipse loquentes audire, ac etiam intelligere potuerit. Hoc ligamen dein, ex vehementi apprehensione periculi patri imminentis, fuerit ruptum, ita, ut voces, quarum significationem bene noverat, edere potuerit.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Veritate.

ARTICULUS I.

Quid sit Veritas Transcendentalis, & Prædicamentalis.

835. VEritas in genere (ut bene docent Conimbricenses *in* 1. *Periherm. c.* 1. *q.* 5. *a.* 1. ex S. Thoma *in* 1. *Periherm. lect.* 3.) est *habitudo ad intellectum* ; nam, ut communissime omnes asserunt, ita se habet intellectus ad verum, sicut se habet voluntas ad bonum : adeoque, sicut bonum dicit ordinem, vel habitudinem ad voluntatem, quia nullum est

est bonum, quod non ab aliqua voluntate sit appetibile, ita verum dicit ordinem, vel habitudinem ad intellectum ; quia nullum est verum, quod non ab aliquo intellectu sit affirmabile, vel cognoscibile.

836. Dupliciter autem possunt res se habere ad intellectum, ut idem Angelicus *ibidem* docet, nempe, vel *ut mensura ad mensuratum*, vel *ut mensuratum ad mensuram* : & quidem *ut mensura* habent se res ad intellectum speculativum *tanquam mensuratum* : id est, ad actus ejus speculativos, quos res quasi metiuntur; quia intellectus per actus speculativos in tantum dicit verum, in quantum eos actus elicit ad mensuram rerum, seu objectorum : sive in quantum elicit actus conformes objectis : & hæc conformitas dicitur *veritas formalis*, vel etiam *prædicamentalis*, aut etiam *veritas in cognoscendo*, quæ, ut paulo post dicemus, est conformitas actus cum objecto.

837. At vero *ut mensuratum* habent se res ad intellectum practicum, *tanquam mensuram* : id est, ad ejus actus practicos ; quia intellectus practicus, seu cognitiones practicæ, metiuntur veritatem practicam rerum ; nam res eatenus sunt practice veræ, quatenus sunt conformes cognitionibus practicis, seu regulis dirigentibus ad earum effectionem.

Cumque res omnes habeant hanc conformitatem respectu intellectus divini practici, rerum omnium artificis, sintque conformes cognitionibus Dei practicis, seu divinæ, ut ita dicam, arti, quæ ipsas, vel se sola, vel cum causis secundis, ex sua, vel aliena determinatione, potest producere ; hinc ista veritas, seu habitudo ad intellectum divinum practicum, datur in omnibus rebus, seu entibus : ideoque vocatur *veritas transcendentalis*, seu *veritas in essendo*. Ubi notandum, quod hæc veritas etiam detur in iis, quæ falsa vocantur ; nam etiam falsum aurum est verum aurichalcum : & pariter propositio formaliter falsa est transcendentaliter vera, sen vere habet omnia prædicata, ad essentiam propositionis requisita.

838. Hæc *veritas transcendentalis*, ut recte docet Suarez *disput. 8. Metaphys. sect. 7. num.* 24. non est aliud, quam ipsa entitas rei, ita tamen, ut (prout

addit

addit Eximius *num.*25.) connotet cognitionem, seu referatur ad aliquam cognitionem, qua possit ipsa res cognosci, sicuti est. Quare etiam non male dicitur cum Hurtado *disp.7. Metaph. sect.1. §.14.* & hoc teste cum communissima, quod *veritas transcendentalis* sit *cognoscibilitas rei, sicuti est:* quæ cognoscibilitas non est tantum qualiscumque potentia, aut aptitudo pure passiva, sed est ordinatio intrinseca rei, vel ejus meritum, ad determinandam cognitionem repræsentativam rei, sicuti est. Unde *verum transcendentaliter*, sive *verum transcendentale* in concreto est *cognoscibile, sicuti est*. Ex quo ulterius infertur, quod etiam idem sint *verum transcendentale*, & *verificativum propositionis;* nam illud est id, quod propositionem reddit, vel potest reddere veram: hoc autem aliud non est, quam objectum, vel res, quæ cognoscitur, sicuti est.

839. Veritati opposita est falsitas, & quidem veritati prædicamentali, seu formali, opposita est falsitas formalis, quæ etiam per oppositа prædicata definitur, nempe *difformitas actus cum objecto:* & hanc sæpe dari in cognitionibus, vel etiam propositionibus vocalibus falsis, extra dubium est. At quæstio est, an etiam detur veritati transcendentali opposita *falsitas transcendentalis:* ad quam negative respondent Suarez *disp. 9. Metaph. sect.1. num.6.* Hurtadus *disp.7. Metaph. sect.2. §.20.* & alii. Ratio negandi est ista. Hæc falsitas transcendentalis deberet etiam desumi in ordine ad intellectum (sicut scilicet veritas desumitur) & quidem in ordine ad intellectum divinum practicum, cui res ita falsæ essent difformes: atqui nulla res est difformis intellectui divino practico; cum omnes sint ei conformes, ut dictum *num.* 837.

840. Rursus, cum veritas transcendentalis sit cognoscibilitas rei, sicuti est, deberet falsitas transcendentalis esse cognoscibilitas rei, sicuti non est, quæ cognoscibilitas non esset pura potentia passiva, terminandi qualitercumque cognitionem falsam (alias etiam in Deo daretur falsitas transcendentalis, quod dici non potest) sed, ut colligitur ex dictis *num.*838. esset ordinatio, & meritum rei ad cognitionem falsam, sive cognoscentem rem, sicuti non est: atqui in nulla

nulla re datur ordinatio, vel meritum ad cognitionem falsam, sive cognoscentem rem, sicuti non est: ergo neque datur falsitas transcendentalis.

Nec dicas, falsitatem esse aliam apparentiam rei, quam in se est, & falsum esse, quod aliter apparet, quam in se est; nam hæc falsitas non est intrinseca, adeoque minime transcendentalis: sed est præcise rei extrinseca, consistens in cognitione, vel repræsentatione rei extrinseca, eique difformi: & si talis apparentia foret falsitas transcendentalis, ut recte ait Suarez *disp. 9. Metaph. sect.1. num.8.* etiam in ipso Deo daretur falsitas transcendentalis, quod dicere esset absurdissimum, ut recte addit *ibidem* Eximius. Huic opinioni favet plurimum etiam S. Thomas *1.p. qu.17. art.1. in corp.* An autem, ut quidam volunt, detur falsitas intrinseca, vel quomodocumque transcendentalis in impossibilibus; eo quod de ipsis affirmari debeant contradictoria, quorum simultanea affirmatio necessario est falsa, non est operæ pretium pluribus examinare.

841. Jam vero hic, utpote in Logica, agendum nobis est maxime de veritate prædicamentali, seu formali, aut in cognoscendo; nam de veritate transcendentali, seu in essendo, agunt Metaphysici. Definitur autem *veritas prædicamentalis*, ut jam insinuavimus *num.* 836. juxta communissimam *conformitas actus cum objecto:* ita, ut non tantum sit objectum, quod ab actu intellectus repræsentatur, vel affirmatur, sed etiam sit eo modo, quo repræsentatur, vel affirmatur.

Sic e. g. modo tendendi propositionis affirmativo, & absoluto, debet correspondere objectum absolutum, modo tendendi conditionato objectum conditionatum, modo tendendi optativo objectum optatum, modo tendendi illativo objectum illatum; si enim dicam: *Utinam hæc res esset!* si ea a me non optetur, falsa est propositio: item, si dicam: *Ergo Petrus est homo:* & tamen hæc propositio non inferatur ex præmissis, iterum est falsa. E contra, ut etiam jam dictum *num. 839. falsitas prædicamentalis est difformitas actus cum objecto.*

842. Dari autem veritatem prædicamentalem, probatur argumento, quo, quantum ad rem ipsam, atti-

attinet, usus est S. Augustinus *l. 3. contra Academicos cap. 9.* probatur scilicet solide dari veritatem ex ipsa negatione veritatis, hac ratione. Quando negatur veritas, vel verum dicitur, vel falsum: si dicitur verum, eo ipso datur veritas; quia ipsa propositio negativa est vera: si dicitur falsum, tunc datur id, quod negatur: sed negatur, dari veritatem: ergo datur veritas. Magis controversum est, in quo stet, vel ex quo constituatur hæc veritas prædicamentalis, quam quæstionem statim nunc articulo sequenti resolvemus.

ARTICULUS II.

In quo consistat Veritas Prædicamentalis.

843. Dico. Veritas prædicamentalis involvit, tam actum intellectus, quam ejus objectum, & nihil aliud. Ita nostri communiter, quibus reipsa consentit Suarez *disp. 8. Metaph. sect. 2. num. 19.* ubi ait, veritatem totam non esse actui intrinsecam, sed connotare adhuc aliquid extrinsecum, scilicet, ut *num. 18.* dixerat, objectum: per *connotare* autem intelligit reipsa *involvere*; nam dicit *connotare, & consignificare*, hoc est, *significatione sua complecti*. Prob. conclusio. Veritas prædicamentalis ex *n. 841.* est conformitas actus cum objecto: & hæc conformitas stat in hoc, quod actus sit talis repræsentative, quale objectum est entitative: sed hæc conformitas includit, non tantum actum, sed etiam objectum: ergo. prob. min. hæc conformitas nihil est aliud, quam quædam similitudo, æqualitas, vel proportio actus, tanquam repræsentationis, cum objecto tanquam repræsentato: sed similitudo, æqualitas, & proportio, involvit utrumque terminum: ergo hæc conformitas involvit actum, & objectum. Quod autem nihil aliud involvat, e. g. nullum distinctum modum, vel relationem realem, qualem cum Mastrio *disp. 10. Logic. num. 27.* & Scoto, ab eo citato, videntur Scotistæ velle adstruere, sufficienter probatur negative; cum nulla prorsus possit ostendi talis entitatis superadditæ necessitas.

844. Confir. Plurimæ propositiones sunt indifferentes

rentes ad veritatem, & falsitatem: ergo non sunt ab intrinseco, & ex se solis veræ: ergo debent determinari ad veritatem per ipsum objectum, atque per hoc constitui veræ: sicut scilicet murus indifferens ad esse album, debet determinari ab albedine, & per hanc constitui albus. prob. ant. hic actus e. g. quo dico: *Petrus currit*: est prorsus indifferens ad hoc, ut sit potius verus, quam falsus (nam si a me, ut potest fieri, eliciatur tunc, quando Petrus non currit, est falsus: si autem eliciatur, quando ille currit, est verus) ergo. Nec dicas cum Hurtado *disp. 9. de Anima sect. 3. §. 20.* quod actus quilibet verus habeat essentialem connexionem cum existentia objecti, ita, ut non possit dari, nisi detur objectum, prout ipse affirmat; hoc enim prorsus gratis fingitur, & contra communissimam, juxta quam plurimæ propositiones sunt contingenter veræ; cum tamen juxta Hurtadum omnes essent necessario veræ, ut patet consideranti.

845. Quamvis autem in actibus essentialiter exigentibus, objectum se ita habere, prout ipsi enunciant, (quales sunt actus fidei supernaturalis, vel etiam visionis beatificæ &c.) non detur indifferentia ad veritatem, & falsitatem, tamen ipsi se solis non sunt tota veritas formalis, sed hæc etiam includit objectum: quod, licet non probetur ex modo allata confirmatione, tamen sufficienter probatur ex prima probatione; quia scilicet etiam istorum actuum veritas est conformitas cum objecto. Nec obest, quod actus isti essentialiter exigant, objectum ita se habere, ut ipsi affirmant; ex hoc enim tantum sequitur, quod una pars exigat essentialiter alteram, & quod istis actibus solis jam sit intrinseca veritas aliqua radicalis: sic etiam creatura dissimilis Deo essentialiter exigit Deum dissimilem: item creatura coexistens Deo exigit essentialiter Deum coexistentem, quin tamen tota dissimilitudo formalis, aut coexistentia tota, identificetur soli creaturæ, ut est per se clarum, vide etiam dicta *num. 710.*

846. Id adhuc addo, mihi non videri actus naturales necessario veros, e. g. istos: *Homo est animal rationale: Alter mundus est possibilis &c.* habere essentialem, & sibi adæquate intrinsecam exigentiam

tiam ad hoc, ut objectum ita se habeat, prout ipsi affirmant; nam videtur mihi, quod hæc exigentia, saltem partialiter, proveniat a necessitate objecti, quod aliter se habere non potest; nec enim video, cur actus suprapositus: *Homo est animal rationale*: ratione sui essentialiter exigat, ut homo non possit esse aliud animal: certe non potest probari, quod majorem habeat exigentiam ad hoc, ut homo sit animal rationale, quam ad hoc, ut equus sit animal hinnibile, vel ut leo sit animal rugibile.

847. Objic. 1. Aristoteles 6. *Metaphys. text.* 8. ait: *Non enim est verum, aut falsum in rebus (ut quod bonum verum, quod vero malum falsum) sed in mente*: ergo juxta Aristotelem tota veritas stat in sola cognitione; hæc enim sola est in mente. Confirm. 1. Veritas non est relatio prædicamentalis: ergo non involvit aliquid præter fundamentum, vel id, quod dicitur verum, seu præter cognitionem; hæc enim dicitur vera. prob. ant. si veritas esset relatio prædicamentalis, tunc etiam objectum deberet referri ad cognitionem: atqui non refertur: ergo. Confirm. 2. Si veritas etiam involveret objectum, tunc etiam objectum deberet dici verum: sed hoc non dicitur verum: ergo. Resp. neg. conseq. sufficit enim ad mentem Aristotelis, si veritas denominative sumpta, sive secundum rectum, seu id, quod denominatur verum, sive conforme objecto, (quod est cognitio) stet in cognitione: neque Aristoteles ibi facit comparationem inter verum, & bonum, quasi vellet dicere, verum esse in mente, sicut bonum est in rebus: sed tantum negat, ita esse verum in rebus, ut idem sit bonum, & verum, ac idem malum, & falsum, ut patet legenti textum; est enim utique etiam malum aliquod verum.

848. Ad 1. confir. neg. ant. si sermo est, ut esse debet, de veritate prædicamentali; nam talis veritas est relatio mensuræ, & mensurati *ex num.* 836. ad prob. om. maj. neg. min. refertur enim etiam res ad cognitionem, aliquando tanquam mensura, aliquando tanquam mensuratum, ut explicatum *num.* 836. & 837. quod si hæc relatio non possit dici relatio æquiparantiæ, erit saltem relatio disquiparantiæ, de qua *num.* 721. quod sufficit.

Ad

Ad 2. confir. neg. maj. intelligendo formaliter verum (nam transcendentaliter verum dicitur objectum) non enim denominatio semper debet tribui cuilibet parti concreti, sed tantum recto, vel subjecto: sic e. g. cognitio est certo pars concreti *cognitum*: & tamen cognitio non semper potest dici cognita: & sic de aliis plurimis: in hoc autem concreto *verum formaliter* subjectum, vel rectus, est cognitio; hæc enim est conformis objecto: non autem objectum est conforme objecto; nihil enim est conforme sibi ipsi, sicut nec simile, vel æquale. Si dicas, verum formaliter posse etiam explicari *conforme cognitioni*. Resp. si hæc acceptio hujus termini admitteretur, tunc etiam objectum deberet dici formaliter verum: sed hæc acceptio est contra communem modum loquendi, a quo non est recedendum.

849. Objic. 2. Veritas est perfectio intellectus: ergo debet esse adæquate intrinseca cognitioni. prob. conseq. nulla res perficitur per aliquid ipsi extrinsecum: ergo neque intellectus per veritatem sibi extrinsecam. Resp. dist. ant. veritas radicalis est perfectio intellectus. conc. ant. veritas formalis. subdist. denominative sumpta. conc. ant. quidditative, seu concretive sumpta. neg. antec. intellectum de perfectione intrinseca. & neg. etiam conseq. Per veritatem radicalem, vel potest intelligi exigentia, qua intellectus, e. g. divinus, exigit semper producere cognitiones veras: & hæc perfectio est utique intellectui intrinseca per identitatem: vel potest intelligi exigentia ipsorum actuum, e. g. supernaturalium, aut divinorum, ut non possint esse falsi, vel objecto difformes: & hæc perfectio est specialis actuum, consequenter etiam est intrinseca intellectui; quia huic sunt intrinseci ipsi actus.

850. At vero veritas formalis est tantum inadæquate intrinseca intellectui, nec est secundum omnes partes perfectio intellectus intrinseca. ad prob. dist. ant. nulla res perficitur physice per aliquid ipsi extrinsecum. conc. ant. nulla res perficitur moraliter per aliquid ipsi extrinsecum. neg. antec. & sub eadem dist. conc. vel neg. conseq. nam etiam intellectus potest moraliter perfici per aliquid ipsi extrinsecum;

an

an autem ita perficiatur a veritate, ut ab una ejus parte perficiatur physice, & intrinsece, ab altera vero moraliter, & extrinsece, parum refert, in ordine ad conclusionem, ut patet consideranti.

Id addendum, cognitionem contingenter veram non esse necessario majorem physicam perfectionem intellectus, quam cognitionem contingenter falsam, eo ipso, quod talis cognitio intrinsece indifferens sit ad veritatem, vel falsitatem, & præcise extrinsece determinetur ab objecto. Aliud est de actibus necessario veris, qui utique sunt majoris perfectionis propter necessariam exclusionem falsitatis. Potest tamen cognitio contingenter vera sæpe esse major perfectio intellectus arguitive talis, quatenus arguit intellectum perspicatiorem: quamvis id non semper fiat; quia, cum quandoque falsa sint probabiliora veris, potest aliquando intellectus perspicacior falli, ubi non fallitur minus perspicax.

851. Obj. 3. Bonitas actuum est ipsis adæquate intrinseca: ergo etiam veritas. Confirm. Falsitas est adæquate intrinseca cognitionibus: ergo etiam veritas. prob. ant. si falsitas non esset adæquate intrinseca cognitionibus, non esset ratio, quare in Deo non posset dari cognitio falsa: atqui debet posse dari hujus ratio: ergo. Resp. dist. ant. bonitas physica, vel transcendentalis, est actibus adæquate intrinseca. conc. ant. bonitas moralis. neg. ant. & conseq. Bonitas physica actus nihil est aliud, quam ipse actus, cujus prædicatum transcendentale est esse bonum: sicut etiam veritas transcendentalis est quoque ipsemet actus vere existens vel possibilis, cujus etiam prædicatum transcendentale est esse verum; unde veritas transcendentalis est etiam adæquate intrinseca actui, vel cuicumque alteri rei.

852. At non ita est intrinseca veritas prædicamentalis, vel formalis; quia non est actui intrinseca tota conformitas cum objecto. Et sic etiam bonitas moralis actuum, etiam supernaturalium essentialiter bonorum, non est ipsis adæquate intrinseca; quia & conformitas cum lege divina, in qua stat bonitas moralis, pro constitutivo dicit ipsam legem, quæ non est intrinseca actui: sicut diximus *num.* 845. quod etiam actibus necessario veris non sit adæ-

adæquate intrinseca veritas. Ad confir. neg. ant. intellectum de falsitate prædicamentali (nam transcendentalis falsitas probabiliter non datur *ex n.* 839. nec ab hac esset legitima argumentatio ad veritatem formalem) eadem enim est ratio de difformitate, quæ est de conformitate. ad prob. neg. ma. Actus falsus, qualiscumque sit, non potest dari in potentia infinite perspicaci, & infallibili, quæ omnia debet cognoscere, prout sunt: & utique esset imperfectio in Deo, si falleretur: scienter autem non posset assentiri falso, ut est omnibus certum; cum nullus intellectus possit assentiri falso qua tali.

853. Ob. 4. Si veritas constituitur ex objecto, tunc veritas hujus actus, quo dico: *Propositio Petri est falsa:* constituitur per falsitatem: sed veritas non potest constitui per falsitatem: ergo. Confir. 1. Juxta nostram sententiam veritas actus divini, quo Deus dicit: *Petrus habet cognitionem Dei:* & veritas actus humani, Petrus dicit: *Deus habet cognitionem hujus meæ cognitionis:* haberent easdem partes: hoc non potest admitti: ergo. Confir. 2. Falsitas hujus actus, quo Atheus dicit, *Non datur Deus:* involveret etiam Deum, adeoque esset infinite perfectior, quam veritas hujus actus, quo fidelis dicit, *Datur Beatissima Virgo:* hoc est contra omnium persuasionem: ergo.

854. Resp. dist. ma. veritas hujus actus quidditative accepta constituitur per falsitatem. conc. ma. denominative accepta. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Sicut scilicet etiam peccatum pessimum, quidditative, vel concretive acceptum, constituitur per legem Dei optimam. Ad 1. confir. dist. ma. veritas actus illius divini, & veritas alterius actus humani, haberent easdem partes, si quiditative sumantur. om. ma. si denominative sumantur. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. In priori actu veritas denominative, sive secundum rectum sumpta, dicit actum divinum: in altero actu dicit actum humanum: adeoque est diversitas suo modo similis illi, quæ est inter minoritatem muscæ, & majoritatem elephantis, de quibus supra *num.* 685. & 703. ac 604. Ad 2. confirm. reddit eadem distinctio; neque propterea falsitas prioris actus est perfectior veritate

alterius actus, si falsitas, ut debet, sumatur denominative; nam suo modo iterum se res habet, ut in minoritate muscæ, & majoritate elephantis. vide iterum dicta *num.* 685. & 703. & 704.

855. Ob. 5. Propositio necessario vera est per seipsam adæquate vera: ergo objectum non est pars hujus veritatis. prob. ant. propositio necessario vera dicit intrinsecam oppositionem cum falso, & exclusionem falsi: sed talis oppositio, vel exclusio est adæquata veritas: ergo. Confir. Si propositio necessario vera non est se sola adæquate vera, tunc est indifferens ad veritatem, & falsitatem: sed propositio necessario vera, e. g. divina, non est indifferens ad veritatem, vel falsitatem: ergo est se sola adæquate vera.

Resp. neg. ant. ad prob. neg. mi. (intelligendo veritatem formalem, de qua hic est sermo) sed illa oppositio (de qua, an detur etiam in actibus naturalibus, vide dicta *n.* 846.) est tantum exigentia ad veritatem: sic etiam modus essentialiter exigit existentiam modificati, & habet essentialem oppositionem cum ejus negatione; non tamen propterea modus est formaliter existentia modificati. Ad confir. neg. ma. & retorq. iterum arg. in modo minime indifferente ad modificatum; nam etiam propositio necessario vera tantum habet exigentiam ad hoc, ut objectum se ita habeat, prout ipsa enunciat, sicut modus habet exigentiam ad modificatum.

856. Intelligo autem hic indifferentiam in eo sensu, in quo accipitur pro conjungibilitate cum veritate, & falsitate, quæ non datur in propositione necessario vera; si enim per indifferentiam tantum intelligatur insufficientia, quam diximus *nu.* 756. aliquando posse intelligi, tunc possent etiam dici, propositiones divinæ indifferentes ad veritatem, quatenus se solis non sufficiunt ad constituendam totam veritatem quidditative sumptam: non tamen possent dici indifferentes ad falsitatem; quia non possunt eam constituere: abstinendum tamen est a similibus propositionibus simpliciter proferendis; nam facile possent in sensu malo accipi.

857. Dices. Per illud est actus adæquate verus, per quod essentialiter distinguitur ab actu falso: sed actus

actus necessario verus distinguitur essentialiter ab actu falso per oppositionem cum falsitate: ergo est adæquate verus per oppositionem cum falsitate: sed hæc oppositio est actui intrinseca: ergo etiam est illi intrinseca adæquata veritas. Resp. neg. ma. Sicut homo distinguitur essentialiter ab omni non homine per solam animam rationalem, quin tamen per hanc sit adæquate homo: ita etiam per dictam oppositionem distinguitur actus necessario verus ab omni actu falso, quin tamen per illam oppositionem sit adæquate verus. Adde, quod illud sæpius adhibitum tanquam principium: *Idem est distinctivum, & constitutivum*, non sit universaliter verum; nam potest aliqua res distingui ab altera per aliquid pure extrinsecum, ex. gr. unus homo ab altero per vestitum. Multo minus est verum, quod omne distinctivum rei sit tota res.

ARTICULUS III.

Quid sit Verificativum Propositionis, quid Futuritio, Contingentia, & Necessitas Rerum.

858. Antequam ipsam primariam quæstionem, an scilicet propositiones de futuris contingentibus sint determinate veræ, vel falsæ, aggrediamur, necesse est, prius explicare, quid sit verificativum propositionum: item in quo stet futuritio, contingentia, vel necessitas rerum, aut objectorum: sine quibus rite intellectis vix rite intelligi potest ipsa primaria quæstio. Non autem hic loquimur de verificativo adæquate, seu concretive sumpto; nam hoc est adæquata veritas, seu adæquata forma, denominans propositionem veram, quæ quidditative sumpta involvit etiam ipsam propositionem ex dictis *a n.* 843. sed loquimur de verificativo inadæquate, seu denominative sumpto, sive de illa parte, quam præter actum intellectus involvit veritas. Hoc verificativum Mastrius citatus *num.* 843. cum adhærentibus, consequenter ad suam doctrinam de veritate, reponit in modo, vel relatione aliqua reali. Esparza *l.* 1. *de Deo q.* 21. *a.* 3. *Dein propositio*. reponit hoc verificativum in scientia Dei: alii vero

cum Thomistis in decreto Dei: nostri communius in statu objecti: quibus reipsa accedit Suarez *disp.8. Metaphys. sec.* 2. nam ex ejus doctrina ibi tradita hoc omnino infertur.

859. Dico 1. cum hac ultima sententia. Verificativum propositionis est status objecti talis, qualem propositio enunciat: ex quo a contrario sequitur, quod falsificativum propositionis sit status objecti disformis propositioni. Prob. conclusio. Verificativum propositionis est id, quod facit propositionem veram, seu conformem objecto: sed hoc nihil est aliud, quam status objecti, talis, qualem propositio enunciat: ergo. ma. est clara. mi. prob. si objectum ita se habet realiter, prout propositio illud enunciat, vel intentionaliter repræsentat, tunc nullo alio intellecto propositio est objecto conformis: sicut scilicet pictura est conformis suo prototypo, si hoc ita se habet a parte rei, prout illa coloribus repræsentat: ergo. Hinc non est necessitas ullius modi, aut relationis realis superadditæ: neque etiam scientia, aut decretum Dei venit ad rem; cum enim propositio, e. g. *Petrus ambulat*: nec affirmet, nec neget scientiam, aut decretum Dei, propositio maneret vera, modo daretur ambulatio, etsi per impossibile, nec scientia, nec decretum Dei daretur.

860. Confir. Aristoteles *de Prædicam. tr. 2. c. 1. de substantia* ait: *Nam eo, quo res est, aut non est, eo etiam oratio vera, vel falsa esse dicitur*: & *tr. 3. c. 2. de priori* scribit: *Eo enim, quod res est, aut non est, vera oratio, aut falsa dicitur*: ergo status objecti est verificativum propositionis, aut ejus falsificativum. Ubi nota, verbum *est* necessario hic sumi ampliative; alias enim propositio de præterito, vel futuro, non esset vera, nisi ipsi coexisteret de præsenti res, seu objectum, quod juxta omnes est falsum: & sane, ut vera sit propositio: *Petrus heri ambulavit*: non exigit, sibi coexistere ambulationem, aut diem hesternam: sed potius exigit, eam sibi non coexistere: & idem est de propositione. *Petrus cras ambulabit*.

861. Prob. concluf. 2. evertendo præcipuum argumentum adversariorum. Ideo juxta adversarios status objecti non esset verificativum propositionis; quia sæpe

sæpe non existeret objectum, quando propositio esset vera: hæc ratio nulla est: ergo. prob. mi. propositiones de præterito, vel de futuro, non exigunt dari existentiam actualem objecti, imo exigunt, eam non dari: ergo, ut veræ sint, debet objectum tunc actu non existere: adeoque ratio adversariorum nulla est. Unde, ut objectum sit verificativum propositionis, sufficit, si ipsum detur per ampliationem, sive pro tempore importato per copulam: imo sufficit, si detur per alienationem, nec est opus, ut detur per statum.

Confirm. Ideo etiam juxta adversarios status objecti non esset verificativum propositionis; quia denominatio propositionis veræ actu datur, & non datur actu status objecti: hæc ratio iterum nihil probat: ergo. prob. mi. dantur plurimæ denominationes actu, seu nunc, licet non omnes earum partes dentur actu, seu nunc: ergo etiam potest dari denominatio propositionis veræ nunc, licet non detur objectum actu, seu nunc. ant. prob. sic datur nunc denominatio anni, mensis, senis, mutationis, inchoationis, desitionis &c. ergo. Sicut enim istæ denominationes sunt successivæ, ita etiam denominatio veri de præterito, vel futuro, est successiva; *futurum* enim, seu *futuritio rei*, ut mox dicemus, est *rem non esse nunc*, & *esse postea*, seu *negatio rei nunc*, & *existentia postea*, quæ aperte significant successionem unius ad alterum, seu prius, & posterius, & eadem ratio est *de præterito*, quod est *non esse nunc*, & *esse prius*, seu negatio rei nunc, & existentia prius.

862. Recte autem notat P. Martinez *Controv. 3. disp. 3. de Deo sciente sec.* 2. quod particula *nunc* se accomodet naturæ prædicati, seu denominationis, ita, ut, si denominatio, quam afficit, petat sua constitutiva dari omnia simul, etiam ipsa particula *nunc* afficiat omnia constitutiva: si autem denominatio non exigat sua constitutiva dari omnia simul, etiam ipsa partrcula *nunc* ea non omnia afficiat, ut patet in superioribus exemplis: e. g. si dicatur: *Nunc datur mensis Julius*: vel: *Nunc datur annus millesimus*. Unde, cum denominatio futuri, seu futuritionis, non exigat omnes partes simul dari; eo quod sit denominatio successiva, etiam particula

nunc, ei adjecta, non exigit omnes partes simul dari; potest igitur cum veritate dici res nunc futura, licet non dentur omnes partes rei futuræ: consequenter actu afferens, rem nunc futuram, est conformis objecto: adeoque datur conformitas ejusdem cum objecto, quæ est formalissime veritas.

863. Dico 2. Futuritio in genere est forma denominans rem futuram. Huic conclusioni nemo adversatur; sicut enim alia concreta, ita etiam concretum *futurum* dicit subjectum, & formam, quæ est futuritio; nam futurum est res habens futuritionem, ut album est res habens albedinem. Duplex autem futuritio a nostris communiter affignatur (quanquam reclamet Conetus cum aliis Thomistis, sed contra mentem S. Thomæ, ut mox ostendetur) nempe *futuritio causalis*, & *futuritio formalis*. Et quidem *futuritio causalis* est determinatio, vel ordinatio causarum, in præsenti existens, & connexa cum futuro eventu. Hæc connexio, si infallibiliter, & inimpedibiliter trahat post se effectum, dicitur *futuritio simpliciter talis*: si vero non inimpedibiliter, nec infallibiliter, sed tantum ordinarie post se trahat effectum, tunc est tantum *futuritio secundum quid* juxta Angelicum. Et hæc descriptio futuritionis causalis communiter absque controversia admittitur: major de futuritione formali movetur lis a Thomistis; hinc

864. Dico 3. Futuritio formalis est non existentia rei nunc, & existentia postea: scilicet pro tempore importato per copulam: adeoque futuritio involvit esse, & non esse rei, sed pro diverso tempore. ita Angelicus, & Joannes a S. Thoma *in 1. par. ad qu. 14. disput. 19. art. 1. num. 2.* ac nostri communissime. Prob. conclusio 1. auctoritate S. Thomæ, ex qua simul ostenditur, S. Doctorem distinxisse inter futuritionem causalem, & formalem: sic habet *q. 12. de veritate (quæ est de prophetia) artic. 10. ad 7. Aliquid potest dici esse futurum, non solum ex hoc, quod ita erit: sed quia ita est ordinatum in causis suis, ut sic sit futurum.*

Eandem distinctionem duplicis futuri tradit *1. p. qu. 86. a. 4. in corp.* item *1. p. qu. 14. a. 13. in corp.* quibus locis Angelicus Deo tribuit duplicem modum co-

cognoscendi futura, nempe in causis, & in seipsis, de quo plura Theologi: ergo ex S. Thoma aliquid potest dici futurum, ideo, *quod ita erit*: sive, quia necdum est, sive nunc est ejus negatio: & postea erit, sive postea est ejus existentia: ergo forma denominans futurum, seu futuritio formalis est negatio rei nunc, & existentia postea.

865. Prob. conclusio etiam ratione ab Angelico hic insinuata. Futuritio formalis est forma denominans rem formaliter futuram: sed hæc forma nihil est aliud, quam non existentia rei nunc, & existentia postea: ergo. prob. mi. si datur non existentia, sive negatio rei nunc, & existentia ejusdem postea, tunc, nullo alio intellecto, intelligitur totum, quod denominat rem formaliter futuram: scilicet intelligitur successio rei ad negationem sui, prius suo modo existentem, vel transitus a non esse ad esse &c. præter quæ non nisi gratis, & sine ratione aliquid aliud requireretur ad denominandam rem futuram: ergo. Confirm. Si datur negatio rei nunc, & existentia prius, nullo alio intellecto, intelligitur præteritio rei, seu forma denominans præteritum, sive transitus ab esse ad non esse: ergo etiam intelligitur futuritio, si detur negatio rei nunc, & existentia postea. Certe adversarii, qui aliquid aliud requirunt, debent id positive probare, quod efficaciter præstare non possunt, ut patebit ex solutione objectionum.

866. Dico 4. Contingentia rei stat in hoc, quod res ita existat, ut potuisset non existere, vel effectus ita procedat a sua causa, ut potuisset non procedere: & in hac descriptione, saltem quoad rem, conveniunt auctores. Dicitur autem alia *Contingentia secundum quid*, quando causa est quidem ex se necessitata ad producendum effectum, attamen est impedibilis: & sic ignis, ab alio igne productus, est contingens secundum quid; quia potuisset ignis producens impediri, sicut impeditus est ignis Babylonicus. Alia dicitur *Contingentia simpliciter talis*, quando causa est libera, & ut proxime expedita potest effectum ponere, vel non ponere pro libitu: e. g. Petrus peccans potuisset libere non peccare, & ejus peccatum est simpliciter contingens. Præter has duas asseritur communiter etiam alia *Contingentia*, dicta

transcendentalis, quæ datur in omni ente creato, quatenus est indifferens ad existendum, vel non; cum interim Deus necessario existat.

867. Dico 5. Necessitas rei stat in hoc, quod res non possit aliter se habere, ita saltem quoad rem communis: nec opus habet assertio probatione; cum intelligenti terminos facile appareat vera. Est autem alia *Necessitas absoluta*, alia *ex suppositione*. Prior est, quæ rei convenit ex essentia sua, & nulla facta suppositione, qua ratione necessaria est existentia Dei. Altera, quæ rei non convenit, nisi supposita aliqua conditione: & sic est necessaria existentia mundi, supposito decreto Dei de eo producendo: & hæc necessitas, ut patet consideranti, non opponitur contingentiæ.

Rursus alia dicitur *Necessitas antecedens*, seu, ut a S. Thoma vocatur, *necessitas consequentis*: alia *consequens*, seu, ut ab Angelico vocatur, *necessitas consequentiæ*. Prior juxta S. Anselmum *l. 2. cur Deus homo. c. 18.* est, quæ facit rem, seu est causa necessaria, vel aliquid aliud ita præcedens, ut ex eo alterum inimpedibiliter sequatur: sic catena ferrea inauferibilis est necessitas antecedens ad non fugiendum. Posterior, seu consequens necessitas est, quam facit res, sive est necessitas ex suppositione rei; eo quod res non possit non esse, ex suppositione, quod sit: sic ambulatio libere incepta est necessitas consequens motum; quia ea supposita non possum simul quiescere.

Licet autem necessitas antecedens opponatur indifferentiæ, vel contingentiæ simpliciter tali, sive libertati, non tamen isti opponitur necessitas consequens; nam, etsi libere ambulans necessario moveatur, tamen movetur libere. Hoc indicavit Aristoteles *1. Periherm. c. ult.* dum ait: *Igitur esse, quod est, quando est, & non esse, quod non est, quando non est, necesse est: sed non omne, quod est, necesse est esse: nec quod non est, necesse est non esse.*

AR-

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

868. OB. 1. contra. 1. concluſ. Totum, & omnes partes sunt realiter idem: ergo, si datur totum, dantur etiam omnes ejus partes: & quod non datur, dato toto, non est hujus pars: atqui veritas, e. g. propositionis de futuro, est aliquod totum, & tamen data ea veritate non datur status objecti: ergo status objecti non est pars veritatis: ergo etiam non est verificativum. Resp. dist. ant. totum adæquate, aut quidditativè acceptum, & omnes partes sunt realiter idem. conc. ant. totum tantum denominative acceptum. neg. ant. & sub eadem distinctione conc. vel neg. conseq. dist. etiam subsumpt. veritas propositionis de futuro, prout hic sumitur, est aliquod totum denominative sumptum. conc. subsumpt. est aliquod totum adæquate, vel quidditative sumptum. neg. subsumpt. & dist. 1. conseq. ergo status objecti non est pars veritatis denominative sumptæ. conc. cons. non est pars veritatis adæquate, seu quidditative sumptæ. neg. 1. atque etiam 2. conseq.

Totum denominative sumptum est reipsa tantum pars totius adæquate sumpti, quæ venit in recto, & suscipit denominationem, ut jam supius explicatum, & statim *num.* 327. Alii ad hanc objectionem respondent, nec male, dist. conseq. ergo, si datur totum, dantur etiam omnes ejus partes, prout eas dari totum exigit. conc. conseq. aliter. neg. conseq. Totum autem successivum, quale est veritas propositionis de futuro, non exigit omnes partes simul, sed successive dari.

Dices 1. Si ad hoc, ut dicatur, dari totum denominative sumptum, sufficit, si detur una pars, tunc etiam, quando Antichristus existet, poterit dici futurus: hoc est falsum: ergo. prob. ma. etiam tunc dabitur una pars futuritionis, nempe ipsa existentia: ergo. Resp. dist. ma. si sufficit quælibet pars. conc. ma. si non sufficit quælibet, sed tantum aliqua determinata. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq. Ut dicamus, dari totum denominative sumptum, sive ali-

quam denominationem, non sufficit dari quamlibet ejus partem, sed debet dari illa, quam, inspecta natura denominationis, ex communi notione colligimus requiri: atqui ex communi notione omnium colligimus, ad hoc, ut aliquid possit dici futurum, requiri, ut nunc detur ejus negatio: non vero nunc existentia, sed postea. Sic etiam non potest dici futurum, cujus negatio datur post ejus existentiam; nam hoc dicitur præteritum.

869. Dices 2. Hujus propositionis, *Petrus cras peccabit*, veritas est essentialiter connexa cum peccato cras futuro: atqui hæc veritas jam datur hodie, & tamen juxta nos nihil est hodie, quod sit essentialiter connexum cum peccato cras futuro: ergo illa veritas non consistit in iis, quæ nos assignamus. ma. prob. repugnat dari hanc veritatem hodie, & non dari cras peccatum: ergo hæc veritas est essentialiter connexa cum peccato cras futuro. Resp. dist. ma. veritas illa denominative sumpta est essentialiter connexa cum peccato cras futuro. neg. ma. veritas illa quidditative sumpta. conc. ma. & sic dist. 1. p. mi. & conc. 2. ac neg. conseq. ad prob. ma. dist. ant. repugnat dari hanc veritatem quidditative sumptam, & non dari peccatum. conc. ant. denominative tantum sumptam. neg. ant. & sub eadem iterum dist. conc. vel neg. conseq.

Veritas denominative sumpta, sive sola propositio de futuro peccato, quæ jam datur hodie, non essentialiter post se trahit peccatum; quia est tantum contingenter vera: ipsum autem peccatum, quod est altera pars veritatis quidditative sumptæ, non est proprie connexum, sed identificatum secum ipso. Interim manet semper verum, quod veritas adæquate consistat in iis, quæ nos assignamus: quæ tamen omnia non debent dari tunc, quando propositio dicitur, seu denominatur vera; nam ad hoc sufficit, ut detur tunc veritas denominative sumpta.

870. Ob. 2. contra 3. concluſ. S. Augustinus *l. 11. Confess. c. 20.* sic ait: *Præsens de præteritis memoria, præsens de præsentibus contuitus, præsens de futuris expectatio:* ergo etiam futuritio est aliquid præsens: ergo non est existentia rei postea. Confirm. S. Anselmus *Dialog. de verit. c. 11.* ait: *Non est vera oratio,*

tio, quæ dicit, futurum esse aliquid, nisi reipsa sit aliquid futurum: neque aliquid est futurum, si non sit in summa veritate: ergo futuritio rerum stat in summa veritate: hoc est, in scientia, vel decreto Dei. Resp. dist. 1. conseq. futuritio aliqua minus proprie dicta est aliquid præsens. conc. conseq. proprie dicta. neg. 1. & 2. conseq.

S. Augustinus ipse *ibidem* negat, futura proprie per statum existere: & dein quærit, an non possint dici aliquo modo præsentia, affertque præsentiam expectationis, quæ utique non nisi improprie est præsentia rei, vel ejus futuritio. Ad confirm. dist. conseq. futuritio aliqua rebus extrinseca stat in scientia, vel decreto Dei. conc. conseq. futuritio formalis intrinseca. neg. conseq. S. Anselmus ibi vult probare, dari aliquam summam veritatem, qua deficiente, deficiat veritas quævis inferior; quia hæc debet esse participatio superioris: quæ omnia sunt vera, modo veritas summa, sive scientia, aut decretum Dei, sit futuritio rerum extrinseca, aut causalis.

871. Ob. 3. S. Thomas *1. p. q. 16. a. 7. ad 3.* ait: *Illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat, ut fieret; unde sublata causa non erat futurum illud fieri:* ergo futuritio stat in dispositione causarum, vel in decreto Dei, & his sublatis non datur futuritio. Confir. Idem S. Doctor *q. 12. de verit. a. 10. ad 12.* ait: *In causis superioribus cognoscuntur rerum eventus absolute: sed in inferioribus, non nisi sub conditione:* ergo futuritio potest stare in dispositione causarum, saltem superiorum, sive in decreto Dei. Resp. dist. conseq. futuritio causalis stat in dispositione causarum, vel decreto Dei, & his sublatis non datur futuritio causalis. conc. conseq. formalis. neg. conseq. Ad confir. servit eadem distinctio. At vero S. Doctor præter hanc futuritionem causalem adstruit aliam formalem, de qua vide *n. 864.*

872. Ob. 4. Illud est futuritio rei, per quod res distinguitur a mere possibili: sed ab hoc distinguitur per determinationem in causa: ergo determinatio in causa est futuritio. Confirm. Connexio inferens effectum sufficienter eum denominat futurum: ergo est futuritio. Resp. dist. ma. illud est futuritio rei, vel

causalis, vel formalis, vel extrinseca, vel intrinseca. conc. ma. semper est intrinseca, vel formalis. neg. ma. & om. mi. neg. conseq. potest enim etiam dari distinctivum extrinsecum, de quo vide *n.* 857. Ad confir. dist. ant. illa connexio sufficienter denominat effectum causaliter, vel extrinsece futurum. conc. ant. formaliter, vel intrinsece futurum. neg. ant. & dist. conseq. ergo est futuritio extrinseca, vel causalis. conc. conseq. intrinseca, vel formalis. neg. conseq.

873. Ob. 5. Futuritio peccati crastini est denominatio realis: ergo est aliquid extrinsecum peccato; nam istud hodie nihil est reale: ergo est scientia, vel decretum Dei; quia nihil aliud potest assignari. Resp. dist. ant. futuritio illa est denominatio adæquate realis. neg. ant. est inadæquate realis. subdist. est talis per statum. neg. ant. per ampliationem. conc. ant. & dist. conseq. est aliquid adæquate extrinsecum peccato. neg. conseq. inadæquate extrinsecum. conc. hanc, at nego alteram conseq.

Futuritio dicit negationem peccati nunc, adeoque constituitur ex negatione, & consequenter non est adæquate realis: insuper hæc negatio est extrinseca peccato, adeoque etiam futuritio est inadæquate, sive secundum hanc partem negativam, extrinseca peccato. Eadem tamen futuritio dicit etiam pro parte ipsum peccatum, & hinc est denominatio inadæquate realis: quia tamen non dicit peccatum pro nunc, sive per statum, sed tantum pro postea, non est denominatio realis per statum, sed per ampliationem. Simili modo debent adversarii explicare præteritionem peccati.

874. Ob. 6. Futuritio, e. g. Antichristi, est modo præsens (nunc enim dicitur futurus, & tunc, quando existet, non dicetur amplius futurus) sed nihil est modo præsens, quam decretum Dei: ergo futuritio stat in decreto Dei. Confir. Futuritio Antichristi datur ab æterno: sed nihil datur ab æterno, quam decretum Dei: ergo. Resp. loquendo de futuritione formali (nam de causali non controvertimus) dist. ma. futuritio est modo præsens per statum. neg. ma. per ampliationem, vel alienationem. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq.

Una pars futuritionis, nempe negatio, datur nunc per alienationem; quia stricte loquendo negatio non exi-

existit: si velis cum quibusdam minus proprie loqui, mea pace poteris dicere, eam per statum esse præsentem: & sic etiam futuritio inadæquate, seu denominative sumpta, erit præsens per statum. Altera vero pars futuritionis, seu existentia rei, non datur per statum, sed per ampliationem: & sic etiam futuritio inadæquate sumpta, seu quoad alteram partem, est præsens per ampliationem. Ad confir. dist. iterum ma. futuritio datur ab æterno per statum. neg. ma. per ampliationem, vel alienationem. conc. ma. & dist. proportionaliter mi. neg. conseq.

875. Ob. 7. Futuritio aliquorum, in S. Scripturis revelatorum, habetur per aliquid præsens, e. g. futuritio eversionis Ninives, a Jona prædicta, habetur per decretum Dei præsens, & conditionatum evertendi urbem, nisi incolæ egerint pœnitentiam: ergo etiam futuritio aliarum rerum habetur per aliquid præsens. Resp. Martinez *de Deo sciente controv. 3. disp. 4. sec. 1.* respondet, prophetiam Jonæ stricte loquendo non fuisse de futuro, sed de præsenti; nam ejus objectum fuit decretum præsens, quod Propheta præcipue annunciavit.

Alii, qui volunt, prophetiam illam fuisse de futuro, dicunt, eam fuisse conditionatam, ejusque objectum fuisse futuritionem conditionatam eversionis Ninives: quæ futuritio conditionata non stat in decreto Dei: sed debet explicari proportionaliter ad futuritionem absolutam, & dici, quod sit negatio rei nunc, & existentia postea, non absolute, sed ex suppositione, quod ponatur conditio. In forma, vel cum Martinez neg. suppositum antecedentis; non enim est futuritio: vel neg. ant. nam illa futuritio conditionata non stat in decreto Dei, sed in aliis modo explicatis.

876. Ob. 8. Existentia, e. g. Antichristi, destruit ejus futuritionem: ergo non constituit futuritionem. prob. antec. quando existit Antichristus, non amplius est futurus: ergo. Resp. dist. antec. existentia Antichristi existens per statum, destruit futuritionem ejus. conc. antec. existens per ampliationem. neg. ant. & dist. conseq. existentia existens per statum non constituit futuritionem. conc. conseq.

seq. existens per ampliationem. neg. conseq. Quando datur existentia per statum, non amplius datur negatio, & consequenter non amplius datur futurum denominative; quia non datur amplius pars illa, quæ ex communi omnium notione requiritur ad denominationem futuri: sic etiam, licet, combusto ligno, detur adhuc materia ligni, non tamen datur amplius lignum.

877. Ob. 9. Futurum est aliquid aliud, quam mere possibile: sed non potest explicari, quid sit, nisi dicatur esse decretum Dei: ergo. Confir. Futurum certum distinguitur a casuali, & dubio: sed per nihil aliud, quam per decretum Dei: ergo. Resp. dist. ma. est aliquid aliud per statum. neg. ma. per ampliationem. conc. ma. & neg. mi. ac conseq. Res adhuc tantum futura tam parum est aliquid pro statu, quam parum est aliquid pro statu res mere possibilis: quia autem res absolute futura aliquando existet, hinc est aliquid per ampliationem: & in hoc sensu ampliativo ordinarie loquimur de futuris.

Ad confirm. dist. ma. futurum certum distinguitur intrinsece a casuali, & dubio, casu quo omnia tria sint vere futura. neg. ma. distinguitur extrinsece tantum. conc. ma. & neg. mi. ac conseq. Certum, dubium, casuale, non sunt denominationes rebus intrinsecæ, sed derivantur in eas ab extrinseco, nempe a nostris cognitionibus certis, aut dubiis &c. Unde res, quæ revera futura est, quamvis de hoc mihi non certo constet, sed de eo dubitem, non differt ab alia re, de qua mihi certo constat, quod sit futura. Aliud esset, si res aliqua non esset futura; talis enim differret ab alia per existentiam postea, quam ista habebit, non autem illa.

878. Ob. 10. Effectus cras producendus dicitur hodie possibilis ab omnipotentia Dei: ergo etiam dicitur hodie, sive nunc futurus, a decreto Dei. Confirm. Juxta nos non potest explicari, an futuritio sit ante, vel post decretum Dei: hoc debet explicari: ergo. Resp. dist. ant. dicitur ab omnipotentia Dei possibilis extrinsece. conc. ant. possibilis intrinsece. neg. ant. & sub eadem distinctione conc. vel neg. conseq. A decreto Dei potest quidem aliquid dici futurum causaliter, vel extrinsece, non autem formaliter, vel intrinsece. Ad confirm. neg. ma. & dico, quod futuritio absoluta cujuslibet rei sit post decretum Dei; quia, nisi Deus velit operari, vel concurrere, aut saltem concursum suum permittere, nulla creatura poterit produci, adeoque nihil poterit esse futurum. Quid de conditionate futuris dicendum, relinquimus Theologis, agentibus de scientia conditionalium.

ARTICULUS V.

An Propositio de Futuris Contingentibus sit determinate Vera, vel Falsa.

879. Dico. Propositio quælibet de futuro contingenti absoluto est, vel determinate vera, vel determinate falsa. Ita nostri communissime. Prob. concluf. Vel objectum pro tempore importato per copulam se habet eo modo, quo propositio enunciat, vel non se habet eo modo: quidquid dicatur, propositio semper est, vel determinate vera, vel determinate falsa: ergo. ma. est innegabilis; quia inter ista non datur medium exclusivum utriusque; nam est clare falsum, quod Petrus e. g. cras, neque sit ambulaturus, neque sit non ambulaturus: vel (quod est exemplum Aristotelis 1. *Periherm. c.* 6.) quod bellum navale cras, neque sit futurum, neque non sit futurum. mi. etiam patet; quia aliud ad veritatem propositionis non requiritur, quam ut sit conformis objecto: & ad falsitatem ejusdem aliud non requiritur, quam ut sit disformis objecto; nam etiam propositio de objecto præsenti, vel præterito, ideo est vera, quia est objecto conformis.

Confirm. Ex duabus propositionibus contradictoriis non potest utraque esse vera, neque utraque falsa, sive dein istæ propositiones sint de præterito, sive de præsenti, sive de futuro, ut est certum ex Summulis: ergo ex his e. g. duabus propositionibus de futuro contingenti: *Petrus peccabit: Petrus non peccabit:* una est necessario vera, & altera falsa: cumque insuper a parte rei, seu physice, nihil possit esse indeterminatum, una ex illis propositionibus debet a parte rei esse determinate vera, & altera determinate fal-

seq. existens per ampliationem. neg. conseq. Quando datur existentia per statum, non amplius datur negatio, & consequenter non amplius datur futurum denominative; quia non datur amplius pars illa, quæ ex communi omnium notione requiritur ad denominationem futuri: sic etiam, licet, combusto ligno, detur adhuc materia ligni, non tamen datur amplius lignum.

877. Ob. 9. Futurum est aliquid aliud, quam mere possibile: sed non potest explicari, quid sit, nisi dicatur esse decretum Dei: ergo. Confir. Futurum certum distinguitur a casuali, & dubio: sed per nihil aliud, quam per decretum Dei: ergo. Resp. dist. ma. est aliquid aliud per statum. neg. ma. per ampliationem. conc. ma. & neg. mi. ac conseq. Res adhuc tantum futura tam parum est aliquid pro statu, quam parum est aliquid pro statu res mere possibilis: quia autem res absolute futura aliquando existet, hinc est aliquid per ampliationem: & in hoc sensu ampliativo ordinarie loquimur de futuris.

Ad confirm. dist. ma. futurum certum distinguitur intrinsece a casuali, & dubio, casu quo omnia tria sint vere futura. neg. ma. distinguitur extrinsece tantum. conc. ma. & neg. mi. ac conseq. Certum, dubium, casuale, non sunt denominationes rebus intrinsecæ, sed derivantur in eas ab extrinseco, nempe a nostris cognitionibus certis, aut dubiis &c. Unde res, quæ revera futura est, quamvis de hoc mihi non certo constet, sed de eo dubitem, non differt ab alia re, de qua mihi certo constat, quod sit futura. Aliud esset, si res aliqua non esset futura; talis enim differret ab alia per existentiam postea, quam ista habebit, non autem illa.

878. Ob. 10. Effectus cras producendus dicitur hodie possibilis ab omnipotentia Dei: ergo etiam dicitur hodie, sive nunc futurus, a decreto Dei. Confirm. Juxta nos non potest explicari, an futuritio sit ante, vel post decretum Dei: hoc debet explicari: ergo. Resp. dist. ant. dicitur ab omnipotentia Dei possibilis extrinsece. conc. ant. possibilis intrinsece. neg. ant. & sub eadem distinctione conc. vel neg. conseq. A decreto Dei potest quidem aliquid dici futurum causaliter, vel extrinsece, non autem formaliter, vel intrinsece. Ad confirm. neg. ma. & dico, quod futuritio absoluta cujuslibet rei sit post decretum Dei; quia, nisi Deus velit operari, vel concurrere, aut saltem concursum suum permittere, nulla creatura poterit produci, adeoque nihil poterit esse futurum. Quid de conditionate futuris dicendum, relinquimus Theologis, agentibus de scientia conditionalium.

ARTICULUS V.

An Propositio de Futuris Contingentibus sit determinate Vera, vel Falsa.

879. Dico. Propositio quælibet de futuro contingenti absoluto est, vel determinate vera, vel determinate falsa. Ita nostri communissime. Prob. concluf. Vel objectum pro tempore importato per copulam se habet eo modo, quo propositio enunciat, vel non se habet eo modo: quidquid dicatur, propositio semper est, vel determinate vera, vel determinate falsa: ergo. ma. est innegabilis; quia inter ista non datur medium exclusivum utriusque; nam est clare falsum, quod Petrus e. g. cras, neque sit ambulaturus, neque sit non ambulaturus: vel (quod est exemplum Aristotelis 1. *Periherm. c.* 6.) quod bellum navale cras, neque sit futurum, neque non sit futurum. mi. etiam patet; quia aliud ad veritatem propositionis non requiritur, quam ut sit conformis objecto: & ad falsitatem ejusdem aliud non requiritur, quam ut sit disformis objecto; nam etiam propositio de objecto præsenti, vel præterito, ideo est vera, quia est objecto conformis.

Confirm. Ex duabus propositionibus contradictoriis non potest utraque esse vera, neque utraque falsa, sive dein istæ propositiones sint de præterito, sive de præsenti, sive de futuro, ut est certum ex Summulis: ergo ex his e. g. duabus propositionibus de futuro contingenti: *Petrus peccabit: Petrus non peccabit:* una est necessario vera, & altera falsa: cumque insuper a parte rei, seu physice, nihil possit esse indeterminatum, una ex illis propositionibus debet a parte rei esse determinate vera, & altera determinate fal-

falsa : ergo. Aliud est, quod nos non possimus determinare, quænam sit vera, quænam falsa, quod minime requiritur : sufficit, quod Deus, qui omnia scit, eam determinare possit.

880. Quod hic dictum est de propositionibus absolutis, circa futura contingentia absoluta, idem proportionaliter dicendum est de propositionibus conditionatis, circa futura contingentia conditionata; nam etiam sic discurritur. Vel objectum posita tali conditione est futurum, vel non est futurum : si primum, tunc propositio, affirmans illud futurum, enunciat objectum eo modo, quo se habere debet juxta exigentiam copulæ, scilicet tanquam conditionate futurum, & hinc ipsa est determinate vera; quia est conformis objecto : si secundum, tunc propositio affirmans illud objectum, sub ea conditione fututum, est determinate falsa; quia est difformis objecto. Sed & propositiones contradictoriæ conditionatæ (quæ etiam dantur a parte rei, &, licet sint conditionatæ quoad modum tendendi, tamen sunt absolutæ in existendo) non possunt simul esse veræ, nec simul esse falsæ: adeoque etiam ex hoc capite debet semper una esse determinate falsa, altera vera.

881. Ob. 1. Aristoteles 1. *Periherm. c.* 6. & Sanctus Thomas *in eundem locum lect.* 13. docent, neutram propositionem ex contradictoriis de futuro contingente habere determinatam veritatem : ergo nostra conclusio non subsistit. Resp. dist. ant. docent, neutram propositionem habere determinatam veritatem in causis. conc. ant. in seipsis. subdist. veritatem per statum, & adæquate, seu concretive existentem. conc. ant. per ampliationem, vel denominative existentem. neg. ant. & conseq. S. Thomas *cit. lect.* 13. *§. Sed, quod non potest.* refert totum Aristotelis textum, eumque exponit, & ait, aliquid esse verum hoc modo, quo est, ac addit, futurum non esse, & ex hoc infert, nec verum esse : quæ tantum intelligi possunt in hoc sensu, quod futurum, seu propositio de tali futuro, non habeat veritatem adæquate sumptam actu existentem; nam veritas inadæquate, seu denominative sumpta, quæ consistit in ipsa propositione actu existente, nunc de præsenti existit.

882. At

882. At neque nos dicimus, propositionem de futuro contingente habere veritatem determinatam adæquate sumptam per statum, seu actu existentem (nam secundum alteram partem, nempe objectum, veritas earum propositionum juxta nos non existit per statum, sed tantum per ampliationem : adeoque non datur per statum veritas, quatenus hæc dicit objectum) sed tantum dicimus, talem propositionem habere actu determinatam veritatem inadæquate, sive denominative sumptam, seu secundum unam partem, scilicet cognitionem, quæ actu per statum existit. In hunc sensum Aristotelem etiam exponit Capreolus, dictus Pater Thomistarum, cum aliis gravissimis viris apud Martinez *de Deo sciente controv.* 3. *disp.* 3. *sect.* 4.

883. Affert dein Angelicus aliam existentiam futurorum de præsenti, nempe existentiam in causis : & quia, ut dictum *num.* 881. juxta S. Thomam aliquid verum est, vel habet veritatem, eo modo, quo existit, existentia vero in causis contingentibus non est determinata, hinc etiam futura (vel, quod inde sequitur, propositiones de futuro) non habent determinatam veritatem in causis : quod facile concedimus; quia tantum significat, causas in se præcise, & quoad naturam suam spectatas, non esse determinatas, sed indifferentes ad effectum, adeo, ut iis præcise inspectis non possit affirmari potius effectus futurus, quam non futurus.

884. Dices. Etiam istæ propositiones : *Causa producet effectum : Causa non producet effectum* : sunt contradictoriæ : ergo una debet esse determinate vera. Resp. conc. totum : at hæc determinatio non provenit ex sola natura causæ, sed debet aliunde oriri; nam causa contingens per se ad neutrum determinata est, & debet aliunde determinari, sive dein ab extrinseco, sive ab intrinseco (ut contingit in causa libera) determinetur. Nota insuper, has propositiones non dicere solam causam, sed consignificare effectum, & significare idem, quod significant istæ duæ propositiones : *Effectus producetur a causa : Effectus non producetur a causa* : unde determinatio ad veritatem non est a causa, sed ab effectu, qui per causam ex natura sua indifferentem est producendus, vel non producendus.

885. Objic.

885. Objic. 2. Si tales propositiones sunt determinate veræ, non sunt contingenter veræ: hoc non potest admitti: ergo. prob. maj. si sunt determinate veræ, non sunt indifferenter veræ: ergo neque contingenter. Resp. dist. maj. si sunt determinate veræ, determinatione, seu necessitate antecedente. conc. maj. si tantum sunt determinate veræ determinatione consequente. neg. maj. & conc. min. neg. conseq. ad prob. dist. eodem modo ant. & neg. conseq.

Determinatio, vel necessitas antecedens (quæ sola opponitur contingentiæ *ex num.* 867.) est determinatio in causa necessaria, ut *ibidem* dictum: determinatio autem, seu necessitas consequens, est determinatio ex suppositione rei ipsius; quia nempe res posita non potest simul non poni; unde res dicitur determinate existere per existentiam suam actualem: & contingenter existere ratione causarum indifferentium, a quibus potuisset non produci. Si quæras, per quid causa indifferens ad agendum fiat determinata. Resp. quod formaliter, seu in actu secundo, fiat determinata per ipsum effectum, aut actionem productivam; hæc enim est forma determinate denominans agentem: efficienter autem, seu in genere physico, & in actu primo, fiat determinata, vel a comprincipio aliquo, vel a quibusdam circumstantiis, vel, si sit causa libera, a seipsa, per suam virtutem electivam se determinante.

886. Objic. 3. Si propositiones de futuro contingente essent determinate veræ, vel falsæ, ideo essent; quia contradictoria non possunt simul esse vera, aut falsa: sed hæc ratio istud non probat: ergo. prob. min. contradictio non magis determinat ad veritatem unius propositionis, quam alterius: ergo tantum aliqua indeterminate, neutra autem determinate, est vera, aut falsa. Resp. dist. maj. & hæc ratio est adæquata. neg. maj. est tantum inadæquata. conc. maj. & dist. min. hæc ratio se sola istud non probat. conc. min. cum alia adjuncta. neg. min. & conseq. Addendum est nempe, nihil a parte rei, seu physice, posse esse indeterminatum. vide dicta *num.* 879.

Dices 1. Hæc propositio: *Necesse est, alterutram ex contradictoriis de futuro contingente esse veram*, est vera, quamvis nulla sit determinate vera: ergo etiam

etiam hæc propositio: *Aliqua ex illis contradictoriis est vera*: vera est, quamvis nulla determinate sit vera. Resp. retorq. arg. in propositionibus de præsenti: *Necesse est, Petrum nunc sedere, vel non sedere*: & *Petrus nunc sedet: Petrus nunc non sedet*: in forma neg. conseq. & paritatem. Scitur ex Summulis, propositionem primam esse in suppositione confusa; quia significatur necessitas, cui possunt subvenire plures causæ: alteram vero esse in suppositione disjunctiva, in qua debet prædicatum de aliquo determinato verificari.

Dices 2. Hæ propositiones sunt contradictoriæ: *Est aliquis equus necessarius ad iter: Non est aliquis equus necessarius ad iter*: & tamen nulla earum debet esse determinate vera: ergo. prob. ant. ideo ex contradictoriis debet una esse determinate vera; quia alicujus ex ipsis objectum debet dari a parte rei, & nihil potest a parte rei dari indeterminate: sed nullius propositionis, suppositionem confusam habentis, objectum debet dari a parte rei: ergo. Idem argumentum fit de propositionibus conditionatis, quarum objectum etiam non debet dari a parte rei. Antequam respondeam, noto, has duas propositiones non esse contradictorias, nisi prædicatum *necessarius* in utraque sumatur in eodem sensu, ita, ut in utraque subintelligatur particula *indeterminate*, vel in utraque particula *determinate*; alias enim non haberent idem prædicatum; nam tam ille versiculus: *Pra contradic: post contra: pra postque subalter*: de quo supra *num.* 105. quam Aristoteles citatus supra *num.* 100. dum dicit, contradici propositioni per præpositam particulam *non*, supponit, dari idem in utraque propositione prædicatum; hoc enim est essentiale propositionibus contradictoriis.

Resp. jam neg. ant. ad prob. neg. maj. Non ideo una ex contradictoriis debet esse determinate vera; quia alicujus objectum debet dari a parte rei, & consequenter determinate; nam etiam ex contradictoriis de objecto, non absolute existente, sed tantum possibili, aut tantum conditionate existente, debet una esse determinate vera: ex. gr. ex his: *Alter mundus est possibilis: Alter mundus non est possibilis*: prior est determinate vera, etsi ejus objectum

ctum a parte rei non existat, nec extiturum sit : & idem dicendum est de propositionibus contradictoriis conditionatis, vel suppositionem confusam habentibus.

Sed ideo una ex duabus contradictoriis est determinate vera ; quia, licet non debeat dari a parte rei objectum, quod tantum conditionate, vel confuse, aut disjunctim affirmatur, tamen debet dari a parte rei veritas alicujus propositionis, denominative sumpta ; quia hæc absolute disjunctive affirmatur, dum reflexe dicitur : *Aliqua ex contradictoriis est vera :* & non potest a parte rei dari veritas indeterminate. Addo, objectas propositiones æquivalere istis : *Datur necessitas equi ad iter : Non datur necessitas equi ad iter :* quarum objectum est necessitas, vel non necessitas, ex quibus una determinate existit, quamvis nullum equum determinate afficiat.

887. Dices 3. Juxta hunc modum argumentandi una propositio esset necessario vera : hoc est falsum : ergo. prob. maj. quod futurum, vel etiam verum est ex vi oppositionis contradictoriæ, (quæ est causa necessaria) est necessario futurum, vel verum : sed una propositio esset vera ex vi oppositionis contradictoriæ : ergo esset necessario vera. Resp. neg. maj. ad prob. dist. maj. quod est futurum, vel verum, ex vi solius oppositionis contradictoriæ, est necessario futurum, vel verum. conc. maj. quod est futurum, vel verum, non ex vi solius illius oppositionis. neg. maj. & dist. sic min. neg. conseq. si enim accedat aliquid contingens, una cum illa oppositione determinans, potest futuritio, vel veritas esse contingens ; accedit autem in hoc casu determinatio contingens, seu consequens, scilicet suppositio contingens ipsius futuri, ut patebit consideranti.

888. Dices 4. Jam antecedenter ad decretum Dei datur necessitas, ut una ex duabus propositionibus contradictoriis sit vera : & etiam antecedenter ad decretum Dei non potest aliquid indeterminatum dari a parte rei : ergo juxta nos jam antecedenter ad decretum Dei una ex propositionibus contradictoriis contingentibus esset determinate vera : hoc non potest admitti : ergo. Resp. neg. conseq. Antecedenter ad decretum Dei non potest ullum ens contingens

gens existere, aut absolute futurum esse ; hinc nulla propositio de futuris ante decretum Dei est contingens, aut contingenter vera.

Si urgeas, non posse utramque, vel neutram esse veram. Resp. antecedenter ad decretum Dei veram esse propositionem negativam, non tamen contingenter, sed necessario ; quia necessarium est, e. g. ut antecedenter ad decretum Dei Antichristus non peccet ; hinc ista propositio : *Antecedenter ad decretum Dei Antichristus non peccabit contingenter :* est necessario vera ; unde non debet admitti, quod in quovis signo rationis una ex contradictoriis sit contingenter vera. Hoc tamen verum est, quod antecedenter ad decretum Dei detur necessitas, ut pro signo posteriori una ex duabus contradictoriis de futuro contingente sit determinate contingenter vera : at etiam datur necessitas, ut Deus ponat aliquod decretum, sive decernens, sive permittens existentiam objecti futuri, vel eam excludens : si tamen Deus non possit per puram omissionem liberam contingenter excludere existentiam alicujus creaturæ : quod videtur objectio hæc debere supponere, a quo tamen nos hic prorsus abstrahimus.

889. Dices 5. Ex dictis sequitur, quod determinatio ad veritatem propositionis ultimato stet in decreto Dei : sed hoc a nobis non admittitur : ergo. Resp. dist. maj. quod stet determinatio formalis. neg. maj. determinatio causalis. subdist. quoad propositiones aliquid enunciantes de effectibus causarum naturalium, aut necessariarum. om. maj. quoad enunciantes aliquid de effectibus causarum liberarum. neg. maj. & dist. sic min. neg. conseq. Potest transmitti, quod determinatio causalis, in causis naturalibus, aut necessariis, ultimato reducatur ad decretum Dei ; at non in causis liberis ; nam vel supponitur dari decretum indifferens : & hoc non trahit post se effectum, adeoque ad hunc non determinat : vel supponitur decretum connexum cum effectu : & hoc juxta nos est impedibile, atque supponit jam objective existentem, & a scientia media prævisam determinationem creaturæ, de qua re pluribus agere, non est Logici, sed Theologi.

890. Objic. 4. Quælibet propositio de futuro contin-

tingente nunc est indifferens, ut sit vera, vel falsa: ergo nulla est jam nunc determinate vera. prob. ant. si nunc non datur ablativum indifferentiæ, tunc propositio est nunc indifferens: sed nunc non datur ablativum indifferentiæ: ergo. prob. min. ablativum indifferentiæ est objectum futurum, vel ejus futuritio: sed ista nunc non datur: ergo. Resp. dist. ant. quælibet propositio est indifferens indifferentia intrinseca. conc. ant. indifferentia extrinseca. neg. ant. & conseq. ad prob. dist. maj. si non datur nunc ablativum indifferentiæ quidditative, & per statum. neg. maj. si neque datur denominative, aut per ampliationem. conc. maj. & dist. sic min. neg. conseq. ad prob. min. dist. min. iterum ut prius, & neg. conseq.

891. *Indifferentia intrinseca* propositionis stat in hoc, quod propositio sit talis naturæ, ut ipsa ex se non exigat, potius dari objectum, quam non dari: sicut murus ex sua natura non exigit esse potius albus, quam niger: & hæc indifferentia propositionis, nec potest, nec debet tolli, manente propositione; quia est huic identificata: sed potest, & debet determinari ad veritatem, vel falsitatem, sicut murus ad albedinem, vel nigredinem, aut alium colorem. *Indifferentia extrinseca* præter intrinsecam dicit insuper præcisionem ab eo, an objectum ita se habeat, prout enuntiatur, an non. Sicut autem aliud quodvis totum tollitur, ablata parte, ita etiam tollitur hæc indifferentia, ablata ea præcisione, quando scilicet objectum ita se habet, vel non ita se habet, prout enunciatur: sic in propositione: *Petrus cras peccabit*: si ea vera est, tunc ejus indifferentia intrinseca determinatur, & extrinseca tollitur per hoc, quod peccatum revera sit futurum: sive tollitur per futuritionem peccati, quæ jam datur nunc, prout explicatum est *num. 868. & num. 874.*

892. Dices 1. Non potest propositio determinari nunc per aliquid, quod non existit nunc: ergo. Resp. dist. ant. si non existat nunc, neque denominative. om. ant. si tantum non existat nunc quidditative. neg. ant. & conseq. Futuritio autem denominative accepta jam existit, ut explicatum *num. 874.* Non autem debet existere per statum futuritio quidditative sumpta; nam ipsamet propositio de futuro

turo exigit, ut non existat per statum altera ejus pars, seu objectum, e.g. peccatum cras futurum.

Dices 2. Juxta nos propositiones de futuro contingenti possent etiam certæ, & infallibiles: sed hoc non stat cum libertate: ergo. Resp. conc. maj. (nam Deus cognoscit omnia futura infallibiliter: & ex revelatione Dei possunt eadem infallibiliter, & certissime cognoscere etiam alii) neg. min. cujus falsitatem merito Logicus potest supponere: eam tamen fusius ostendemus in *Animastica*, *num.* 927. ubi locus erit declarandi compossibilitatem libertatis, & præscientiæ Dei.

ARTICULUS VI.

An aliqua Propositio Vera possit transire in Falsam.

893. Quæstio hæc non versatur circa propositionem necessario veram; nam propositio necessario, seu essentialiter vera, utique non potest mutare suam essentiam. Neque etiam versatur quæstio circa propositionem tantum quomodocumque contingenter veram, in hoc sensu, quod contingens sit, eam existere, vel non existere: qua ratione propositiones plurimæ divinæ, scientiæ mediæ, & scientiæ visionis in Deo, sunt contingenter veræ, quin tamen possint transire de veris in falsas. Sed versatur quæstio circa propositionem, cui etiam existenti contingens est, esse veram, quæque potest dari, sive objectum ita se habeat, prout illa enunciat, sive non ita se habeat.

Supponitur insuper, quod talis propositio non sit identificata cum sua duratione, aut essentialiter fluens; nam, si talis esset, cum transitus fieri non possit in eodem instanti, quo unico existit duratio, utique non posset propositio transire de vera in falsam, seu prius esse vera, & postea falsa, ut patet. Quare ponitur, quod eadem propositio duret per duo saltem instantia, in quo impossibile nihil videtur: quidquid tamen de hoc sit, quæstio procedit ex hac suppositione. Quæritur ergo, an e. g. hæc propositio: *Petrus nunc sedet*: si duret per duo instantia, in quorum primo Petrus sedeat,

deat, in altero non amplius sedeat, transeat de vera in falsam.

894. Dico. Potest talis propositio transire de vera in falsam. ita S. Thomas *1. p. qu. 14. art. 15. ad 3.* Suarez *disp. 8. Metaph. sect. 2. n. 10.* Semery *disp. 5. Log. qu. 5. art. 2.* Benedictis *l. 3. Log. qu. 3. c. 5. §. 1.* Rubius, Quiros, Mastrius, Cataneus, & plurimi alii. Prob. 1. auctoritate Aristotelis, qui *de Prædicam. tract. 2. cap. 1. de substantia* sic ait: *Eadem enim oratio vera, & falsa videtur esse, veluti, si vera sit oratio, sedere quempiam, eo surgente, ipsa eadem falsa erit. Similiter autem & de opinione; si quis enim verum putet, aliquem sedere, surgente eo, falso putabit, eandem de ipso opinionem habens.*

Nec dicas, Aristotelem hæc non ex mente sua, sed tantum per modum exempli, in quo non requiritur veritas, attulisse; nam S. Thomas, & Suarez *locis citatis* expresse ajunt, oppositum esse contra Philosophum: dein Aristoteles ibi comparat substantiam, & orationem, aitque, utramque esse susceptivam contrariorum, ita tamen, ut substantia mutetur, si transit ab uno contrario ad alterum: non autem mutetur oratio, si transit de vera in falsam; sic enim habet *ibidem: Oratio autem, & opinio ipsa quidem immobilia omnino perseverant:* ubi noto, ex voce *opinio* satis patere, Philosophum loqui etiam de oratione, seu propositione mentali.

895. Prob. conclusio etiam ratione. Propositio hæc: *Petrus sedet nunc:* in primo instanti, in quo datur sessio, est conformis objecto, adeoque vera: in secundo instanti, in quo sessio non datur, est disformis objecto, adeoque falsa: ergo hæc propositio potest transire de vera in falsam. Confir. Si propositio dicens hodie: *Petrus sedet nunc:* dum Petrus non sedet, post sibi competentem durationem transactam desineret, vel destrueretur, & cras, quando Petrus sedet, reproduceretur, omnes dicerent, quod ea propositio heri fuerit falsa, hodie autem sit vera: sed prorsus simili modo se habet propositio, durans per plura instantia continua: ergo.

896. Antequam aggrediar solutionem objectionum, noto, distinguendum esse triplex *objectum* scilicet *repræsentationis*, *suppositionis*, & *verificationis*.

Pri-

Primum, seu *objectum repræsentationis*, seu, ut etiam posset vocari, *objectum significationis*, est omne illud, quod terminus, secundum totam latitudinem suam sumptus, significat, seu repræsentat: sic termini *homo* objectum repræsentationis sunt omnes homines, possibiles, existentes, præteriti, futuri &c.

Alterum, seu *objectum suppositionis* est illud, pro quo terminus in propositione supponit: estque sæpissime restrictius, quam objectum repræsentationis; nam terminus non semper supponit secundum totam latitudinem suam pro omnibus suis significatis: sed sæpe ratione verbi de præsenti, aut de futuro, tantum quibusdam congruentis, vel etiam ratione prædicati, non omni omnino significato convenientis, vel ratione alterius adjuncti, aut circumstantis, restringitur terminus, ut tantum supponat pro aliquibus ex suis significatis, de qua re jam aliquid diximus in Summulis *num. 26.* Sic in hac propositione: *Omnis homo currit*: terminus *homo* supponit tantum pro hominibus existentibus; quia pure possibilibus, vel præteritis, seu jam mortuis, non potest convenire prædicatum *currens* in præsenti; cum significet actuale exercitium, quod non potest provenire a non actualiter existente: & illa propositio juxta omnes est vera, modo omnis homo existens currat, licet non currant homines tantum possibiles, aut jam mortui.

897. Tertium, seu *objectum verificationis* est illud, quod est verificativum propositionis (de quo *num.* 859. seu est illud, in quo propositio verificatur: & hoc sæpe est restrictum usque ad unum individuum, quando uni soli convenit prædicatum: e. g. hæc propositio: *Aliquis homo currit*: est vera, modo unicus homo currat, e. g. Petrus: & si hoc contingat, tunc solus Petrus est objectum verificationis: unde objectum verificationis differt etiam ab objecto suppositionis; nam terminus sæpe supponit pro pluribus, quam in quibus verificetur: item sæpe supponit indeterminate, quando objectum verificativum est determinatum, ut patebit considerati superius adductam propositionem: *Aliquis homo currit*: in qua omnes homines, saltem qui existunt, & possunt currere, atque per particulara *vel* enumerari, sunt obje-

ctum suppositionis: at objectum verificationis est tantum ille unus determinatus, qui actu currit (cum unico currente propositio jam sit vera) vel ad summum illi, qui actu currunt, quique non sunt omnes ad quos per particulam *vel* potest descendi.

Verum quidem est, quod objectum verificationis sæpe tam multa complectatur, quam objectum suppositionis, ut in hac propositione: *Omnis homo currit*; quia tamen hoc non semper fit, hinc jam est aliqua differentia inter hæc objecta: sicut, licet objecta verificationis, & suppositionis, aliquando tam multa complectantur, quam complectatur objectum repræsentationis, ut patet consideranti hanc propositionem: *Omnis homo est animal rationale*: quia tamen hoc non semper fit, ab omnibus dicuntur ista objecta inter se differre.

898. Jam propositio, præsertim mentalis, non potest mutare objectum repræsentationis, vel significationis; quia ipsi est essentiale, esse imaginem, vel repræsentationem objecti, seu repræsentati: at potest propositio juxta omnes mutare objectum verificationis, si diutius duret; nam e. gr. si hæc propositio: *Aliquis homo orat in templo*: duraret per duos horæ quadrantes, & in primo oraret Petrus, atque hoc abeunte oraret in secundo Paulus, tunc verificaretur in primo quadrante per Petrum, adeoque haberet hunc pro objecto verificationis: & in secundo quadrante non amplius verificaretur per Petrum, sed per Paulum, & hunc haberet pro objecto verificationis.

899. Pariter potest propositio mutare objectum suppositionis: sive terminus, qui modo in propositione supponit pro istis suis significatis, potest, si propositio diutius duret, postea supponere pro aliis: nam etiam suppositio talis, aut talis, non est essentialis termino; cum sit hujus usus, qui usus juxta intentionem utentis potest esse amplior, vel restrictior; unde potest fieri (ut ratione certi prædicati, vel verbi, pro certo tempore, præsenti, vel futuro adhibiti, vel alterius circumstantiæ, terminus in propositione diutius durante non amplius pro eodem supponat in posteriore tempore, pro quo supponebat in priore.

900. Ponamus e. g. quod quis sub ipsam mortem defuncti Serenissimi Electoris Maximiliani, in sylva quadam existens, fecisset hanc propositionem: *Hæc venatio est reservata Electori*: & propositio ista durasset usque post Serenissimi Maximiliani mortem, tunc terminus *Electori* ante mortem supposuisset pro Serenissimo Maximiliano, post mortem vero pro Serenissimo Carolo Alberto; nam venatio non est reservata mortuo, sed vivo. Idem esset, si quis sub idem tempus fecisset hanc propositionem: *Hoc palatium est Electoris*: ut patebit expendenti: certe talis propositio mentalis conveniret quoad suppositionem cum simili propositione scripta, e. g. in tabula intra sylvam, vel in fronte palatii, in qua facile intelligitur, & admittitur mutatio objecti suppositionis.

901. Quæ hucusque dicta sunt de terminis aliis in genere, eadem intelligi debent de terminis *nunc*, vel *præsens* in specie; sicut enim alii, ita & hi termini, possunt mutare objectum suppositionis, & verificationis, quamvis non possint mutare objectum repræsentationis. Objectum repræsentationis eorum sunt omnia tempora, vel instantia, quæ possunt esse præsentia, & quæ ab his terminis confuse, sive universaliter significantur: objectum verificationis istorum terminorum, seu potius propositionis eos continentis, est illud tempus, seu instans, per quod propositio determinatur ut sit vera; si enim determinatur, ut sit falsa, non habet objectum verificationis, sed falsificationis.

Objectum autem suppositionis eorum terminorum sunt tantum illa tempora, vel instantia, quæ sunt ipsis, seu propositioni, actu, & exercite præsentia; nam restringuntur hi termini ad supponendum tantum pro his instantibus: restringuntur, inquam, per additum verbum de præsenti, quod verbum juxta communem acceptionem tunc semper sumitur pro statu, quando terminis *nunc*, vel *præsens* conjungitur. vide *nu.* 896. Et quia propositioni duranti per plura instantia, non sunt semper præsentia eadem instantia, sed aliud prius, aliud posterius, & quod prius fuit præsens, modo jam est præteritum, fit, ut in primo instanti propositionis illi termini *nunc*, aut *præsens*, supponant pro alio instanti, quam supponant in secundo instanti propositionis, sicque mutent objectum suppositionis.

902. Nec dicas, non posse tempus præsens confuse a termino e. g. *nunc* significari: neque posse tempus ab eo termino attingi, tantum sub ratione universali præsentis, quin attingatur sub ratione hujus, vel illius determinati temporis præsentis; hoc enim gratis dicitur, & de Benedictis, *l.* 3. *Log. q.* 3. *c.* 5. ait, oppositum sibi esse certum: & sane, cum omnes homines, omniaque animalia &c. possint uno conceptu singulis applicabili confundi, cur non possint similiter omnia tempora præsentia confundi uno conceptu, singulis temporibus applicabili?

Sicut enim præscindimus hominem ut sic a Petro, & Paulo; quia quandoque sumus certi, quod aliquid sit homo, non autem sumus certi, quisnam determinate sit: ita etiam possumus præscindere tempus præsens ut sic ab hoc, vel illo determinate præsente; quia etiam quandoque certi sumus de tempore præsenti, non autem sumus certi de hoc, vel illo: e.g. excitatus e somno scit, aliquam horam esse præsentem: quænam autem sit, an prima, secunda, vel alia, omnino nescit. His prænotatis,

ARTICULUS VII.

Solvuntur Objectiones.

903. OB. 1. Propositio: *Petrus nunc sedet*: non tantum affirmat sessionem, sed etiam consignificat tempus: ergo non potest transire de vera in falsam. ant. non negatur. prob. conseq. vel ista propositio affirmat sessionem pro omnibus instantibus, quibus ipsa existit: vel eam affirmat tantum pro aliquo instanti, quo ipsa etiam existit: quidquid ex his dicatur, non potest propositio transire de vera in falsam: ergo. prob. mi. si dicatur primum, tunc, si Petrus in secundo instanti non sedeat, propositio semper est falsa, ut patet: si dicatur secundum, tunc, modo Petrus in primo instanti sedeat, propositio semper est vera; quia jam in aliquo instanti datur sessio: ergo.

Resp. conc. ant. neg. conseq. ad prob. conc. ma. neg. mi. ad hujus probat. neg. 2. p. antec. nam imprimis in secundo instanti non est amplius saltem pro statu verum, quod sessio in aliquo instanti existat, sed

sed quod extiterit dein propositio affirmat sessionem pro aliquo instanti, non qualicumque, sed pro aliquo ex actu præsentibus, pro quibus solis terminus *nunc* supponit, ut dictum *n.* 901. atqui in nullo, ex instantibus tunc actu, seu exercite præsentibus, quando propositio durat in secundo instanti, datur sessio, adeoque propositio est falsa.

904. Potest meo judicio res iterum declarari exemplo propositionis scriptæ in tabula, intra sylvam appensa: *Hæc venatio est reservata Electori*: in qua terminus *Electori* sæpius mutare potest objectum suppositionis: ponamus jam, Electorem modernum, pro quo nunc ille terminus supponit, venationem hanc feciſſe omnibus liberam, certe, si quacumque de causa maneat ea tabula, cum propositione inscripta intra sylvas suspensa, hæc propositio erit falsa; quia, licet terminus *Electori* habeat pro objecto repræsentationis omnes Electores; & licet, dum hic terminus prius pro aliis Electoribus supponebat, fuerit propositio vera, tamen, cum modo is terminus supponat pro Electore moderno, qui non amplius habet venationem reservatam, propositio juxta omnes est falsa.

Ex quo infertur, quod ad veritatem propositionis non sufficiat, si tantum quomodocumque possit enunciari de aliquo ex inferioribus totius objecti repræsentationis; alias enim propositio scripta modo allata adhuc esset vera, etiam post sublatam a moderno Electore reservationem venationis, quod nemo admittet; quare ad veritatem propositionis requiritur, ut ipsa conveniat, seu dici possit de objecto suppositionis. Hæc si applicentur nostro casui, videbitur, quod in secundo instanti sit falsa propositio: *Petrus nunc sedet*; cum terminus *nunc* in altero instanti supponat pro instantibus secundis, quorum nulli sessio coexistit. Neque propterea mutat hæc propositio objectum repræsentationis, sed tantum objectum suppositionis, ut facile patebit ex hucusque dictis rite consideratis.

905. Ob. 2. Juxta nos propositio: *Petrus nunc sedet*: haberet hunc sensum: *Nunc aliquod instans est mihi præsens, & huic coexistit sessio Petri*: sed hic sensus est inexplicabilis: ergo. prob. mi. vel istud *nunc* sumitur ampliative pro omni instanti quomodo-

cumque coexistente : vel sumitur pro statu, id est, pro instanti hic, & nunc coexistente : neutrum potest dici : ergo. prob. mi. si dicitur primum, tunc propositio semper est vera, ut ostensum. *n.* 903. si autem dicatur secundum, tunc propositio habet hunc sensum: *Nunc est aliquod nunc*: seu: *In hoc instanti est aliquod instans*: sed sic redit argumentum, & iterum quæritur, an, quando dicitur *nunc*, intelligatur tantum primum instans, vel intelligatur tantum aliquod instans, vel intelligatur omne instans quomodocumque coexistens, & sic in infinitum: ergo.

906. Resp. dist. ma. illa propositio haberet hunc sensum signate. neg. ma. exercite, vel æquivalenter. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. neg. mi. & dico, illud *nunc* sumi pro statu. ad prob. neg. ma. & explico rem. Propositio, quæ affirmat pro statu aliquid a tempore distinctum, dicitur consignificare tempus, non ideo, quasi signate affirmaret, hoc tempus, seu instans dari in alio instanti; sic enim iretur in infinitum; neque etiam ideo, quasi reflexe affirmaret, hoc instans dari in seipso; sic enim nugaretur propositio: sed ideo, quia non abstrahit, an detur res nunc, an alio tempore, & significat, rem nunc exercite existere, & exercite esse præsentem: quod ulterius explicari, nec potest, nec debet; quia, ut recte ait de Benedictis *l.* 3. *Log. q.* 3. *c.* 5. *§.* 2. hic conceptus est primus, irresolubilis in clariorem, cuique per se experimentaliter notus, & in quo ultimo sisti debet: sane etiam adversarii in eo millies sistunt, dum de rebus per statum loquuntur.

907. Dices 1. Adversarii, quando loquuntur de rebus per statum, affirmant tempus præsens, non confuse, sed individualiter determinatum: seu affirmant instans in individuo: & ipsorum cognitio habet pro objecto repræsentationis tantum instans unum determinatum in individuo: ergo non debent sistere in conceptu modo dicto. Resp. neg. ant. quomodo enim potest individuum determinatum affirmari, quod præ aliis non cognoscitur, nec discernitur? Sane de nocte evigilans ordinarie non potest discernere instans, ut dictum *nu.* 902. imo sæpe quis neque potest discernere diem, dum non recordatur, qualis sit, an dies solis, vel lunæ: quomodo ergo

ergo discernet instans in individuo? quare propositio, etiam mentalis, est tantum confusa imago, seu repræsentatio instantis, & tantum cognoscitur tale instans, sub ratione confusa exercite præsentis, aut coexistentis, uti dictum *n.* 906.

908. Dices 2. Hi termini *nunc*, *præsens*, debent repræsentare objectum præsens ut distinctum a futuro: sed juxta nos id non fieret: ergo. Resp. dist. ma. debent repræsentare objectum ut formaliter distinctum a futuro. conc. ma. ut realiter distinctum. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Res præsens, & futura, aut præterita, non distinguuntur realiter inter se; quia essentia, & existentia, item res nunc existens, & postea existens, non distinguuntur inter se realiter, ut probabimus in *Physica n.* 310. quin etiam instans temporis nunc futurum, & postea præsens, est idem instans.

909. Unde termini illi tantum debent significare, seu repræsentare objectum, vel tempus præsens, ut formaliter distinctum a futuro: seu debent præscindere ab ejus futuritione, & tantum repræsentare confuse ejus præsentiam pro aliquo tempore indeterminate: sicut scilicet diximus *n.* 902. posse tempus præsens confuse cognosci. Sic etiam in propositione scripta supra adducta: *Hæc venatio est reservata Electori*: terminus *Electori* significat omnem Electorem, quocumque tempore existentem. Hæc intelligenda sunt de repræsentatione, vel significatione terminorum, quæ in propositione, vel terminis, manet invariata: at aliter loquendum est de suppositione terminorum, quæ ex dictis *n.* 899. variari potest; nam termini *nunc*, vel *præsens*, supponunt tantum pro instantibus, actu, & exercite præsentibus, ac propositioni coexistentibus, prout explicatum est *n.* 901.

910. Ob. 3. Juxta nos eadem propositio posset simul esse vera, & falsa: hoc aperte implicat: ergo. prob. ma. si potest particula *nunc* significare confuse omnia præsentia quoad tempus, tunc etiam potest particula *hic* significare confuse omnia præsentia quoad locum: ergo potest eadem propositio simul esse vera, & falsa. prob. conseq. ponatur hæc propositio: *Petrus sedet hic*: esse replicata, & simul existere Augustæ, & Ingolstadii, Petrus autem sedeat Augustæ, non autem

tem Ingolstadii: in hoc casu propositio erit vera Augustæ, & falsa Ingolstadii, idque simul: ergo.

Resp. neg. ma. ad prob. neg. conseq. ad hujus prob. concesso casu neg. subs. In hoc casu particula *hic* supponit pro omnibus locis, tunc propositioni præsentibus; & quia uterque locus, tam Augustanus, quam Ingolstadiensis est præsens, supponit pro utroque: ergo vel supponit distributive, vel disjunctive: hoc est, vel sensus est: *Petrus in aliquo loco mihi præsente sedet*: vel sensus est: *Petrus in omni loco mihi præsente sedet*: si asseritur sensus prior, propositio est in utroque loco vera: si vero asseritur sensus posterior, propositio est in utroque loco falsa. Secundum sensum adstruit de Benedictis *l. 3. Log. q. 3. c. 5. §. 2.* & hinc ait, propositionem esse ubique falsam. Aliud autem est de particulâ *nunc*, quæ non potest in primo instanti, jam supponere etiam pro instantibus secundis; quia ista tunc necdum sunt propositioni præsentia. vide dicta *num.* 901.

911. Ob. 4. Ponamus, quod Deus revelet Petro hanc propositionem, vel veritatem: *Paulus nunc moritur*: & Petrus assentiens huic revelationi in eodem instanti eliciat actum fidei, quo etiam dicat: *Paulus nunc moritur*: quique duret adhuc sequenti instanti: in hoc casu, vi nostrarum rationum, deberet actus fidei transire de vero in falsum: hoc autem est impossibile actui supernaturali, & essentialiter vero: ergo nostræ rationes nimium probant, adeoque nihil.

Resp. Talis actus certo non posset conservari, si deberet fieri falsus: sed om. casu neg. quod juxta nos talis actus deberet transire de vero in falsum; nam talis actus non significat tempus confuse, aut pro eo confuse sumpto supponit (ex qua tamen significatione, vel suppositione, præcipue sequitur propositionis supra sæpe adductæ: *Petrus nunc sedet*: transitus de vera in falsam) Deus enim non revelat confuse tempus, sicut neque confuse illud cognoscit; unde etiam actus fidei, qui proportionatur revelationi, consignificat tempus, non confuse, sed determinatum ejus instans: sive supponit pro tempore, aut instanti, determinate sumpto.

Nec opponas, hanc suppositionem vel consignificationem, aut respectum actus fidei ad determinatum

tum instans, non cognosci ab eliciente actum fidei; nam etiam alia plura prædicata actus illius supernaturalis ab eodem non cognoscuntur. Itaque in tali actu fidei objectum suppositionis particulæ *nunc* est tantum unicum determinatum instans, & hoc objectum non mutatur: atque sensus superioris revelationis, & ei correspondentis actus fidei est: *Huic instanti A coexistit mors Pauli*: qui sensus semper manet verus.

912. Dices 1. Quando jam datur instans secundum B, non amplius existit prius instans A, neque mors Pauli: ergo talis actus fidei tamen non esset amplius verus. Resp. dist. ant. non existit amplius instans A, vel mors Pauli per statum. conc. ant. non existit amplius per ampliationem. neg. ant. & conseq. nam sufficit ad propositionis veritatem simpliciter dictam, si existat ejus objectum per ampliationem; alias deberemus admittere, complures propositiones Christi Domini, vel Sacræ Scripturæ, esse simpliciter falsas, quod esset blasphemum. Unde illa propositio: *Paulus nunc moritur*: prius erat vera per statum, modo autem est vera per ampliationem.

913. Hac eadem ratione adhuc veræ dicendæ sunt plures prophetiæ, contentæ in sacris Bibliis, in quibus contentæ propositiones sunt utique infallibilis veritatis: sic e. g. prophetia Gabrielis Archangeli ad Beatissimam Virginem: *Concipies in utero, & paries filium. Luc. 1. v. 31.* non significavit confuse tempus: sed significavit, & respexit determinatum instans existentiæ B. Virginis, & determinatum instans existentiæ nativitatis Christi: ex quibus illud est essentialiter prius, & hoc essentialiter posterius, & sic de aliis.

Addo hic, duas has propositiones esse simul veras: *Concipiet B. Virgo, & pariet filium*: &: *Concepit B. Virgo, & peperit filium*: prior vera est per ampliationem: posterior per aliam ampliationem; nam etiam tempus præteritum est per ampliationem, non per statum. Et proportionaliter loquendum est de his duabus propositionibus, si essent revelatæ: *Paulus nunc moritur: Paulus nunc mortuus est*: quamvis particula *nunc* aliud instans significaret in secunda propositione, quam in prima, ut patebit consideranti.

914. Dices 2. Hac ratione etiam poterit propositio

sæpe jam adducta : *Petrus nunc sedet :* in secundo instanti esse vera per ampliationem : ergo non transit in falsam . Resp. neg. ant. nam in ea propositione, ut probatum *n.* 901. & 902. particula *nunc* significat tempus præsens confuse, & ita, ut in diversis instantibus mutetur objectum suppositionis; hinc in primo instanti particula *nunc* supponit pro instantibus prioris ordinis, seu primo instanti propositioni coexistentibus: in secundo vero instanti supponit particula *nunc* pro instantibus posterioris ordinis, seu instanti secundo propositionis coexistentibus : cum autem sessio nulli ex his unquam coextiterit, vel coexistat, vel coextitura sit, neque per ampliationem est verum, quod Petrus in secundo instanti sedeat.

915. Aliud est, si maneat idem objectum suppositionis, ut in propositione revelata : *Paulus nunc moritur ;* nam tunc mors jam aliquando objecto suppositionis, seu instanti determinate consignificato, aut affirmato, coextitit, atque adeo cum veritate in sensu ampliativo dici potest, quod ei coexistat. Si velles dicere, etiam propositionem : *Petrus nunc sedet :* non mutare objectum suppositionis, responderetur, contrarium jam esse probatum *a n.* 907. Dein, etsi mutatio ista non fieret in omni tali propositione, posset ea saltem fieri in pluribus : adeoque conclusio nostra, quæ tantum asserit possibilitatem transitus propositionis veræ in falsam, maneret vera .

916. Hactenus dicta non tantum probant, propositionem de præsenti posse de vera transire in falsam, sed etiam posse de falsa transire in veram, si scilicet in casu posito *n.* 803. Petrus in primo instanti non sedeat, attamen sedeat in secundo, ut consideranti patebit. Non autem eodem modo possunt propositiones de præterito, aut futuro, indefinite sumptæ, seu abstrahentes ab omni tempore determinato, transire de veris in falsas, aut de falsis in veras ; nam propositiones de præterito affirmativæ possunt quidem ex falsis fieri veræ, non tamen ex veris falsæ ; nam, si quis, antequam Petrus peccaverit, dicat : *Petrus peccavit :* propositio est falsa, at, si Petrus postea peccet, & propositio adhuc post peccatum duret, fiet vera. Si autem semel est vera, non potest amplius fieri falsa; quia semper erit verum, Petrum peccasse.

917. E

917. E contra propositiones affirmativæ de futuro, possunt quidem ex veris fieri falsæ, non tamen ex falsis veræ ; nam, si quis ante peccatum Petri dicat : *Petrus peccabit :* hæc propositio, ut ponitur, tunc vera, fiet falsa, postquam peccatum commissum fuerit; nam tunc non amplius potest cum veritate dici, Petrum esse peccaturum, sed debet dici, eum peccasse. At, si talis propositio semel est falsa, nunquam poterit fieri vera; quia, ut semel sit falsa, debet nunquam extiturum esse peccatum (si enim aliquando, quandocumque tandem, peccatum extiturum sit, propositio jam prius, imo semper fuit vera) at, si nunquam extiturum est peccatum, propositio affirmans id extiturum, semper est, & manet falsa.

918. Contrarium contingit in propositionibus negativis ; nam propositio negativa de præterito, e. g. *Petrus non peccavit :* potest ex vera fieri falsa : non tamen ex falsa fieri vera ; nam, etsi prius fuerit verum, Petrum non peccasse, si tamen postea peccet, fiet id falsum. At, ut falsa sit ea propositio, necesse est, Petrum aliquando peccasse : quod si autem semel peccavit, nunquam amplius cum veritate dici poterit : *Petrus non peccavit :* adeoque hæc propositio nunquam poterit ex falsa fieri vera.

Vicissim propositio negativa de futuro, e. g. *Petrus non peccabit :* potest ex falsa fieri vera ; nam antecedenter ad peccatum Petri, quod tamen reipsa futurum est, propositio est falsa; at post peccatum patratum, potest propositio fieri vera, si scilicet Petrus non amplius peccaturus sit. At non potest talis propositio ex vera fieri falsa; nam ad hoc, ut semel sit vera, necesse est, ut Petrus nullo unquam tempore peccet : quo supposito propositio nunquam potest falsificari, ut est per se clarum.

919. Aliter tamen discurrendum circa propositiones de præterito, aut futuro, non indefinite sumptas, sed consignificantes, aut respicientes determinatum tempus, e. g. *hesternum*, vel *crastinum*, confuse tamen cognitum : e. g. circa has propositiones : *Petrus heri peccavit ; Petrus cras peccabit ;* nam, cum particulæ *heri*, *cras* confuse cognitæ æquivaleant quoad modum supponendi particulæ *nunc*, & possint supponere pro diversis diebus (nam aliter supponit particula *heri*,

si eam dicam hodie, seu die Mercurii; supponit enim pro die Martis: & aliter supponit, si eam dicam cras, seu die Jovis; supponit enim pro die Mercurii: & eadem ratio est de particula *cras*) hinc fit, ut tales propositiones possint transire de veris in falsas, & vicissim, sicut propositiones de præsenti, ut patebit hucusque dicta talibus propositionibus applicanti: nec opus est ultra his detineri; cum præsertim ad veritatem assertionis nostræ sufficiat, aliquam propositionem veram posse transire in falsam. videri poterit de Benedictis *l. 3. Log. q. 3. c. 5. §. 3.*

DISPUTATIO VI.

De Syllogismo.

520. QUæstiones practicas de syllogismo sufficienter in Summulis examinavimus, ubi etiam regulas pro syllogismi constructione tradidimus, & demonstravimus. Supersunt aliquot controversiæ speculativæ, tum de syllogismo in genere, tum de demonstrativo, ac topico in specie, sive etiam de scientia, & opinione, pro complemento Logicæ, adhuc pertractandæ, quas hac ultima disputatione succincte, ita tamen, ut, dum breves esse laboramus, obscuri non fiamus, pertractabimus: atque duabus quæstionibus, quarum prior de syllogismo in genere, altera de eodem in specie aget, totam hanc materiam complectemur.

QUÆSTIO PRIMA.

De Syllogismo in Genere.

ARTICULUS I.

An ad inferendam Conclusionem Syllogismi necessario prærequiratur Judicium de Bonitate Consequentiæ Formalis, vel Objectivæ.

521. *Bonitas consequentiæ formalis* est illatio ex recta dispositione propositionum, & terminorum in syllogismo, ita, ut posita simili dispositione rite concludatur in omni materia: sive est conformitas syllogismi cum regulis Logicæ. At *Bonitas consequentiæ objectivæ* est connexio, quam habet objectum præmissarum, seu identitas duorum in tertio, cum objecto conclusionis, seu cum identitate duorum inter se. Quæritur jam, an ante conclusionem debeat semper explicite ferri judicium de eo, quod syllogismus, si eliciatur, sit conformis regulis Logicæ: vel de eo, quod detur connexio inter objectum præmissarum, & conclusionis: vel, an saltem ista debeant ante conclusionem apprehendi, & postea de iis judicium per ipsam conclusionem ferri, nam aliqui volunt, judicium de bonitate consequentiæ objectivæ esse identificatum cum conclusione: quibus tamen se opponunt de Benedictis *l. 4. Log. q. 1. c. 4.* & alii: nec sine ratione.

Sane hoc judicium dicit aliquid aliud, quam per se præcise dicat conclusio; nam imprimis in syllogismo probabili conclusio tantum dicit veritatem probabilem: at hoc judicium, formaliter tale, enunciat veritatem evidentem. Dein conclusio illata ex præmissis absolutis est absoluta: hoc autem judicium est tantum conditionatum; nam facit hunc fere sensum: *Si datur objectum harum præmissarum, datur etiam objectum hujus conclusionis.*

Nec dicas, hoc judicium esse absolutum, & facere hunc sensum: *Veritas objectiva conclusionis sequitur ex veritate objectiva præmissarum:* vel: *Veritas objectiva præmissarum est metaphysice connexa cum veritate objectiva conclusionis;* nam utraque hæc propositio reipsa æquivalet tantum propositioni conditionatæ; cum enim evidens sit, omnino absoluta esse non potest; alias enim, quando tale judicium versaretur circa conclusionem probabilem, evidens esse non posset, ut patet consideranti.

Quin etiam, si utraque hæc propositio, vel veritas, esset absoluta, tamen aliquid aliud affirmaret, quam conclusio; nam aliud est dicere e. g. *Ex his præmissis objectivis sequitur, Petrum esse rationalem:* & aliud est dicere: *Petrus est rationalis:* ut recte objicit de Benedictis, & videtur per se clarum. Interim non nego, quod possit idem realiter actus hanc veritatem, seu bonitatem consequentiæ objectivæ, aut objectum judicii de illa consequentia, affirmare, & simul etiam affirmare alteram veritatem, seu objectum conclusionis,

si eam dicam hodie, seu die Mercurii; supponit enim pro die Martis: & aliter supponit, si eam dicam cras, seu die Jovis; supponit enim pro die Mercurii: & eadem ratio est de particula *cras*) hinc fit, ut tales propositiones possint transire de veris in falsas, & vicissim, sicut propositiones de præsenti, ut patebit hucusque dicta talibus propositionibus applicanti: nec opus est ultra his detineri; cum præsertim ad veritatem assertionis nostræ sufficiat, aliquam propositionem veram posse transire in falsam. videri poterit de Benedictis *l. 3. Log. q. 3. c. 5. §. 3.*

DISPUTATIO VI.

De Syllogismo.

520. QUæstiones practicas de syllogismo sufficienter in Summulis examinavimus, ubi etiam regulas pro syllogismi constructione tradidimus, & demonstravimus. Supersunt aliquot controversiæ speculativæ, tum de syllogismo in genere, tum de demonstrativo, ac topico in specie, sive etiam de scientia, & opinione, pro complemento Logicæ, adhuc pertractandæ, quas hac ultima disputatione succincte, ita tamen, ut, dum breves esse laboramus, obscuri non fiamus, pertractabimus: atque duabus quæstionibus, quarum prior de syllogismo in genere, altera de eodem in specie aget, totam hanc materiam complectemur.

QUÆSTIO PRIMA.

De Syllogismo in Genere.

ARTICULUS I.

An ad inferendam Conclusionem Syllogismi necessario prærequiratur Judicium de Bonitate Consequentiæ Formalis, vel Objectivæ.

521. *Bonitas consequentiæ formalis* est illatio ex recta dispositione propositionum, & terminorum in syllogismo, ita, ut posita simili dispositione rite concludatur in omni materia: sive est conformitas syllogismi cum regulis Logicæ. At *Bonitas consequentiæ objectivæ* est connexio, quam habet objectum præmissarum, seu identitas duorum in tertio, cum objecto conclusionis, seu cum identitate duorum inter se. Quæritur jam, an ante conclusionem debeat semper explicite ferri judicium de eo, quod syllogismus, si eliciatur, sit conformis regulis Logicæ: vel de eo, quod detur connexio inter objectum præmissarum, & conclusionis: vel, an saltem ista debeant ante conclusionem apprehendi, & postea de iis judicium per ipsam conclusionem ferri, nam aliqui volunt, judicium de bonitate consequentiæ objectivæ esse identificatum cum conclusione: quibus tamen se opponunt de Benedictis *l. 4. Log. q. 1. c. 4.* & alii: nec sine ratione.

Sane hoc judicium dicit aliquid aliud, quam per se præcise dicat conclusio; nam imprimis in syllogismo probabili conclusio tantum dicit veritatem probabilem: at hoc judicium, formaliter tale, enunciat veritatem evidentem. Dein conclusio illata ex præmissis absolutis est absoluta: hoc autem judicium est tantum conditionatum; nam facit hunc fere sensum: *Si datur objectum harum præmissarum, datur etiam objectum hujus conclusionis.*

Nec dicas, hoc judicium esse absolutum, & facere hunc sensum: *Veritas objectiva conclusionis sequitur ex veritate objectiva præmissarum:* vel: *Veritas objectiva præmissarum est metaphysice connexa cum veritate objectiva conclusionis;* nam utraque hæc propositio reipsa æquivalet tantum propositioni conditionatæ; cum enim evidens sit, omnino absoluta esse non potest; alias enim, quando tale judicium versaretur circa conclusionem probabilem, evidens esse non posset, ut patet consideranti.

Quin etiam, si utraque hæc propositio, vel veritas, esset absoluta, tamen aliquid aliud affirmaret, quam conclusio; nam aliud est dicere e. g. *Ex his præmissis objectivis sequitur, Petrum esse rationalem:* & aliud est dicere: *Petrus est rationalis:* ut recte objicit de Benedictis, & videtur per se clarum. Interim non nego, quod possit idem realiter actus hanc veritatem, seu bonitatem consequentiæ objectivæ, aut objectum judicii de illa consequentia, affirmare, & simul etiam affirmare alteram veritatem, seu objectum conclusionis,

nis, præsertim, si scientia, & opinio possint simul stare in eodem actu: quod multi concedunt, si versentur circa idem objectum, & multo magis admitti potest circa diversa objecta. At merito controvertitur, an hoc in omni syllogismo semper necessario fiat, sive, an semper aliquod judicium de bonitate consequentiæ objectivæ, sive distinctum, sive indistinctum a conclusione, admitti debeat: & multi hoc negant: multo plures autem negant, admitti debere judicium de bonitate consequentiæ formalis.

922. Dico 1. Non prærequiritur per se necessario ad conclusionem inferendam judicium de bonitate consequentiæ formalis, ita auctores communiter. Dixi autem *necessario*; quia non nego, posse aliquando, si quis libere velit, tale judicium præmittere. Dixi etiam *per se*; nam forte per accidens in syllogismis indirectis, in quibus datur dispositio præmissarum satis obscura, necessaria est aliqua præcedens reflexio in bonitatem consequentiæ, vel formalis, vel objectivæ, de qua posteriore hæc observatio æque, vel magis intelligenda est.

Prob. autem conclusio. Ex dictis *a n.* 258. Logica non est necessaria physice, aut metaphysice ad alias scientias: ergo potest sine scientia regularum Logicæ fieri syllogismus: ergo multo magis sine judicio reflexo de conformitate syllogismi cum illis regulis. Quamvis autem *n.* 260. dictum sit, Logicam esse moraliter necessariam ad scientias certas totaliter acquirendas, non tamen est ita necessaria ad quoslibet actus. Confirm. Videtur ab experientia haberi, quod plurimi fiant syllogismi boni sine explicita reflexione ad regulas Logicæ, adeoque sine judicio de conformitate actus cum illis: ergo tale judicium non potest esse per se necessarium ad inferendam conclusionem.

923. Dico 2. Neque prærequiritur per se necessario ad conclusionem inferendam judicium de bonitate consequentiæ objectivæ. ita Hurtadus *disp. 7. de Anima sec.* 5. de Benedictis *l.* 4. *Log. q.* 1. *c.* 4. Arriaga *disp.* 15. *Log. sec.* 3. *num.* 20. & alii plures. Prob. conclusio 1. negative. Gratis exigitur tale judicium formale, & explicitum de connexione identitatis in tertio cum identitate inter se: & gratis multiplicantur actus: ergo. Addit quidem de Benedictis *loc. cit.* gratis

gratis etiam multiplicari præmissas; quia, ut ait, hoc judicium juxta adversarios esset tertia præmissa: sed fors reponent adversarii, se ante conclusionem tantum exigere apprehensiones evidentes, ipsum autem judicium identificare cum conclusione: de quo tamen vide dicta *n.* 921.

924. Prob. conclusio 2. positive a pari. Modo voluntati proponatur bonum, quod realiter est amabile, potest illa statim illud amare, quin prius detur cognitio, positive repræsentans, vel affirmans, bonum esse amabile, aut connexum cum amabilitate, vel esse amandum: ergo etiam, modo intellectui proponatur per præmissas identitas in tertio, quæ realiter est identitas inter se, potest hic statim illam inferre, vel affirmare, quin prius detur cognitio repræsentans, vel affirmans, identitatem in tertio esse identificatam, vel connexam cum identitate inter se.

Confirm. Modo ægroto, cupido sanitatis, offeratur medicina a Medico præscripta, statim eam sumit, quin prius multum cogitet, quod medicina præscripta sit utilis ad sanitatem; quia scilicet habitualiter jam novit, seu supponit, talem medicinam esse utilem, etsi nunc de hoc actualiter non cogitet: ergo etiam intellectus, modo ipsi proponatur identitas in tertio, statim affirmat identitatem inter se, quin prius multum cogitet, quod ex duæ identitates sint inter se connexæ, vel identificatæ; quia etiam illud jam habitualiter novit, licet de eo actualiter non cogitet. Certe, si adversarii velint ubique adstruere similes novas cogitiones, aut quasi reflexiones, imponent sibi magnum onus probandi.

925. Dico 3. Neque prærequiritur per se necessario ad conclusionem inferendam prævia apprehensio evidens de bonitate consequentiæ objectivæ. ita auctores citati *n.* 923. Prob. Non requiritur judicium de bonitate consequentiæ objectivæ, ut hucusque probatum est: ergo neque requiritur apprehensio, ut patet consideranti; unde etiam in probatione usus fuit termino *cognitio*, qui indifferens est ad apprehensionem, seu puram repræsentationem, & ad judicium, seu affirmationem: ut scilicet ex eadem probatione etiam inferretur, apprehensionem quoque non esse necessariam. Quin etiam ex nostra probatione (ut facile patebit.

con-

consideranti) ulterius sequitur, quod neque debeat dari judicium de bonitate consequentiæ, identificatum cum conclusione, ut recte asserit de Benedictis *l. 4. Log. q. 1. c. 4.* Plura de hoc dicentur articulo sequenti, ubi de reflexione conclusionis in præmissas.

926. Ob. 1. contra 2. concluſ. (nam contra primam vix aliquid solet objici) Aristoteles 1. *Post.* 2. ait, quod scientia sit cognitio rei per causam, & quod illius causa sit, & quod aliter habere se non possit (verba ipsa vide *num.* 227.) ergo ad scientiam, id est, conclusionem scientificam, requiritur etiam cognitio talis, vi cujus cognoscatur, quod præmissæ objectivæ sint causa conclusionis objectivæ: sed hæc est judicium de bonitate consequentiæ objectivæ: ergo. Resp. neg. conseq. Aristoteles ibi loquitur de demonstratione a priori, sive propter quid, in qua effectus demonstratur per causam, qualis ex. grat. est ista: *Ubi datur ignis, datur calor: sed hic datur ignis: ergo datur calor:* & tantum vult, quod in præmissis debeat, ita certo cognosci causa, ut aliter res se habere non possit: & quidem debeat cognosci tanquam causa effectus: sicut in modo allato syllogismo in majore cognoscitur certo ignis tanquam causa caloris, absque ulla cognitione formaliter repræsentante bonitatem consequentiæ objectivæ.

927. Ob. 2. Ideo intellectus determinatur ad inferendam conclusionem, quia videt, eam inferri, seu sequi ex præmissis: ergo formaliter cognoscit eam illationem, seu connexionem identitatis in tertio cum identitate inter se: ergo habet judicium de bonitate consequentiæ. Resp. Imprimis hoc argumentum, si quid probaret, videtur probare, quod deberet dari judicium de bonitate consequentiæ formalis, quod hi adversarii non videntur velle: sed hoc omisso. Resp. 2. dist. ant. quia formaliter, aut expresse, videt eam conclusionem sequi, vel inferri. neg. ant. quia id videt æquivalenter, vel suo modo realiter, quatenus videt identitatem in tertio. conc. ant. & neg. conseq.

Determinatur nempe intellectus per ipsas præmissas, repræsentantes formaliter identitatem in tertio, quæ realiter est identitas inter se, determinatur, inquam,

quam, sine cognitione formaliter repræsentante connexionem istarum identitatum: sicut determinatur voluntas ad amandum bonum sine cognitione formaliter repræsentante connexionem boni cum amabilitate: vel sicut determinatur ægrotus ad sumendam medicinam, a medico præscriptam, sine cognitione eam formaliter repræsentante ut utilem. vide *num.* 924.

928. Objic. 3. Hæc connexio objectiva est motivum conclusionis: ergo debet prævie ad conclusionem cognosci: ergo debet saltem dari ejus apprehensio evidens: sed hæc trahit post se judicium: ergo debet dari judicium de bonitate consequentiæ, vel distinctum a conclusione, vel saltem cum ista identificatum. Resp. dist. ant. Hæc connexio, realiter sumpta sub conceptu identitatis in tertio, est motivum conclusionis. conc. ant. formaliter sumpta sub conceptu connexionis. neg. ant. & dist. 1. conseq. ergo debet cognosci prævie ad conclusionem realiter sumpta. conc. 2. conseq. formaliter sumpta. neg. 1. conseq. dein etiam neg. 2. conseq. intelligendo eam de apprehensione connexionis formaliter talis: & conc. subsumpt. iterum neg. ultim. conseq. Cognoscitur autem hæc connexio realiter sumpta apprehensive antecedenter ad præmissas: judicative autem per ipsas præmissas; unde non debet unquam dari judicium de bonitate consequentiæ, seu de connexione objectiva formaliter sumpta, sed tantum de ea realiter sumpta: hoc est, debent dari ipsæ præmissæ.

929. Repræsentatur igitur per præmissas identitas in tertio, seu, quod extremum majoris, & extremum minoris, identificentur cum medio termino: quæ identitas in tertio realiter est etiam identitas inter se, seu connexio metaphysica objectiva cum objecto conclusionis, in qua connexione metaphysica objectiva stat a parte rei bonitas consequentiæ objectivæ; unde etiam hæc per præmissas repræsentatur quidem realiter, non tamen formaliter, seu sub ratione formali consequentiæ objectivæ; hoc enim, ut videmur probasse, non est necessarium ad hoc, ut intellectus determinetur ad inferendam conclusionem.

930. Ad-

930. Adverto tamen hic cum de Benedictis *l. 4. Log. qu. 1. cap. 3. §. 2.* intellectum, dum elicit syllogismum, debere agnoscere, quod medius terminus, positus in minore, sit idem cum medio termino, qui fuit positus in majore; alias non cognosceret identitatem in tertio, quam tamen debet agnoscere, utpote adæquatum, & adæquate requisitum motivum ad conclusionem: sed tantum eliceret majorem, & minorem, tanquam propositiones disparatas, quales tamen neutiquam sunt.

Cognoscit autem istud intellectus exercite per hoc, quod scienter utatur bis eodem medio termino: & hoc forte innuit particula syncategorematica *sed*, vel *atqui*, quæ solet præponi minori. Non tamen propterea minor se reflectit in majorem, eo in sensu, in quo quidam volunt, quod conclusio se reflectat in præmissas; quia minor non exprimit sensum majoris: sed ad summum ex ea, etiam perfecte cognita, posset veniri in notitiam istam, quod scilicet hic medius terminus jam in alia propositione sit prius adhibitus.

931. Dices 1. Consequentia objectiva debet repræsentari formaliter, seu ut talis: ergo nulla solutio. prob. ant. consequentia objectiva debet repræsentari ut potens movere ad conclusionem: sed non potest movere, nisi repræsentetur formaliter ut talis: ergo. prob. min. motivum non potest movere, nisi repræsentetur sub ea ratione formali, sub qua potest movere: sed consequentia objectiva non potest movere, nisi sub ratione consequentiæ objectivæ, seu connexionis identitatis in tertio cum identitate inter se: ergo non potest movere, nisi repræsentetur sub ratione formali consequentiæ objectivæ. prob. maj. etsi videam medicinam reipsa mihi utilem, si non cognoscam, eam mihi esse utilem, non possum ab ea moveri ad ejus sumptionem: sed hujus non est alia ratio, quam, quod talis medicina mihi non repræsentetur sub ea ratione, sub qua potest movere: ergo.

932. Resp. neg. ant. ad prob. neg. min. ad prob. dist. maj. motivum non potest movere, nisi repræsentetur sub aliqua ratione formali, sub qua potest movere. conc. maj. nisi repræsentetur sub omni tali ratione. neg. maj. & neg. min. ac conseq. ad prob. maj. dist. iterum maj. non possum moveri ad sumptionem medicinæ, si non cognoscam formaliter, eam mihi esse utilem. neg. maj. si non cognoscam id realiter, vel æquivalenter. conc. maj. & dist. min. non est alia ratio, quam, quod talis medicina non repræsentetur formaliter sub ea ratione, seu, ut utilis. neg. min. quod neque repræsentetur realiter, vel æquivalenter, sive sub ratione æquivalenti. conc. min. & neg. conseq. si enim cognoscerem eam medicinam sub ratione æquivalente, e. g. sub ratione præscripta a Medico, possem determinari ad eam sumendam, etsi expresse non cogitarem, eam esse utilem, ut dictum *num.* 924. Et eodem modo, licet consequentiam objectivam intellectus non cognoscat formaliter ut talem, si tamen eam cognoscat sub ratione æquivalente identitatis in tertio, potest sufficienter determinari ad inferendam conclusionem.

933. Dices 2. Sæpe assentimur præmissis, & tamen non possumus inferre conclusionem, quamvis hæc revera ex præmissis sequatur: ergo non sufficit, cognoscere identitatem in tertio, quæ cognoscitur in præmissis: sed debet ulterius cognosci ut connexa cum identitate inter se: quod est formaliter cognoscere consequentiam objectivam ut talem. Resp. dist. conseq. non sufficit, cognoscere identitatem in tertio quomodocumque. conc. conseq. non sufficit, eam cognoscere rite penetrando præmissas, & identitatem extremorum cum medio termino. neg. conseq.

Idem debent respondere adversarii, si ab ipsis quæratur, quare in tali casu non detur apprehensio evidens consequentiæ objectivæ, vel judicium de ea; nam aliud reponere non possunt, quam præmissas non rite penetrari. Si ergo ita penetrentur præmissæ, ut juxta adversarios deberet sequi apprehensio evidens, vel judicium de bonitate consequentiæ, juxta nos intellectus absque hoc judicio poterit inferre conclusionem.

934. Dices 3. Quandoque, concessis præmissis, male negatur consequentia, atque debet ostendi, quod ea legitime inferatur: ergo pro priori ad conclusionem debemus habere judicium, quod ea consequen-

quentia sit saltem objective bona. Resp. 1. neg. conseq. Quandoque etiam in simili casu adversarius est convincendus per reductionem ad impossibile, quin pro priori ad conclusionem necessarium sit, jam excogitasse eam reductionem. Scilicet neutiquam necessarium est, ut omnes reflexiones &c. quæ quandoque sunt postea necessariæ ad revincendos adversarios, jam ante conclusionem fiant. Resp. 2. dist. 2. p. ant. debet id ostendi per formale judicium de bonitate consequentiæ objectivæ tunc formatum. neg. ant. per declarationem majorem præmissarum, ut adversarius eas, prius non rite intellectas, dein melius penetret. conc. antec. & neg. conseq. vide quoque dicta *num. præced.* quæ proportionaliter etiam huc spectant.

Dices 4. Quando syllogismus est formaliter bonus, sed materialiter malus, sive quando habet præmissas falsas: e. g. iste syllogismus: *Omnis equus est homo; sed Petrus est equus: ergo Petrus est homo*: judicium de bonitate consequentiæ objectivæ non potest identificari cum præmissis: ergo debet esse distinctum. prob. ant. judicium hoc est verum: præmissæ sunt falsæ: ergo non possunt identificari. Resp. quærendo, vel in tali casu syllogizans advertit, præmissas esse falsas, vel non. Si non advertit (ut sæpe fit, tam circa propositiones probabiles, quam etiam tantum apparenter evidentes) tunc neg. antec. ad prob. iterum neg. ant. in tali enim casu, cum judicium de bonitate consequentiæ, juxta nos requisitum, non sit formaliter tale, sed tantum æquivalenter tale, atque absolute tendat, & æquivalenter dicat: *Datur identitas in tertio* (sicut scilicet id dicunt præmissæ, quæ juxta nos realiter sunt judicium de bonitate consequentiæ) etiam ipsum est falsum. Similiter dicendum, quod in syllogismo probabili judicium de bonitate consequentiæ requisitum sit tantum probabile. Aliud esset, si daretur judicium formaliter tale, & conditionate tendens, quale adversarii adstruunt: quod utique verum esse posset, & verosimiliter a præmissis distinctum foret.

Si autem syllogizans advertit, se ponere præmissas falsas, ut fit in syllogismo objecto, tunc utique non potest dari judicium de bonitate consequentiæ objectivæ

æquivalenter tale; quia non potest absolute affirmari in mente identitas in tertio, cognita ut falsa: sed tunc, sicut non datur affirmatio præmissarum, seu identitatis in tertio, ita neque datur affirmatio bonitatis consequentiæ objectivæ. Non tamen negamus, posse in hoc, vel etiam in aliis casibus, si quis velit, elicere judicium de bonitate consequentiæ, formaliter tale, & conditionate tendens; nam tantum asserimus, id per se non esse necessarium.

935. Objic. 3. Quandoque, concessis præmissis, negatur sola consequentia, & non consequens: sed, nisi dicatur in hoc casu negari judicium de bonitate consequentiæ, non potest explicari, quid negetur: ergo negatur hoc judicium: atqui, si hoc negatur in tali casu, tunc debet istud adesse in casu syllogismi legitimi, & bene concludentis: ergo. Resp. neg. min. In tali casu negatur vera esse conclusio, seu ultima propositio; non quod falsa sit ex defectu objecti, sed quod falsa sit, ratione modi tendendi, seu ratione particulæ *ergo*: quæ indicat, hanc conclusionem ex his præmissis inferri, quod falsum est: sicut ista propositio: *Aqua est frigida, quia sol ortus est*: etiamsi aqua sit frigida, & sol ortus, tamen falsa est, ratione particulæ *quia*, quæ indicat causalitatem, qualis hic non datur. Quod autem ex duabus propositionibus, idem objectum habentibus, una possit esse falsa, altera vera, propter diversum modum tendendi, est communis. Sic hæ duæ propositiones: *Si Antichristus existit, tunc existit*: &: *Antichristus existit*: ac istæ: *Vel Petrus est possibilis vel est impossibilis*: &: *Petrus est possibilis, & impossibilis*, habent idem objectum: & tamen prima, & tertia, est vera: secunda, & quarta, est falsa.

936. Dices. Negatur quandoque concessis præmissis consequentia objectiva: ergo non tantum negatur conclusio ratione modi tendendi, sed negatur aliquid ex parte objecti, quod videtur non posse a nobis explicari. Resp. 1. retorq. argumen. In tali casu etiam non negatur judicium de bonitate consequentiæ, quod etiam se non tenet ex parte objecti: adeoque etiam adversarii habent eandem nobiscum difficultatem in explicando, quid negetur. Resp. 2. dist. ant. negatur consequentia objectiva

sola.

sola. neg. ant. negatur una cum consequentia formali. om. ant. & neg. 2. p. conseq.

In talibus casibus ordinarie negatur, saltem præcipue, consequentia formalis; & hinc argumentans solet petere, ut sibi ostendatur vitium syllogismi. Et sane, si præmissæ sunt veræ, & conclusio est formaliter bona, non potest illis concessis negari consequentia objectiva, nisi valde imperite; quia admissa identitate in tertio, non potest legitime negari identitas inter se, quæ aperte sequitur ex illa. Resp. 3. neg. ult. p. conseq. & explico, quid a parte rei negetur, ac dico, in tali casu negari ex parte objecti connexionem objecti conclusionis cum objecto præmissarum: quam connexionem cum significet conclusio ratione particulæ *ergo*, hinc etiam ipsa merito negatur. Nec dicas, quod, si negetur a respondente consequentia objectiva, debeat ea prius fuisse ab argumentante affirmata; nam sæpe negatur, quod argumentans non formaliter, sed tantum aliquo modo æquivalenter, aut virtualiter affirmavit, sive, quod ex ejus discursu inferri potest: potest autem ex quolibet syllogismo inferri bonitas consequentiæ objectivæ, vel etiam judicium de ea, etsi actu non inferatur, aut affirmetur. Idem respondendum est, si objiciatur, sæpe negari consequentiam formalem.

ARTICULUS II.

An Conclusio necessario se reflectat in Præmissas.

937. Præmissæ aliæ sunt *formales*, aliæ *objectivæ*: illæ sunt propositiones *major*, & *minor*, ex quibus constituitur syllogismus: istæ sunt illæ res, quæ sunt objectum præmissarum formalium: ex. gr. præmissæ formales sunt hæ duæ propositiones: *Omnis homo est animal: Petrus est homo*: præmissæ vero objectivæ sunt earum objectum, nempe *animal*, *homo*, *Petrus* a parte rei. Quæritur jam, an conclusio se reflectat in, aut supra præmissas, vel formales, vel objectivas, vel utrasque, vel neutras.

Reflexio autem in præmissas a variis ejus patronis adstruitur multiplex. Prima est *reflexio explicite judi-*

judicativa, quando scilicet conclusio iterum exprimit præmissas, seu enunciat, eorum objectum dari: & sic conclusio, ex præmissis modo positis illata, faceret hunc sensum: *Ergo Petrus est animal; quia omnis homo est animal, & Petrus est homo*: & hanc reflexionem auctores antiquiores plerumque intelligunt, quando hanc quæstionem tractant.

938. Secunda est *reflexio implicite judicativa*, quæ daretur tunc, quando conclusio sic tenderet: *Hinc sequitur, Petrum esse animal*. Hac contentus videtur Arriaga *disp.* 15. *Log. num.* 41. & aliqui alii: at non male eos impugnare videtur de Benedictis *l.* 4. *Log. q.* 1. *c.* 3. *§.* 1. nam, si motivum, nempe objectum præmissarum, est adhuc clare propositum, ut ponitur, non videtur, quomodo in principiis adversariorum sequatur reflexio tantum obscura, & implicita; cum judicium, quantum ad claritatem, & obscuritatem, proportionetur præviis notitiis, ut etiam adversarii nobiscum dicunt, agendo de universali in actuali prædicatione. Si autem adversarii tantum vellent, particulam *ergo* esse aliquod signum instrumentale, ex quo e. g. Angelus, clare cognoscens conclusionem, possit colligere, præcessisse tales præmissas, sicut ex effectu physico cognoscitur causa, non admitterent vere dictam reflexionem, nec dicerent aliquid nobis contrarium.

Tertia est *reflexio tantum apprehensiva*, quando conclusio tantum apprehendit objectum præmissarum, quin illud enunciet. Hanc videntur adstruere quidam recentiores: sed, ut verum fatear, vix capio, quomodo conclusioni sit identificata apprehensio objecti præmissarum, & quidem evidens, attamen non trahat post se judicium. Omitto, quod isti auctores potissimas objectiones, contra sententiam negativam afferri solitas, solvere debeant, ut patebit consideranti. Sed quidquid de hoc sit,

939. Dico 1. Conclusio non necessario se reflectit in præmissas formales. ita communis. Prob. Præmissæ istæ tantum requiruntur ad conclusionem, tanquam aliqua conditio, intentionaliter applicans præmissas objectivas, vel ad summum tanquam causa physica conclusionis: ergo intellectus non debet, in conclusione se in eas reflectere. ant. prob. ex eo,

quod

quod gratis plus aliquid præmissis formalibus tribueretur. prob. etiam conseq. intellectus non debet se reflectere in applicationem motivi, sicut voluntas non debet amare applicationem sui motivi: neque etiam intellectus debet se reflectere in causam physicam; alias deberet semper se reflectere in seipsum, tanquam causam physicam omnium suorum actuum: ergo. Sed neque est ulla alia ratio, probans necessitatem hujus reflexionis: certe non solet aliqua afferri, &, si quæ afferretur, facile ex dictis de necessitate Logicæ posset solvi.

940. Dico 2. Conclusio nullo ex tribus modis, *num.* 938. adductis, necessario se reflectit in præmissas objectivas. ita Cajetanus *in* 1. 2. *q.* 8. *art.* 3. Vasquez *in* 1. 2. *disp.* 33. *cap.* 4. *num.* 20. Mastrius *disp.* 11. *Log. qu.* 2. citans Scotum, Pontium, Aversam, Lichetum, & communem Scotistarum. Comptonus *disp.* 47. *Log. sec.* 4. de Benedictis *l.* 4. *Log. qu.* 1. *cap.* 3. *§.* 1. & plures alii, præsertim recentiores, contra alios non pauciores. Prob. conclusio negative, & solutione objectionum: nec alia probatione est opus, cum adversariis incumbat onus, ostendendi necessitatem hujus reflexionis, seu perfectionis, quæ conclusioni ab ipsis adscribitur, a nobis vero negatur. Alia argumenta positiva, e. g. quod ex falso non possit sequi verum: item, quod ex præmissis categoricis non possit sequi conclusio categorica, sed semper sequi debeat composita, scilicet causalis, adversarii vel retorquent, vel utcumque eludunt. videri tamen potest de Benedictis *loc. modo cit.*

941. Antequam autem accedamus ad solutionem objectionum, dicendum aliquid de auctoritate S. Thomæ, in qua adversarii plurimum se fundant. Textus, qui præcipue solet objici, habetur 1. 2. *quæst.* 8. *art.* 3. *in corp.* ubi S. Doctor scribit: *Primo aliquis intelligit ipsa principia secundum se: postmodum autem intelligit ea in ipsis conclusionibus, secundum quod assentit conclusionibus propter principia:* ex quo adversarii inferunt, juxta Angelicum etiam in ipsis conclusionibus iterum intelligi, seu formaliter exprimi principia, sive objectum præmissarum: quod est formalissime conclusionem se reflectere in objectum præmissarum, seu præmissas objectivas.

vas. Verum S. Thomas, ut Cajetanus, præcipuus in Summam Angelici commentator, *in hunc locum* docet, *ibi* non vult, quod principia, seu præmissæ objectivæ, in conclusionibus necessario intelligantur iterum formaliter, sed tantum aliquo modo virtualiter: sicut etiam, quando *ibidem* ait, quod amor mediorum tendat quoque in finem, non vult, quod tendat in finem formaliter, sed tantum virtualiter.

942. Scilicet, ut *ibidem* tradit Cajetanus, sicut aliquis orans dicitur virtualiter cogitare de Deo, etiam, quando non amplius actu, seu formaliter de eo cogitat, modo prius actualiter mentem ad Deum elevaverit, & ex hac elevatione determinatus fuerit ad prosequendam orationem, e. g. vocalem: ita etiam potest aliquis dici, adhuc virtualiter intelligere principia, seu objectum præmissarum, modo prius ea formaliter intellexerit, & ab eorum intelligentia fuerit determinatus ad intelligendam conclusionem, seu objectum conclusionis; quia scilicet illa intelligentia principiorum, vel objecti præmissarum, virtualiter perseverat in intelligentia conclusionis, & ab hac intelligentia conclusionis participatur prior intelligentia præmissarum. Arguit dein Cajetanus Gregorium Ariminensem, & alios impugnatores S. Thomæ, quasi non satis penetraverint mentem Angelici; eo quod tantum distinxerint inter amare, vel intelligere aliquid *actualiter*, & *habitualiter*: omiserint autem amare, vel intelligere *virtualiter*.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

943. OB. 1. contra 2. concluſ. Quando cognoscimus unum propter aliud, debemus etiam cognoscere illud aliud: sed objectum conclusionis cognoscimus propter aliud, scilicet propter objectum præmissarum: ergo debemus etiam cognoscere illud aliud, seu objectum præmissarum. prob. ma. quando volumus unum propter aliud, debemus etiam velle illud aliud: ergo etiam, quando co-

gnoscimus unum propter aliud, debemus quoque cognoscere illud aliud. ant. prob. ex Aristotele 1. *Poster. c. 2. seu text.* 5. ubi sic habet; *Propter quod est unumquodque, illud magis est, ut propter quod amamus, illud amicum magis.*

944. Resp. dist. ma. debemus etiam cognoscere illud aliud, necessario per eumdem actum. neg. ma. debemus illud aliud cognoscere, vel per eundem actum, vel per aliquem alium præcedentem. conc. ma. & conc. mi. sub priore distinctione conc. vel neg. conseq. ad prob. imprimis, neg. ant. quod universaliter certo non est verum: sic Deus vult, seu amat pœnam propter peccatum, quin ullo modo velit, vel amet peccatum: & debitor vult, seu amat solutionem debiti propter importunitatem creditoris, vel minas judicis, quin has velit, aut amet. Dein etiam potest distingui ant. quando volumus unum propter aliud, volumus etiam illud aliud necessario per eumdem actum. neg. ant. per eundem, vel alium actum, conc. vel om. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. conseq. certe Cajetanus *loc. cit. numer. præc.* ait, patere, esse falsum, quod omnis amans propter finem, etiam eodem actu amet finem. Simili distinctione respondetur ad dictum Aristotelis, quod alii vocant axioma Philosophicum: at certe non est universaliter verum.

945. Distinguendum est motivum intrinsecum actus a motivo extrinseco: illud actus intrinsece attingit: hoc tantum præsupponit attactum ab alio actu: & sic, cum juxta nos objectum præmissarum sit tantum motivum extrinsecum conclusionis, non debet ab hac intrinsece attingi: sicut nempe idem contingit in actibus voluntatis: sic e. g. si quis moriens, & destitutus copia confessarii, sibi ex metu gehennæ imperet actum charitatis Dei super omnia, hic actus charitatis non attingit intrinsece gehennam, seu pœnas inferni; alias non esset actus charitatis: sed tantum præsupponit eas attactas ab alio actu inferioris ordinis, nempe ab actu timoris gehennæ.

Et sic bonitas finis sæpe est tantum motivum extrinsecum respectu actus eligentis, vel volentis media, quorum bonitas intrinseca non est ipse finis, sed aptitudo ad finem, quæ debet necessario amari, dum

dum amantur media ut media: finis autem est tantum extrinseca mensura bonitatis mediorum, quæ non debet necessario amari, per illum ipsum actum, per quem amantur media. Verum quidem est, quod cognitio formaliter repræsentans medium qua medium, sive ut aptum ad finem, etiam repræsentet, seu cognoscat finem: sed non ideo voluntas etiam amat finem; quia non vult, aut amat omnia sic repræsentata, alias, qui vellet contritionem, repræsentatam ut detestantem peccata, vellet etiam peccata.

946. Ob. 2. Conclusio est actus rationalis: ergo debet exprimere suam rationem: sed ejus ratio est objectum præmissarum: ergo debet illud exprimere, adeoque se in id reflectere. Confirm. Objectum conclusionis independenter ab objecto præmissarum apparet neutrum, seu præscindens a veritate, & falsitate: ergo intellectus non potest illi assentiri independenter ab objecto præmissarum. prob. conseq. intellectus non potest cæco modo assentiri objecto, quod non apparet verum: ergo. Resp. conc. ant. neg. conseq. & conc. subsumpt. neg. iterum conseq. Aliter debet esse rationalis potentia, & aliter actus, præsertim illatus. Potentia est rationalis cognoscendo, vel affirmando rationem: actus vero est rationalis, vel exprimendo suam rationem, vel præsupponendo eam jam ab alio actu expressam.

947. Ad confir. om. ant. dist. conseq. hoc est, intellectus non potest illi assentiri, nisi prius objecto præmissarum assensus fuerit per præmissas. conc. conseq. nisi prius, seu in priori signo rationis, eidem assensus fuerit per ipsam conclusionem. neg. conseq. ad prob. conc. ant. sub priore dist. conc. vel neg. conseq. Intellectus non agit cæco modo, quando est illuminatus per præmissas.

Neque post assensum præstitum præmissis conclusio amplius est neutra; alias non possemus unquam postea assentiri conclusioni, nisi iterum assentiremur præmissis, quod est contra experientiam; nam Mathematici sæpe assentiuntur demonstrationibus, seu conclusionibus evidentibus Euclidis, quin recordentur principiorum, ex quibus illæ illatæ fuerunt: & ipsi adversarii non volunt, quod conclusio, illata tandem post plures syllogismos, se reflectat in omnes præ-

missas. Unde ilia tantum propositio est neutra, quæ non est ex se immediate nota, nec ulla ratione suadetur; si enim intellectui appareat aliqua ejus ratio, sive in eodem, sive in alio actu, propositio non est amplius neutra.

948. Dices 1. Sic posset etiam dici, quod propositio causalis non attingat suum motivum: hoc est absurdum: ergo. Confirm. Posset sic etiam dici, quod nulla propositio attingat suum motivum, sed tantum supponat illud per prævium apprehensionem attactum: hoc est absurdum: ergo. Resp. neg. ma. propositio enim causalis est unus actus indivisibilis, & explicite repræsentat, atque etiam affirmat suum motivum: nec supponit illud jam per præcedentes alios actus affirmatum. An autem possint dari duo actus, quorum unus e. g. dicat: *Petrus est pius*: & alter: *Quia diligenter frequentat templa*: quin unus reflectat super alterum, non est operæ pretium, multum litigare.

949. Ad confirm. neg. ma. nam hæ consequentiæ malæ sunt: Motivum non debet bis attingi: ergo nec semel: item: Actus non debet affirmare motivum: ergo nec potentia. Dein sic potentia (& consequenter etiam actus) non esset rationalis; nam potentiam judicare rationabiliter, hoc esse propter illud, est, eam judicare, hoc esse, quia est illud: ergo debet potentia etiam judicare, quod illud sit: atqui per prævium apprehensionem non judicat: ergo debet judicare per ipsam propositionem causalem, si objectum affirmetur propter alterum. Si autem propositio esset immediata, seu affirmans objectum propter se (quo casu objectum materiale, & objectum formale, seu motivum, sunt idem) clarum est, per eundem actum simul affirmari motivum, utpote identificatum objecto materiali, quod affirmatur.

950. Dices 2. Juxta nos posset dari actus fidei Theologicæ, qui non attingeret suum motivum, seu testimonium Dei infallibile: hoc est falsum: ergo. Confir. Posset etiam dari actus charitatis Theologicæ, quo diligeremus proximum propter Deum, quin tamen simul diligeremus Deum: hoc non est verum: ergo. Resp. mi. negatur a quibusdam recentioribus cum P. Thyrso: at neg. ma. Quod actus fidei debeat intrinsece attingere testimonium Dei, non bene probaretur ex tam debili, & incerto fundamento logico, seu ex hoc, quod

quod conclusio se reflectat in præmissas: melius probatur cum S. Thoma ex eo, quod actus Theologicus debeat potentiam unire Deo, de quo plura Theologi.

Aliud est, quod possit dari aliquis actus, non fidei Theologicæ formalis, sed, ut vocant, virtualis, sive, ut eum nominat Gormaz, fidei objectivæ, assentiens veritati alicui propter testimonium Dei, quin assentiatur etiam ipsi testimonio, sed istud habeat tantum pro motivo extrinseco; nam talem actum posse dari defendunt plures Theologi. Ad confirm. neg. ma. quia nec iste actus uniret potentiam Deo, adeoque non esset charitatis Theologicæ. At rursus dari potest talis actus, qui sit imperatus ab actu amoris Dei, & amet proximum propter Deum, tanquam motivum extrinsecum, qui reductive suo modo spectet ad habitum charitatis.

951. Ob. 3. Tertia mentis operatio, seu discursus, differt essentialiter a secunda mentis operatione, seu præmissis: sed non differt per aliud, quam per reflexionem in præmissas: ergo hæc reflexio est ipsi essentialis. Confirm. Discursus est illatio unius ex alio: ergo est cognitio unius, & alterius. Resp. neg. mi. Differentia stat in his, 1. quod discursus, seu conclusio (cui adversarii supponunt identificatum esse discursum) essentialiter præsupponat præmissas, per quas determinetur intellectus ad assentiendum conclusioni. 2. quod discursus habeat specialem modum tendendi illativum, qui exprimitur per particulam *ergo*, & non potest reperiri in secunda mentis operatione. Ad confir. neg. conseq. non enim discursus solus, si adæquate identificetur conclusioni, est cognitio unius, & alterius, sed potius est cognitio unius post cognitionem alterius: & quando dicitur esse cognitio unius ex alio, tantum significatur, quod sit cognitio illata ex alio, seu cognitio, ad quam intellectus determinatur a prævia cognitione alterius.

952. Dices 1. Hic ipse modus tendendi, indicatus per particulam *ergo*, non potest explicari, nisi per reflexionem conclusionis in objectum præmissarum: ergo. Resp. neg. ant. Imprimis, si per talem reflexionem posset explicari particula *ergo*, tunc possent syllogismi ita fieri: *Omnis homo est animal: Petrus est homo: Petrus est animal; quia omnis homo est animal, & Petrus*

trai est homo: sed nunquam ita fiunt, nec intelligibiliter fierent: & ipsi adversarii nunquam omittunt particulam *ergo*: sed potius per particulam *quia* annectunt utramque præmissam. Secundo, si particula *ergo* indicaret talem reflexionem, etiam aliæ particulæ *sed*, *&*, *vel*, & similes, eodem modo deberent indicare similem reflexionem in præcedentes propositiones: adeoque minor deberet se reflectere in majorem, & una pars propositionis disjunctivæ in alteram, itemque una pars propositionis copulativæ in alteram: quæ dici non possunt; certe prorsus gratis asserentur. Scilicet, sicut plures particulæ aliæ significant certum modum tendendi experimentaliter notum, qui ulterius explicari non debet, ita etiam particula *ergo* significat modum tendendi illativum, proprium tertiæ mentis operationi, qui etiam ulterius explicari non debet: sicut etiam non debet ulterius explicari modus tendendi optativus, quem significat particula *utinam*.

953. Dices 2. Particula *utinam* est signum voluntatis aliquid desiderantis. Resp. & pariter dico, quod particula *ergo* sit signum intellectus, inferentis aliquid ex altero, ita, ut ab hoc recipiat pro priori illuminationem, quamdam determinationem, & sic progrediatur ad illud affirmandum. At, si petam ulterius, quid sit aliquid desiderare, repones, hoc esse per se manifestum, nec in explicationibus eumdum in infinitum. Verum eodem jure dico, etiam, quid sit, aliquid inferre ex altero, esse per se clarum, ita, ut nec Logicæ tyronibus amplius in Summulis declarari debeat: imo, ut sufficiat quoque id quoad rem ipsam satis intelligant; cum in obviis materiis bene discurrant.

Dices 3. Etiam apprehensiones evidentes objecti determinant ad judicium immediatum, illuminando intellectum: ergo etiam secunda mentis operatio habebit modum tendendi, explicandum per particulam *ergo*. Resp. neg. conseq. Particula *ergo* non significat quamcumque illuminationem, aut determinationem intellectus, sed talem, quæ fiat per progressum judicativum ab una veritate ad alteram, & per repræsentatam identitatem in tertio, quæ ulteriore explicatione non egent.

Ob. 4. Potest conclusio aliqua, illata ex præmissis evi-

dentibus, habere idem objectum materiale, quod habet alia conclusio, illata ex præmissis probabilibus: sive potest idem objectum materiale inferri ex præmissis evidentibus, & ex probabilibus in tali casu conclusio evidens intrinsece differt a probabili, ut nemo negat: ergo se reflectit in præmissas; alias non esset ulla ratio, quare intrinsece differret. Resp. neg. conseq. Imprimis per istam reflexionem non explicatur universaliter differentia intrinseca talium conclusionum; nam casu quo uni quædam præmissæ essent evidentes, alteri vero, eas minus penetranti, essent tantum probabiles, prioris conclusio esset evidens, posterioris tantum probabilis, & consequenter intrinsece differrent, non tamen ratione reflexionis in præmissas; cum juxta adversarios ambæ se reflecterent in easdem. Quare duæ tales conclusiones intrinsece differunt; quia una, deducta ex præmissis evidentibus, est intrinsece ita clara, & efficax, ut intellectus rapiatur ad assensum ei præstandum: altera vero, ex præmissis probabilibus deducta, non habet parem claritatem, aut vim rapiendi intellectum ad assensum.

954. Ob. 5. Intellectus habet omnia requisita ad faciendam reflexionem in præmissas objectivas: ergo, cum sit potentia necessaria, debet eam facere. prob. ant. habet evidentem veritatem præmissarum, saltem in syllogismo demonstrativo, & nihil aliud deest: ergo. Resp. 1. cur juxta adversarios intellectus non infert bis eandem conclusionem; cum eodem modo habeat omnia requisita? Resp. 2. neg. ant. ad prob. dist. ant. habet evidentem veritatem præmissarum, cui jam assensus est per præmissas, conc. ant. cui necdum assensus est. neg. ant. & conseq. Evidens veritas necessitat intellectum tantum ad semel ei assentiendum, in eodem quasi continuo, non ad sæpius; alias necessitaretur intellectus ad tot assensus, quot possent coexistere apprehensioni evidenti, quod gratis diceretur: imo forte novus assensus evidens necessitaret iterum ad alium; cum & ipse sit evidens propositio ejusdem veritatis, quo admisso iretur in infinitum, ut patebit consideranti.

955. Dices. In tali casu dantur novæ apprehensiones, repræsentantes objectum præmissarum ut affirmabile per conclusionem: ergo. Resp. neg. ant. Nulla

est necessitas novarum harum apprehensionum ; nam intellectus per ipsas præmissas formales, repræsentantes judicative identitatem in tertio (quæ est objectum præmissarum) & per apprehensiones, repræsentantes identitatem inter se (quæ est objectum conclusionis) sufficienter determinatur ad inferendam conclusionem, non reflectentem se in præmissas. Casu quo autem aliquis vellet elicere conclusionem, reflectentem se in præmissas, videtur debere voluntas excitare, aut combinare novas apprehensiones, vel istæ aliunde excitari, quod non negamus possibile.

956. Ob. 6. Sæpe, dum proponuntur alicui plura motiva, is tamen assentitur tantum propter aliqua, neglectis aliis : e. g. judici proponuntur sex testimonia de facto homicidio, & ille tantum credit id factum esse propter tria, atque negligit reliqua : in tali casu talis assensus, vel conclusio, se necessario reflectit super aliqua motiva, & non super alia : ergo debet dari hæc reflexio. Reg. neg. mi. Vel in hoc casu sermo est de judiciis immediatis : & dico, quod judex quidem affirmet dari sex testimonia, sed non faciet propositionem causalem, qua dicat : *Credo factum esse homicidium ; quia sex testes id factum affirmant* : verum faciat aliam, qua dicat : *Credo factum esse homicidium ; quia tres testes id affirmant*. Sed non videtur hic quæri de propositione causali, a qua non est paritas ad conclusionem *ex n.* 948.

957. Vel sermo est de judiciis mediatis, tum vero iterum res hæc potest dupliciter considerari. Vel enim judex assumit quodlibet testimonium seorsim pro præmissa, sic discurrendo : *Quod Petrus dicit, verum est : sed dicit, factum esse homicidium : ergo factum est homicidium* : & tunc in illis syllogismis, qui versantur circa testimonia neglecta, judex non assentitur majori, adeoque nec identitati in tertio : consequenter experientia refundenda est in non præstitum assensum identitati in tertio.

Vel ponitur, quod judex assumat omnia sex testimonia in unam præmissam, dicendo : *Quod hi sex testes dicunt, verum est &c.* & tunc, vel assentitur judex huic præmissæ, & nullum testimonium negligit, adeoque debet conclusio juxta adversarios super omnia se reflectere : vel ei non assentitur, & iterum non assentitur identitati in tertio : adeoque experientia iterum in negationem hujus assensus refundenda est. Nec dicas, judicem in tali casu assentiri illi præmissæ secundum quid, id est, secundum tria testimonia ; hoc enim non est assentiri illi præmissæ, sed huic alteri : *Quidquid tres isti testes dicunt, verum est &c.*

958. Dices. Potest judex in tali syllogismo, utpote tantum probabili, suspendere conclusionem, & postea libere aliam, tantum tribus testimoniis nixam, inferre : ergo. Resp. neg. conseq. Hæc conclusio non se reflectet necessario, etiam super tria tantum testimonia ; quia non probatur ea necessitas : quidquid sit, an possit inferri ex prioribus præmissis, sex testimonia asserentibus ; videtur enim potius voluntas, in hoc casu determinare intellectum ad novas præmissas eliciendas. Dein hic casus est potius contra adversarios ; nam ipsi volunt, conclusionem se necessario reflectere super totum objectum præmissarum ; cum toties repetant, particulam *ergo* explicari non posse, nisi per repetitionem totarum præmissarum, seu totius objecti motivi : certe in hoc casu non posset desumi ex particula *ergo*, an conclusio propter istud, an propter aliud motivum inferretur, quod adversarii iterum nolunt.

959. Ob. 7. Color non potest videri, nisi simul videatur lux ; quia lux est ratio videndi colorem : ergo etiam veritas conclusionis non potest cognosci, nisi simul cognoscatur veritas præmissarum ; quia hæc est ratio cognoscendi veritatem conclusionis. Resp. neg. conseq. Non sufficit ad videndum colorem, si lux prius visa fuerit ; si enim Deus lucem in instanti A visam subtraheret, non posset in instanti B videri color, ut est omnibus clarum ab experientia : neque etiam requiritur, ut lux videatur ante colorem, ut iterum est clarum ab experientia : & hinc lux non bis videtur.

At requiritur, ut objectum præmissarum sit cognitum ante objectum conclusionis, ut est clarum ex natura discursus formalis : non autem requiritur, ut objectum præmissarum simul per eundem actum cognoscatur cum objecto conclusionis ; quia non probatur, quod debeat bis cognosci. Bene autem dicitur, lux videri per eandem visionem cum colore, ne admit-

mittantur gratis duæ visiones, una lucis, altera coloris: at non bene dicitur, quod objectum præmissarum cognoscatur per conclusionem; cum gratis dicatur, idem bis cognosci. Noto sub finem, non negari a nobis, quod objectum præmissarum, utpote realiter identificatum cum objecto conclusionis, etiam realiter cognoscatur in conclusione, sed tantum negari, quod cognoscatur formaliter sumptum, sub ratione objecti præmissarum, seu identitatis in tertio.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Syllogismo in specie.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit, & an detur Scientia.

960. DUplex syllogismus hac quæstione considerandus est nobis, nempe *Demonstrativus*, & *Topicus*, seu, ut etiam ab Aristotele nominatur, *Dialecticus*: id est, syllogismus *scientificus*, atque *probabilis*; nam tertius, seu *syllogismus sophisticus*, jam satis examinatus fuit in Summulis, nec de eo pluribus hic est agendum; cum vere syllogismus non sit, ut ex Aristotele probatum est *n.* 306. Ut autem de duobus prioribus clare, ac ordinate procedamus, præmittendæ sunt aliquæ explicationes quorundam terminorum, quorum intelligentia necessaria est: item resolvenda est breviter, una, aut altera quæstio, maxime circa quasdam antiquorum Philosophorum jam pridem antiquatas opiniones.

961. Itaque *scientia actualis*, sive *actus scientificus*, est *cognitio evidens rei per causam*, ut diximus *n.* 227. At *scientia habitualis*, seu *habitus scientificus* est *habitus inclinans ad tales actus*. Tam scientia actualis, quam habitualis, dividitur in *speculativam*, & *practicam*, quæ jam sufficienter explicatæ sunt *n.* 205. & *n.* 236. At habitualis ulterius dividitur in quatuor scientias primarias, ad quas aliæ reducuntur: & hæ sunt *Logica*, *Physica*, *Metaphysica*, *Mathematica*. Divisionem hanc legitimam esse probat Maurus *q.* 5. *Log.* ex eo, quod quatuor sint modi cognoscendi objecta.

Pri-

Primo enim cognoscuntur objecta per sensus, quoad mutationes eorum sensibiles: quod spectat ad Physicam: secundo cognoscuntur per imaginationem quoad varias figuras, lineas, angulos &c. quod pertinet ad Matheſin: tertio cognoscuntur abstractive, seu cognitione abstrahente ab omni sensibili, & imaginabili, quod spectat ad Metaphysicam: quarto tandem cognoscuntur reflexe, ut jam prius cognita: quod pertinet ad Logicam. Inter has scientias ad mentem Mauri *loc. cit.* prima inventa esse videtur Physica, tum Matheſis, inde Metaphysica, ac ultimo Logica; nam, ut ait, res primo cognoscuntur sensibus, tum a phantasia, inde ab intellectu directe, ac postremo reflexe. Fuerunt tamen Physica, & Metaphysica, nondum perfectæ ante Logicam, & de facto a Logica incipiendum est ob dicta *a n.* 256. de Logicæ necessitate.

962. His quatuor primariis scientiis subalternantur aliæ scientiæ, & artes. Sic Physicæ subjicitur Medicina, Chirurgia, Alchimia, Pictoria: imo ad Physicam reducuntur omnes facultates corporeæ, in quantum aliqua principia a Physica accipiunt, & a speculatione ad praxim transeunt. Matheſi subordinantur Geometria, Arithmetica, Musica, & cæteræ plures ejus species, partim speculativæ, partim practicæ. Logicæ subduntur Grammatica, Rhetorica, Poesis &c. partialiter etiam Ethica, licet partialiter revocetur ad Physicam. Metaphysica præcipue sub se habet Theologiam naturalem, quæ de Deo ex principiis, lumine naturæ notis, disserit: dein etiam alias scientias, quæ de substantiis immaterialibus completis tractant.

Requiritur autem ad scientiam subalternatam, seu inferiorem, non quidem, ut cum superiore, seu subalternante, conveniat in prædicato speculativæ, aut practicæ (alias nullæ artes practicæ possent subordinari Physicæ speculativæ) sed, ut subalternata idem objectum consideret, quod considerat subalternans, quamvis non eadem latitudine: sic Medicina considerat corpus ut sanabile, quod etiam considerat Physica, verum non tantum ut sanabile, sed sub ratione longe ampliori, sive ut mutabile. Dein requiritur, ut scientia subalternata recipiat aliqua principia, seu aliquas propositiones, tanquam probatas a subalternante, & propterea

mittantur gratis duæ visiones, una lucis, altera coloris: at non bene dicitur, quod objectum præmissarum cognoscatur per conclusionem; cum gratis dicatur, idem bis cognosci. Noto sub finem, non negari a nobis, quod objectum præmissarum, utpote realiter identificatum cum objecto conclusionis, etiam realiter cognoscatur in conclusione, sed tantum negari, quod cognoscatur formaliter sumptum, sub ratione objecti præmissarum, seu identitatis in tertio.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Syllogismo in specie.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit, & an detur Scientia.

960. DUplex syllogismus hac quæstione considerandus est nobis, nempe *Demonstrativus*, & *Topicus*, seu, ut etiam ab Aristotele nominatur, *Dialecticus*: id est, syllogismus *scientificus*, atque *probabilis*; nam tertius, seu *syllogismus sophisticus*, jam satis examinatus fuit in Summulis, nec de eo pluribus hic est agendum; cum vere syllogismus non sit, ut ex Aristotele probatum est *n.* 306. Ut autem de duobus prioribus clare, ac ordinate procedamus, præmittendæ sunt aliquæ explicationes quorundam terminorum, quorum intelligentia necessaria est: item resolvenda est breviter, una, aut altera quæstio, maxime circa quasdam antiquorum Philosophorum jam pridem antiquatas opiniones.

961. Itaque *scientia actualis*, sive *actus scientificus*, est *cognitio evidens rei per causam*, ut diximus *n.* 227. At *scientia habitualis*, seu *habitus scientificus* est *habitus inclinans ad tales actus*. Tam scientia actualis, quam habitualis, dividitur in *speculativam*, & *practicam*, quæ jam sufficienter explicatæ sunt *n.* 205. & *n.* 236. At habitualis ulterius dividitur in quatuor scientias primarias, ad quas aliæ reducuntur: & hæ sunt *Logica*, *Physica*, *Metaphysica*, *Mathematica*. Divisionem hanc legitimam esse probat Maurus *q.* 5. *Log.* ex eo, quod quatuor sint modi cognoscendi objecta.

Pri-

Primo enim cognoscuntur objecta per sensus, quoad mutationes eorum sensibiles: quod spectat ad Physicam: secundo cognoscuntur per imaginationem quoad varias figuras, lineas, angulos &c. quod pertinet ad Matheſin: tertio cognoscuntur abstractive, seu cognitione abstrahente ab omni sensibili, & imaginabili, quod spectat ad Metaphysicam: quarto tandem cognoscuntur reflexe, ut jam prius cognita: quod pertinet ad Logicam. Inter has scientias ad mentem Mauri *loc. cit.* prima inventa esse videtur Physica, tum Matheſis, inde Metaphysica, ac ultimo Logica; nam, ut ait, res primo cognoscuntur sensibus, tum a phantasia, inde ab intellectu directe, ac postremo reflexe. Fuerunt tamen Physica, & Metaphysica, nondum perfectæ ante Logicam, & de facto a Logica incipiendum est ob dicta *a n.* 256. de Logicæ necessitate.

962. His quatuor primariis scientiis subalternantur aliæ scientiæ, & artes. Sic Physicæ subjicitur Medicina, Chirurgia, Alchimia, Pictoria: imo ad Physicam reducuntur omnes facultates corporeæ, in quantum aliqua principia a Physica accipiunt, & a speculatione ad praxim transeunt. Matheſi subordinantur Geometria, Arithmetica, Musica, & cæteræ plures ejus species, partim speculativæ, partim practicæ. Logicæ subduntur Grammatica, Rhetorica, Poesis &c. partialiter etiam Ethica, licet partialiter revocetur ad Physicam. Metaphysica præcipue sub se habet Theologiam naturalem, quæ de Deo ex principiis, lumine naturæ notis, disserit: dein etiam alias scientias, quæ de substantiis immaterialibus completis tractant.

Requiritur autem ad scientiam subalternatam, seu inferiorem, non quidem, ut cum superiore, seu subalternante, conveniat in prædicato speculativæ, aut practicæ (alias nullæ artes practicæ possent subordinari Physicæ speculativæ) sed, ut subalternata idem objectum consideret, quod considerat subalternans, quamvis non eadem latitudine: sic Medicina considerat corpus ut sanabile, quod etiam considerat Physica, verum non tantum ut sanabile, sed sub ratione longe ampliori, sive ut mutabile. Dein requiritur, ut scientia subalternata recipiat aliqua principia, seu aliquas propositiones, tanquam probatas a subalternante, & propterea

suppositas tanquam certas. vide de hac scientiarum subalternatione Comptonum *disp. 19. de Anim. sec. 2.* & Cardinalem Sfondratum *l. 3. Log. s. 3. n. 17.*

963. Jam *demonstratio* est syllogismus scientificus, seu formaliter faciens scire, ut probatum est *n.* 296. Alia autem demonstratio dicitur *a priori*, seu *propter quid*, quando demonstratur effectus per causam: e. g. quando ex interpositione terræ inter solem, & lunam, demonstratur eclypsis lunaris: ad quam reducitur etiam demonstratio proprietatum ex essentia, e. g. risibilitatis ex rationalitate. Alia demonstratio dicitur *a posteriori*, seu *quia*, quando ex effectu demonstratur causa, e. g. ex creaturis Deus: ad quam etiam reducitur demonstratio essentiæ ex proprietatibus, e. g. rationalitatis ex risibilitate. Demonstratio, quæ fit per terminum convertibilem, (e. g. quando, ut aliqui volunt, demonstratur per carentiam omnis imperfectionis Deus) a quibusdam revocatur ad demonstrationem a posteriori, ab aliis vocatur demonstratio *quasi a priori*: de quo non est operæ pretium litigare.

964. Demonstrationis præmissæ, ut docetur ab Aristotele 1. *Poster. c.* 2. debent esse propositiones *primæ*, id est, quæ a priori non possint ulterius demonstrari: quod non est ita intelligendum, quasi præmissæ immediatæ in qualibet demonstratione debeant esse tales; cum sæpe tanquam præmissæ adhibeantur propositiones, quæ in prioribus demonstrationibus fuere conclusiones, adeoque demonstratæ: sed tantum est ita intelligendum, quod præmissæ mediatæ, in quas præmissæ immediatæ ultimo resolvuntur, debeant esse propositiones primæ, non ulterius demonstrabiles; cum in demonstrationibus non possit procedi in infinitum. videatur de Benedictis *l. 4. Log. q. 2. c. 1.*

Rursus, ut *ibidem* docet Philosophus, præmissæ demonstrationis, tam immediatæ, quam mediatæ, debent esse *veræ*, hoc est, conformes objecto: debent esse *causæ* juxta datam explicationem *n.* 227. item debent esse *notiores*; quia veritas, ex qua altera infertur, debet esse notior; alias non posset illuminare intellectum, ad inferendam veritatem alteram, quod tamen requiritur ad discursum *ex n.* 115. quia debet esse progressus a noto ad ignotum.

Hoc

Hoc tamen intelligendum est de majore notitia in apprehensione, vel repræsentatione, quam tunc habet intellectus, quando discursum facit; nam reipsa in se præmissæ non sunt universaliter notiores; cum enim eædem propositiones, saltem specificative sumptæ, quæ modo sunt præmissæ, possint in alio casu esse conclusiones, & vicissim propositiones, quæ modo sunt conclusiones, possint alia vice esse præmissæ (e. g. possum aliquando sic discurrere: *Sol adest: ergo datur dies*: & alio tempore sic: *Datur dies: ergo adest Sol*) non debent præmissæ in seipsis esse notiores, sed tantum in apprehensione, hic, & nunc, intellectum illustrante. Potest autem utique contingere, ut de aliqua propositione hic, & nunc, detur clarior, & vivacior apprehensio, quam de alia, ita tamen, ut pro aliis circumstantiis, aut alia dispositione intellectus, possit dari clarior, & vivacior apprehensio de altera.

Eodem fere modo præmissæ debent esse *certiores*, quam conclusio, nempe etiam in præsenti apprehensione intellectus, vel etiam adhæsione voluntatis, quatenus intellectus in præmissis apprehendit aliquam firmitatem, quam in eodem signo naturæ necdum apprehendit in conclusione: vel quatenus voluntas propter eandem apprehensam firmitatem in aliquo signo adhæret præmissis, pro quo signo necdum ita adhæret conclusioni. Quia tamen, ut dictum, propositio, quæ modo est præmissa, potest alio tempore esse conclusio, & vicissim, quæ modo est conclusio, potest alia vice esse præmissa, potest quoque hæc apprehensio intellectus, & adhæsio voluntatis variari. Addendum hic, quod præmissæ multo magis debeant esse saltem tam certæ, quam certa est conclusio, ut patet ex dictis supra *n.* 144.

965. Explicandum insuper, quid sit *evidentia*, *certitudo*, *dubium*, *opinio*. Est autem *evidentia* ex genere suo cognitio ita clara objecti, ut istud quasi videatur in illa, & ratione claritatis excludatur omne dubium de objecto: estque triplex, *metaphysica*, *physica*, & *moralis*, sicut certitudo, de qua jam dicendum.

Itaque *certitudo* est cognitio rei, nixa motivo excludente dubium. Motivum hoc est aliquando supernaturale, ut lumen fidei circa mysteria revelata: & tunc

tunc certitudo est supernaturalis : aliquando autem motivum hoc est naturale ex lumine rationis naturalis, ut in rebus naturaliter evidentibus : & tunc certitudo est naturalis. Ex quibus colliges, evidentiam, & certitudinem formalem, esse intrinsecam cognitionibus, non objectis ; nam objecta manent semper eadem, sive de ipsis evidentia, aut certitudo detur, sive non, sive etiam omnino nesciantur : sic etiam objecta non excludunt formaliter dubium ab intellectu, sed hoc faciunt cognitiones, quæ formaliter per se ipsas intellectum contra dubia firmant : quamvis objecta id aliquo modo radicaliter, seu causaliter faciant.

Certitudo, ut recte advertit Arriaga *disp. 16. Log. sec. 4. n. 22.* non differt ab evidentia, nisi ratione claritatis ; nam evidentia est certitudo cum claritate : imo quibusdam videtur, non posse dari certitudinem naturalem, saltem metaphysicam, aut physicam, nisi simul sit evidentia ; quamvis detur certitudo supernaturalis, nempe fidei Theologicæ, sine evidentia. Est autem certitudo naturalis (de supernaturali non agimus) triplex, nempe *certitudo metaphysica, physica, & moralis.*

966. *Certitudo metaphysica* est, quæ nititur motivis, seu principiis metaphysice certis (talis certitudo est illius axiomatis : *Idem non potest simul esse, & non esse*) vel saltem talibus, quibus nec divinitus possit subesse falsum. *Physica* est, quæ nititur principiis physice certis, e. g. connexione causæ necessariæ cum suo effectu : vel talibus, quibus saltem naturaliter non possit subesse falsum : sic naturaliter est certum, quod ignis applicatus urat. *Moralis* est, quæ nititur, non principiis ethicis (nam ex his etiam metaphysica certitudine potest demonstrari Deus) sed talibus, quibus moraliter non potest subesse falsum, id est, non nisi rarissimo, ut adeo, si non excludant prorsus omne, saltem excludant prudens dubium, sive dein sint principia physica, sive ethica, sive moralia. Et sic moraliter certum est, quod nemo hominum de facto victurus sit per ducentos annos. Rursus alia dicitur *certitudo objectiva* : non, quasi insit objecto ; hoc enim negavimus *num. 965.* sed, quod oriatur ex merito objecti, seu rationis objectivæ : & vocatur etiam *certitudo infallibilitatis*. Alia dicitur *certitudo subjectiva*, quando supra meritum motivi tamen mens objecto, tanquam certo, firmiter adhæret : & vocatur quandoque etiam *certitudo adhæsionis* : quæ etiam dari potest respectu falsitatis : & sic hæreticis certi sunt eorum errores.

967. Certitudini opponitur *dubium*, quod est hæsitatio, vel suspensio intellectus, neutri parti assentientis, ob formidinem erroris : quando scilicet rationes in neutram partem sufficiunt, aut se mutuo elidunt. Eidem certitudini etiam opponitur *opinio*, quæ est assensus nixus motivo incerto, ac fallibili, & ex se non excludente formidinem oppositi : dicitur autem *probabilis*, si nititur fundamento gravi, potente movere virum prudentem, ad irreprehensibilem assensum : e contra dicitur *improbabilis*, si nitatur levi fundamento.

Formido, quam suo modo respicit opinio, est potius actus voluntatis, quam intellectus ; est enim timor ; *formido* autem *intellectualis* improprie dicta, potest (ut recte habet noster Haunoldus *l. 3. Theol. tr. 1. c. 3. controv. 1. §. 2. n. 251.*) dici, esse actus intellectus, vel affirmantis, vel saltem apprehendentis, se versari in periculo propinquo erroris : & quidem hic actus intellectus est *formido intellectualis actualis* : alia autem est *formido intellectualis radicalis*, quæ reipsa aliud non est, quam ipsa incertitudo motivi, supra quam si intellectus se reflecteret, determinaretur ad formidinem formalem, sive actualem. Huc referri etiam potest *suspicio*, quæ est assensus, quo quis judicat, forte hoc, vel illud esse, aut fuisse, aut fore ; unde est judicium valde infirmum.

968. Iam duo fuere errores quorundam antiquorum Philosophorum sibi oppositi ; aliqui enim voluerunt, omnia posse naturaliter demonstrari ab hominibus. At est evidens, non tantum, quod non possint demonstrari secreta cordium, sed quod etiam plurimorum effectuum causæ, vel entium proprietates, & plurima alia, adhuc sint ignota, ex. grat. circa animalia, plantas, magnetem, elementa, ipsum hominem, &c. Alii e contra, ut Sceptici, seu Pyrrhonici, a Pyrrhone Eleo sic dicti, (qui fuere

Acu-

Academicorum Platonicorum degeneres posteri, ut tradit S. Augustinus *l. 19. de civit. Dei c. 1.*) negarunt omnem scientiam, & asseruerunt, de omnibus se dubitare: cumque interrogarentur, an non saltem scirent, se dubitare, responderunt, etiam se dubitare, an dubitent. Plato inter hos quasi medius *in Phædone, seu de Anima ante medium* admisit quidem aliquam scientiam: verum simul docuit, eam non de novo acquiri, sed esse tantum reminiscentiam, seu recordationem eorum, quæ anima, extra corpus creata, prius didicisset, vel quorum notitiam, adhuc extra corpus existens, a Deo accepisset: at postea corpori infusa ex materiæ contagione oblita fuisset: successive autem sensuum ope, studioque iterum reminisceretur.

969. Dico 1. Datur aliqua scientia, ita omnes prudentes. Probatur. Vel scientia sumitur pro quavis certa, & evidenti notitia, etiam immediata; vel sumitur strictius pro conclusione scientifica, seu demonstratione: in utroque sensu datur scientia: ergo. prob. 1. p. mi. evidentia sunt plurima principia immediata, tam speculativa, quam practica: ergo. prob. ant. aliqua afferendo, e. g. *Idem non potest simul esse, & non esse: Totum est majus sua parte: Bonum est faciendum: malum est fugiendum &c.* ergo. Prob. 2. pars. Ex his, & similibus principiis inferuntur plures conclusiones evidentes: e. g. hominem plus aliquid esse, quam corpus, homicidium esse vitandum &c. ergo.

Confirm. Sententia adversariorum opponitur aperte bonis moribus, & honestati: ergo est absurda. ant. prob. si de omnibus potest dubitari, etiam poterit dubitari, an bonum sit faciendum, malum fugiendum, an virtus amplectenda, & vitium evitandum: quo posito homines habent facilem excusationem, dum se dedunt vitiis, dicendo, non esse majorem rationem sequendi virtutem, quam vitium, & æque prudenter se eligere sibi delectabilia, quam ardua: sed hoc est aperte oppositum bonis moribus: ergo.

970. Dico 2. Scientia non est tantum reminiscentia, sed etiam, & quidem sæpissime, acquisita de novo notitia. ita omnes contra Platonem. Prob. Sen-

Sententia Platonis supponit falsum, nempe animas esse creatas extra corpus, cujus oppositum habetur ex Concilio Lateranensi sub Leone X. *Sess. 8. Constitutione: Apostolici regiminis solicitudo*, & multis ostendit S. Thomas *contra Gentiles l. 2. c. 83.* ergo etiam ipsa est falsa. Confir. 1. Gratis prorsus dicitur, excum habere scientiam de coloribus, & surdum de musica, jam acquisitam extra corpus: ergo. Confir. 2. Natura dedit homini sensus, ut per eos acquireret varias species, & notitias de rebus, & inde ulterius acquireret etiam habitus, ac scientias, tam habituales, quam actuales: ergo has non habuit jam prius, sed de novo acquirit.

971. Objic. 1. contra 1. concl. Omnis nostra notitia habetur dependenter a sensibus: sed omnis talis notitia est fallax: ergo nulla est scientifica. Confir. 1. Sæpe decipimur, putantes, nos habere demonstrationem, dum habemus paralogismum: ergo nunquam sumus certi, & consequenter nunquam habemus scientiam. Confir. 2. Quidam dubitarunt etiam de primis principiis: ergo nihil est certum. Resp. om. maj. (quia multa etiam independenter a sensu cognoscimus, e. g. quod actu existamus, intelligamus &c.) neg. min. Licet sensus fallere possint quoad aliquos actus, non tamen fallere possunt quoad multitudinem uniformem actuum; nam Deus, auctor omnis veritatis, dedit nobis sensus in hunc finem, ut acquiramus per eos varias notitias: & hinc non permittit, eos universaliter falli: & certe constans visio stellarum in cælo, constans intuitus universi, constans auditus de existentia Romæ, vel Constantinopolis, non potest falli, licet unus testis posset fallere.

Ad 1. confirm. neg. conseq. Licet quis possit una, aut altera vice decipi, non sequitur, quod decipi possit semper, præsertim iis in rebus, in quibus alii universaliter cum ipso sentiunt: nec Deus permittere potest tam universalem errorem, præsertim circa principia, honestatem morum concernentia. Ad 2. confirm. neg. conseq. Ex eo, quod aliqui imprudentes de aliqua veritate evidenti dubitaverint; quia eam, vel noluerunt, vel non potuerunt penetrare, non sequitur, quod etiam debeant dubitare prudentes, qui objectum rite penetrant.

972. Objic.

972. Objic. 2. contra 2. concluſ. Nequit intellectus invenire certam veritatem, niſi illam prius noverit: ergo omnis ſcientia eſt reminiſcentia. prob. ant. ſi quis quærat Petrum, non inveniet illum, niſi eum prius noverit: ergo etiam, ſi intellectus quærat veritatem, non inveniet illam, niſi eam prius noverit. Confirm. Sæpe indocti interrogati de aliqua re, ſtatim aſſerunt, eam ita eſſe: quinimo interrogati etiam de quibuſdam veritatibus geometricis, ſtatim apte reſpondent: ergo ſignum eſt, quod habuerint aliquando ſpecies de illis rebus, quæ per interrogationem excitentur.

Reſp. neg. ant. ad prob. om. antec. neg. conſeq. Veritates aliquæ per ſeipſas ſtatim ſe manifeſtant, ut prima principia, & concluſiones, ex iis facillime deducendæ: ſicut, ſi Petrus alias ignotus mihi obvius fieret, & diceret: *Ego ſum Petrus:* eum ſtatim cognoſcerem, licet prius non noviſſem. Aliquando quidem veritates aliquo modo confuſe prius debent eſſe cognitæ, ut dein adhibito ſtudio clarius intelligantur: at etiam in hoc caſu clarior illa cognitio ſubſequens non eſt reminiſcentia, ſed vera nova notitia, quæ prius non fuit habita.

Ad confirm. om. 1. p. ant. (quia ex modo dictis habetur, aliquas veritates ſtatim ſeipſas manifeſtare) diſt. 2. p. de quibuſdam veritatibus geometricis facillimis, & cuique manifeſtis, apte reſpondent. conc. ant. de difficilibus. neg. ant. & conſeq. Interim non negatur, quod ſæpe recordemur priorum actuum, & actus multi ſcientifici ſint reminiſcentia, quando ſcilicet ſcientiis prius acquiſitis utimur: ſed tantum negatur, quod omnis ſcientia, & prima ſcientiarum acquiſitio, in homine ſit reminiſcentia.

ARTICULUS II.

An Scientia, & Opinio de eodem Objecto poſſint ſimul ſtare in eodem Intellectu, aut Actu.

973. PRænotandum 1. poſſe intellectum eidem objecto aſſentiri propter plures rationes evidentes, etiam eodem actu; nam e. g. ab auctoribus afferuntur plures demonſtrationes Dei, in quarum

rum omnium motiva poteſt intellectus uno actu tendere. Eodem modo poteſt intellectus eidem objecto aſſentiri propter plures rationes probabiles; nam utique non fruſtra ſæpe pluribus rationibus probabilibus auctores firmant ſuas aſſertiones: quas rationes ſimul unico actu intellectus poteſt amplecti. Unde difficultas hujus quæſtionis ſtat in eo, an intellectus ſimul poſſit amplecti, tam rationes evidentes, quam probabiles, circa idem objectum: ſive dein id faciat per duos actus, quorum unus aſſentiatur objecto propter rationem evidentem, alter propter probabilem: ſive id faciat per unicum actum, qui aſſentiatur ſimul propter utrumque motivum, evidens, atque probabile.

974. Prænotandum 2. evidentiam unam eſſe altera majorem; nam evidentia eſt cognitio clara, ac certa: at tam claritas, quam certitudo ſuſcipiunt magis, & minus, ut eſt innegabile; hinc aliquæ evidentiæ dicuntur primi, vel ſuperioris ordinis, aliæ ſecundi, vel inferioris ordinis. Unde, licet forte cum evidentia primi ordinis, e. g. cum evidenti aſſenſu primorum principiorum, non poſſet ſtare in eodem, vel in diverſis actibus, opinio circa idem objectum, vel eadem principia, non ſequeretur, quod non poſſit ſtare cum evidentia aliqua vera, ſed ordinis inferioris.

Equidem Haunoldo *de Anima ration. cap. 4. art. 8. n. 103.* videtur imperceptibile, quod quis e. g. principio ex ſe evidentiſſimo: *Idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe:* aſſentiatur, etiam propter motivum tantum probabile, ſive a ratione, ſive ab authoritate petitum; ea quod tale motivum videatur ab evidentia obrui, ut obruitur lux modica candelæ a ſplendidiſſimo ſole: qua in re tamen ei contrarius eſt de Benedictis *l. 4. Log. qu. 3. c. 4. ob. 4.* licet autem hoc tranſmittatur, tamen non ita res hæc imperceptibilis eſt in evidentiis ordinis inferioris, quæ non ita plene illuſtrant intellectum. His prænotatis,

975. Dico 1. Poteſt intellectus eidem objecto ſimul aſſentiri, uno actu propter motivum evidens, & altero propter motivum probabile. ita Arriaga *diſp. 6. de Anima ſec. 6. num. 109.* ubi dicit etiam, hanc ſententiam eſſe communem. Haunoldus *de Anima ration.*

ration. cap. 4. art. 8. num. 108. de Benedictis l. 4. Log. quæst. 3. cap. 4. & alii plures, præsertim recentiores. Prob. conclusio ab experientia. Sæpe adhibentur ad probandam aliquam assertionem plures rationes, seu motiva, quorum aliqua sunt evidentia, alia tantum probabilia, ex auctoritate, vel aliqua ratione inevidente: ergo debet intellectus talibus motivis posse, saltem per distinctos actus, assentiri; alias frustra adhiberentur talia motiva. Nec dicas, intellectum tantum posse assentiri talibus motivis, si divisim proponantur, non autem, si simul proponantur; hoc enim prorsus gratis dicitur, ut patebit ex solutione objectionum.

976. Dico 2. Potest intellectus eidem objecto assentiri per unum actum, elicitum ex duplici motivo, evidente, atque probabili. ita Arriaga *disp. modo cit. num.* 111. de Benedictis *loco modo cit.* Hauneldus *art. modo cit. num.* 109. & alii plures. Prob. Intellectus potest ferri in objectum uno actu, ex diversis motivis elicito: ergo etiam potest ferri uno actu, elicito ex uno motivo evidente, atque altero probabili. ant. partim constat *ex num.* 973. partim probatur a paritate, cum voluntate; cum enim hæc possit tendere in idem objectum ex duplici motivo, e. g. in ambulationem ex motivo sanitatis, & recreationis, negandum non est, idem posse intellectum. prob. etiam conseq. non habent inter se oppositionem motivum evidens, atque probabile, ut patebit ex solutione objectionum: ergo.

977. Objic. 1. contra 1. concluſ. Aristoteles 1. *Poster. cap. ult.* ait: *Manifestum autem ex his quod neque opinari simul idem, & scire contingit*: ergo non possunt de eodem objecto simul dari scientia, & opinio, in eodem intellectu. Confirm. Objectum scibile est necessarium: objectum opinabile est contingens: ergo non potest de eodem objecto dari scientia, & opinio. Resp. dist. conseq. non possunt dari simul scientia, & opinio, in sensu restricto Aristotelis. conc. conseq. in sensu non ita restricto, sed proprio, & communi. neg. conseq. Aristoteles ibi per opinionem non intelligit quemcumque assensum, nixum motivo fallibili, sed talem, qui affirmet, objectum aliter se posse habere: at hoc non requiritur ad opinionem, etiam proprie acceptam; quis enim dicat, quod, qui probabiliter judicat, rem aliquam existere, semper simul quasi reflexe judicet, eam posse non existere?

Ad confirm. Resp. quod sic neque in diversis intellectibus posset dari de eodem objecto scientia, & opinio, quod est falsum; nam utique multa, quæ Mathematicis demonstrata sunt, ab aliis tantum probabiliter noscuntur. Et hinc, cum Aristoteles *loco modo cit.* etiam dicat, quod scibile, & opinabile, inter se differant (quod, si loquamur cum communi, non est verum, ut patet ex ratione modo allata) non videtur esse necessarium, in acceptione scientiæ, & opinionis tam restricta, hic eum sequi. in forma. om. 1. p. ant. dist. 2. objectum opinabile est contingens sæpe. conc. semper. subdist. si sumatur opinabile in sensu restricto. conc. si sumatur in sensu proprio, & communi. neg. antec. & conseq. ostensum enim est, objecta scientiæ mathematicæ esse etiam in sensu proprio opinabilia, adeoque etiam opinabilia posse esse ita necessaria, ut necessaria esse debent objecta scientiarum.

978. Objic. 2. Tale objectum esset evidens, & non esset evidens: hæc sunt contradictoria: ergo. Confir. Saltem intellectus esset certus, seu certificatus, ratione actus scientifici, & non esset certus, seu certificatus, ratione actus probabilis: hæc iterum sunt opposita: ergo. Resp. neg. suppositum *ex num.* 965. ubi dictum, objectum non esse evidens, sed actum: quod autem unus actus sit evidens, alter non, nulla est contradictio, ut patet. Ad confir. conc. maj. & neg. min. quam negabit quilibet Summulista. Attamen hic quæri posset, an intellectus deberet in tali casu dici simpliciter certificatus: & respondeo affirmative; quia hæc denominatio convenit illi, qui habet de se notitiam, excludentem omne dubium, quale haberet talis intellectus; nam additus actus opinativus eam non tolleret.

979. Objic. 3. contra 2. concluſ. Motivum probabile in concursu motivi evidentis non amplius potest movere: ergo actus evidens illi non innititur. ant. prob. candela accensa, sereniſſimo sole splendente, non amplius illuminat: ergo etiam, illuminante intel-

intellectum motivo evidente, eum non amplius illustrat motivum probabile. Resp. Hoc argumentum probaret, quod neque actus idem posset niti gemino motivo evidente; cum etiam una evidentia sit major altera, sæpe cum magno excessu.

In forma dist. ant. motivum probabile non potest movere in concursu motivi evidentis supremi ordinis. om. ant. motivi evidentis inferioris ordinis. neg. ant. & conseq. videantur dicta *n.* 974. ad prob. dist. ant. candela non illuminat, si aer necdum sit tam luminosus, quam ignis candelæ. neg. ant. si jam sit tam luminosus. conc. ant. (quia non potest ignis intensiorem lucem in aere producere, quam ipsemet habeat) & neg. conseq. quia motivum probabile non faceret actum magis scientificum, sed daret ei aliud prædicatum, scilicet opinionis, ex diverso motivo.

980. Objic. 4. Talis actus non esset formidolosus, quia scientificus: & esset formidolosus, quia opinativus: sed hoc esse non potest: ergo. Resp. neg. 2. p. ant. talis enim actus non esset actualiter, seu formaliter formidolosus; non enim est de ratione opinionis formido actualis, seu formalis (quam explicavimus *num.* 967.) nam videtur innegabile, quod intellectus sæpe tantum attendat ad motivum assensus, quin attendat ad ejus fallibilitatem, quo casu non formidat actualiter: & videtur hoc præsertim contingere, quando quis jam sæpius assensus est opinioni probabili tanquam veræ: quinimo videtur in tali casu aliud esse motivum assentiendi, aliud motivum formidandi, nempe ratio in oppositum (sicut est aliud motivum efficaciter volendi medicinam, nempe sanitas, & aliud motivum eam inefficaciter nolendi, nempe amarities) unde potest intellectus tantum attendere ad unum motivum, & non ad alterum.

Jam si de ratione opinionis non est formido actualis, tunc actus innixus simul motivo evidenti, & probabili, non erit formidolosus actualiter; quia actualem formidinem impedit motivum evidens: imo neque ipse actus erit formidolosus radicaliter, seu in actu primo; quia, cum hic actus essentialiter respiciat motivum evidens, nunquam potest cum ipso identificari formido; quare tantum unum ejus motivum, scilicet probabile, erit radicaliter, seu in actu primo

primo formidolosum, quatenus posset in absentia motivi evidentis, si non causare formidinem formalem, seu actualem, saltem cum ea stare.

981. Dices 1. Conclusio sequitur debiliorem partem quoad certitudinem, ut diximus *num.* 144. ergo etiam actus nixus motivo evidenti, & probabili, sequitur debiliorem partem, consequenter est formidolosus, & incertus. Resp. neg. conseq. Neutra præmissa se sola est adæquatum motivum conclusionis, sed qualibet deficiente conclusio deficit: consequenter ista non potest esse firmior, quam sit quælibet præmissa: adeoque quoad firmitatem, & certitudinem suam, sequitur debiliorem præmissam, seu partem.

At, quando idem actus dicitur a nobis, esse simul scientia, & opinio, supponitur, quod tam motivum evidens, quam probabile, sit saltem in actu primo adæquatum, ita, ut propter quodlibet se solo acceptum veritas objecti materialis affirmari possit (de alio enim casu conclusio non loquitur) quare deficiente motivo probabili non deberet etiam deficere veritas objecti materialis; nec enim deficeret ratio adhuc sufficientissima eam affirmandi: adeoque talis actus quoad suam certitudinem, vel firmitatem, non debet sequi debiliorem partem, seu debilius motivum: sed saltem æque firmus est, ac si niteretur solo motivo evidente; quia motivum probabile additum nihil tollit de firmitate evidentiæ: sicut, si muris ex se firmissimis addatur adhuc sustentaculum ligneum debilius, non ideo minus firmiter sulcietur tectum impositum.

982. Dices 2. Actus scientiæ est formaliter, & actualiter firmus, ac certus: ergo actus opinativus est formaliter, & actualiter formidolosus. Confirm. Motivum fallibile trahit post se saltem judicium de possibilitate erroris: sed hoc non potest stare cum actu scientiæ, & multo minus ei esse identificatum: ergo. Resp. conc. ant. neg. conseq. Actus scientiæ essentialiter nititur motivo firmo, ac certo, & quidem clare proposito, quod non potest impediri ab alio actu, quo minus intellectum reddat certum, & firmum: at fallibilitas motivi probabilis potest impediri ab evidentia adjuncta, quo minus producat actualem formidinem. Ad confirm. dist. maj. motivum fallibile, sibi soli relictum, trahit post se tale judicium.

cium. om. maj. (nam universaliter id non contingit; potest enim intellectus non attendere ad fallibilitatem motivi *ex num.* 980.) si adjungatur ei motivum evidens. neg. maj. & conc. min. neg. conseq.

983. Objic. 5. Talis actus esset certus, & incertus; hoc implicat: ergo. Confirm. Talis actus posset esse verus, & falsus: hoc est impossibile: ergo. prob. maj. casu quo motivum probabile esset reipsa falsum, actus nixus eo motivo esset falsus: sed simul esset verus, utpote scientificus. ergo. Resp. neg. maj. Talis actus esset simpliciter certus; quia excluderet omne dubium de opposito (*vide dicta num.* 978.) quamvis forte dici posset incertus secundum quid, ratione motivi non certi, de quo non litigabo. Ad confir. neg. maj. ad prob. dist. maj. esset falsus quoad unum objectum formale, seu motivum opinativum. conc. maj. quoad objectum materiale. neg. maj. & dist. min. esset verus quoad objectum materiale. conc. min. quoad objectum formale, seu motivum opinativum. neg. min. & conseq.

Est receptum ab omnibus in Summulis, quod propositio causalis sit simpliciter falsa, quando affirmat unam rationem falsam, quamvis altera sit vera, dum utramque affirmat copulative; quia propositio copulativa tota est falsa, si unum ejus membrum est falsum. Unde, si quis affirmaret, nunc diem esse valde serenam, ex ratione una evidente, scilicet præsentia solis sereni, & altera probabili falsa, e. g. præsentia planetæ Jovis, quem putaret etiam adesse, & aliquid conferre ad serenitatem diei, cum tamen reipsa non adesset, talis actus esset simpliciter falsus.

984. Quare videtur innegabile, quod talis actus scient. ficus, nixus simul motivo probabili falso, sit reipsa simpliciter falsus: verus tamen secundum quid, sive quoad objectum materiale, & alterum objectum formale, seu rationem evidentem: & sic respondet etiam Haunoldus *de Anima ration. c.* 4. *art.* 8. *n.* 113. ac addit, quod veritas absoluta, seu simpliciter talis, excludat omnem falsitatem. Equidem posset videri mirabile, quod actus scientificus sit falsus, & quod actus falsus excludat omne dubium de opposito: sed mox minuetur admiratio, si res rite explicetur.

Nam actus scientificus non est falsus quoad objectum materiale, circa quod excludit dubium: neque

que quoad objectum formale, a quo denominatur scientificus: sed tantum quoad alterum objectum formale, a quo denominatur opinativus. Potest etiam responderi cum Haunoldo *loc. cit.* quod, si alicui non arrideat hic modus loquendi, possit bona pace uti alio; cum tota hæc lis sit de nomine; nam quæstio de re stat in hoc, an aliquis actus possit duplici tali motivo intrinsece niti: an autem dein dicendus sit talis, vel talis, est quæstio de nomine.

Dices. Propositio copulativa, affirmans unum motivum falsum, est falsa; ergo etiam propositio copulativa, affirmans unum motivum probabile, & infirmum, est tantum probabilis, & infirma. Resp. neg. conseq. & retorq. arg. ergo apprehensio indivisibilis, simul motivi evidentis, & probabilis, erit tantum probabilis; cum tamen rapiat intellectum ad assensum: item actus efficaciter amplectens motivum amandi, sed simul etiam inefficaciter amplectens motivum odio habendi, erit simpliciter odium: rursus compositum, involvens partem non rationalem, erit simpliciter irrationale: quæ admitti non possunt. Scilicet non est paritas ab una denominatione ad aliam, nec propterea, quod una tribuatur alicui rei ob aliquam rationem, statim ob similem rationem tribuitur etiam altera: sed quænam tribuenda sit, quænam non, desumi debet ex regula supra *num.* 251. statuta.

Nempe sæpe una denominatio usitata est apud auctores, non alia: sic sane nemo dicit minus firmum id, quod nititur sustentaculo uno firmiore, & altero minus firmo, quam id, quod nititur sustentaculo firmiore solo: at omnes vi Summularum dicunt actum illum falsum, qui nititur motivo falso. Ad abundantiam dari potest disparitas ex eo, quod ex communi veritas stet in indivisibili (nam stricte loquendo non est unum magis verum, quam alterum) nec dicatur verum, nisi quod est pure verum: at vero firmitas, aut certitudo, non stet in indivisibili; cum juxta omnes detur magis, & minus firmum, magis & minus certum: & firmitas major, & minor possint optime combinari, imo sæpe firmum ex additione alicujus in se minus firmi fiat magis firmum; cum præsertim firmitas minor nihil tollat de firmitate majore, ut patet in exemplo *n.* 981. adducto.

985. Ob. 6. Talis actus esset in duplici specie: ergo implicat. Confirm. 1. Talis actus neque esset scientia, neque opinio: ergo est impossibilis. Confirm. 2. Quando concurrunt duo motiva, potest intellectus duos actus elicere: ergo, cum nullum adsit determinativum ad eliciendum tantum unum actum, eliciet duos. Resp. neg. ant. esset enim in una certa specie, sicut mulus e. gr. est in specie certa, inter equum, & asinum. Ad 1. confir. Resp. esse quæstionem de nomine, ad quam non male respondet Haunoldus citatus *n.* 112. nomen scientiæ esse genericum, & complecti sub se, tam actus, qui nituntur solis motivis evidentibus, quam actus, qui simul nituntur motivis probabilibus: si tamen hic modus loquendi iterum non placeat, excogitandum erit novum nomen, tali actui tribuendum. Ad 2. confirm. neg. conseq. Causa determinativa ad unum actum potest esse diversa excitatio specierum, vel repræsentatio convenientiæ illorum motivorum, in ordine ad probandum idem objectum materiale, vel simile quid: & ad talia adversarii etiam sæpe debent recurrere; cum utique negare non possint, sæpe multa motiva unum tantum actum terminare, quæ tamen sufficerent ad terminandos plures: quin imo, cum talis assensus, ut mox dicemus *num.* 987. sit etiam subjectus imperio voluntatis, potest dici, intellectum ad eum determinari a voluntate.

986. Ob. ultimo. Talis actus subjaceret imperio voluntatis, & eidem non subjaceret: ergo est impossibilis. prob. ant. subjaceret, utpote assensus præstitus motivo probabili: non subjaceret, utpote assensus evidens, & necessarius respectu intellectus: ergo. Resp. neg. 2. p. ant. ad prob. neg. 2. p. ant. quia, licet actus, elicitus ex solo motivo evidente, sit necessarius respectu intellectus; eo quod hic necessario debeat assentiri motivo evidenti: non tamen est necessarius assensus elicitus etiam ex motivo probabili; quia intellectus non debet necessario assentiri motivo probabili: unde talis assensus potest elici, vel non, pro libertate voluntatis.

987. Dices. Evidentia prævertit omne imperium voluntatis: & antequam hæc libere imperet, jam intellectus evidentiæ necessario assentitur; ergo non potest

est voluntas libere determinare intellectum ad præstandum assensum, simul ex motivo evidenti, atque probabili: ergo debet prius elici actus ex solo motivo evidenti, & tum primum alius ex motivo probabili: ergo non potest intellectus eidem objecto simul assentiri ex utroque motivo, tam evidenti, quam probabili.

Ad hanc replicam varii varie respondent: ego dist. 1. conseq. ergo non potest voluntas libere determinare intellectum ad præstandum primum assensum, simul ex motivo evidenti, atque probabili, om. 1. conseq. non potest determinare ad præstandum secundum assensum. neg. 1. conseq. atque etiam neg. 2. ac 3. conseq. Motivum evidens necessitat intellectum ad unum assensum: sed non necessitat ad plures, & plures, alias iretur in infinitum; unde, quidquid sit, an primus assensus, tali objecto præstitus, sit subjectus imperio voluntatis; an non, saltem secundus erit subjectus, ita, ut voluntas possit libere determinare, an intellectus tantum ex uno motivo evidenti, an vero simul ex motivo probabili, alterum assensum debeat elicere; quare potest voluntas alium assensum ex utroque motivo imperare, & intellectus eum elicere.

ARTICULUS III.

An Concessis Præmissis Evidentibus Intellectus necessitetur ad Conclusionem.

988. Duplex hic distingui solet *necessitas*, nempe *quoad speciem*, & *quoad exercitium*. Illa est, quando potentia est necessitata ad certam speciem actus, e. gr. ad speciem amoris, ita, ut non possit ex contraria specie, e. g. odii, actum elicere. Ista vero est, quando potentia est ita necessitata, ut non tantum non possit elicere actum contrarium, sed etiam non possit omittere actum ex hac specie: sic e. gr. Beati in cælo non tantum non possunt elicere actum odii contra Deum, sed etiam debent elicere actum amoris erga ipsum.

Duplici huic necessitati oppontur duplex *libertas*: una *quoad speciem*, seu *contrarietatis*, quando scilicet potentia libere potest elicere actum contrarium:

altera *quoad exercitium*, seu *contradictionis*, quando potentia potest saltem omittere actum . e. g. amoris , non tamen ponere actum odii . Quæritur jam , qualis detur necessitas in intellectu , concessis præmissis evidentibus , stricte talibus , (hoc est, excludentibus omne dubium de falsitate propositionum oppositarum) respectu conclusionis , quam videt ex illis præmissis legitime deduci.

989. Dico 1. Intellectus , concessis præmissis evidentibus , necessitatur ad conclusionem quoad speciem . ita communissime omnes. Prob. Intellectus non potest assentiri falso evidenter cognito ut tali : atqui, si negaret talem conclusionem , assentiretur falso evidenter cognito ut tali : ergo non potest eam negare , & consequenter necessitatur ad illam quoad speciem . ma. patet ab experientia communissima, qua habetur, quod nullus , dum actu videt solem , possit assensum elicere de eo , quod illum non videat : vel , dum actu dolet dentibus , quod non sentiat .

Insuper est receptum axioma : *Nulla potentia operatur intendens ad malum* : atqui falsum est malum intellectus : ergo non potest falsum cognitum ut tale intendere , vel amplecti . Prob. etiam mi. superior . Si intellectus negaret illam conclusionem , assentiretur propositioni oppositæ : atqui hæc est evidenter falsa , & cognoscitur ut talis : ergo . prob. mi. propositio , opposita alteri evidenter veræ , est evidenter falsa : & cognoscitur etiam ut talis , si altera cognoscitur ut evidenter vera : ergo.

990 Dico 2. Intellectus , concessis præmissis evidentibus , necessitatur ad conclusionem etiam quoad exercitium . Conclusio ista non est tantum clarissime S. Thomæ *in 2. dist. 25. q. 1. a. 2. in corp.* & *1. p. qu. 82. a. 2. in corp.* item *in quæst. disput. qu. 22. de volunt. a. 5. nã 3.* & *12.* sed etiam est communissima aliorum , adeo , ut auctores communiter hoc ponant discrimen , inter veritatem evidentem , & non evidentem , quod illa necessitet intellectum , non autem ista : certe Conimbricenses *in 1. Poster. c. 1. q. 4. a. 4.* ajunt , videri sibi , hanc sententiam esse omnium gravium auctorum . Prob. conclusio ratione , quam communiter afferunt auctores.

Intellectus est potentia necessaria : ergo positis omnibus

bus ad agendum prærequisitis deberet agere : atqui concessis præmissis evidentibus sunt posita omnia prærequisita ad agendum , seu inferendam conclusionem : ergo debet agere , seu conclusionem inferre : primum enthymema est extra dubium , subsumptum bene probat Arriaga *disp. Log. 15. sec. 6. n. 57.* negative sic . Gratis dicunt adversarii , nec possunt probare (quod tamen ipsis incumberet) plus requiri : ergo . Confir. Non licet pro libitu conditiones , vel alia requirere , quin probentur : ergo . prob. ant. alias plurima entia sine necessitate multiplicarentur , maxime imperia voluntatis sine numero ; nam , si essent necessaria imperia ad conclusiones evidentes , etiam forent necessaria ad præmissas evidentes , saltem , si istæ non essent (uti sæpissime non sunt) principia omnium prima : item etiam similia imperia essent necessaria ad actus sensuum externorum ; non enim sensus sunt potentiæ magis necessariæ , quam intellectus : ergo.

991. Dices 1. nos multiplicare perfectiones intellectus , dum dicimus , eum cum paucioribus posse agere . Sed contra est . Præterquam , quod per se minus sit , multiplicare tantum aliquas perfectiones identificatas , quam entia distincta , adversarii non minus multiplicant perfectiones voluntatis, dum asserunt , ejus libertatem se extendere ad assensus etiam evidentes, ita , ut ipsa possit, ante hos assensus ponere imperium aliquod , ut eliciantur , vel etiam nolitionem , qua impediantur. Adde , quod cæteris paribus major sit perfectio , quæ est active libera, quam quæ est necessaria.

Dices 2. nos multiplicare potius entia , dum asserimus , necessario semper inferri conclusionem : adversarii autem id negant , & ne reponamus , ipsos admittere semper actum voluntatis , possunt dicere , quod in casu omissæ conclusionis tantum adstruant puram omissionem liberam , quæ reipsa nihil est . Sed contra est . Si adversarii dicunt , in casu omissæ conclusionis dari puram omissionem liberam , necessario debent admittere , quod in casu positæ conclusionis detur positivum imperium voluntatis : cumque conclusio , etiam juxta adversarios , fere semper ponatur , multiplicantur plurima talia imperia sine necessitate . Neque dici potest , puram omissionem sufficere

ad conclusionem, tam ponendam, quam impediendam; nam intellectus non est potentia libera, quæ possit seipsam determinare: actus primus autem, potentiam necessariam determinans ad unum, debet aliquid aliud involvere, quam actus primus, eandem potentiam determinans ad aliud priori oppositum.

992. Dices 3. posse dici, quod, quando ponitur conclusio, detur pura omissio libera, & quando non ponitur, (quod rarissime fit) detur imperium positivum voluntatis, conclusionem impediens: adeoque non multiplicari entia. Sed contra est. Qui sic respondent, tamen admittunt tot effectus, quot nos; quia loco conclusionis impeditæ admittunt actum voluntatis. Insuper autem multiplicant entia ex parte actus primi, dum semper requirunt ante omnem conclusionem evidentem (& ob paritatem rationis etiam ante omnem alium assensum evidentem, saltem qui non sit circa principium omnino primum) ut voluntas habeat totam ex judicio indifferente, ac aliis pluribus constitutam libertatem, vi cujus possit imperare, vel impedire conclusionem: quod nos minime requirimus.

993. Dices 4. hunc actum primum liberum necessario requiri; eo quod, sicut non necessitatur voluntas ad amplectendam bonitatem creatam, ita neque necessitetur intellectus ad amplectendam veritatem creatam. Sed contra est. Imprimis non est paritas a voluntate libera ad intellectum necessarium; alias, cur non, sicut voluntas potest libere amplecti id, quod sub una ratione apparet bonum, licet sub alia clare sit malum (qualis est e. g. peccaminosa delectatio) poterit etiam intellectus amplecti id, quod sub una ratione apparet verum, licet sub alia appareat clare falsum? item, cur non dicitur, quod potentia visiva, etiam apertis oculis, non necessitetur ad videndam lucem creatam? Si dicas, intellectum esse magis conjunctum voluntati, quam alias potentias, id negatur; cum etiam aliæ potentiæ identificentur animæ.

994. Dein etiam mihi falsum videtur, voluntatem a nullo bono creato necessitari; nam Angelicus 1. *p. q. 82. a. 2. in corp.* docet, voluntatem necessitari a bono creato, quod clare videtur habere necessariam connexionem cum beatitudine: idem, & non aliud, docet *in quæst. disput. q. 22. de voluntate a. 5. in corp.* Item difficulter capitur, quomodo damnatus in inferno, semper possit suspendere amorem liberationis a pœnis, licet hæc sit bonum creatum. Dein non videtur alia ratio, quare motus primo primi non censeantur liberi, e. g. si percussus alapa statim repercutias; nisi quia ista vindicta proponitur ut purum bonum, licet creatum. Tandem potest utique abstrahi, & abstrahitur quoad verum ordinarie, quoad bonum saltem sæpissime, an sit creatum: & tunc ratio creati non potest impedire, quo minus voluntas, vel intellectus, amplectatur bonum, aut verum.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

995. Ob. 1. S. Thomas 1. 2. *q. 9. a. 1. ad 3.* sic scribit: *Voluntas movet intellectum quantum ad exercitium actus; quia & ipsum verum, quod est perfectio intellectus, continetur sub universali bono, ut quoddam bonum particulare:* ergo voluntas movet ad exercitium cujuslibet actus veri, adeoque etiam evidentis. Confir. Idem S. Doctor 1. 2. *q. 17. a. 6. in corp.* ait: *Quantum ad exercitium actus... actus rationis semper imperari potest:* ergo omnis actus rationis, etiam evidens, potest a voluntate imperari.

Resp. dist. conseq. voluntas movet, vel directe, vel indirecte, ad exercitium actus veri. conc. conseq. semper directe. neg. conseq. Directe movet voluntas ad actum conclusionis, quatenus, supposito jam assensu præmissarum, immediate imperat assensum conclusionis: indirecte autem movet, quatenus movet, & applicat intellectum ad considerationem objecti: & sic voluntas etiam juxta nos potest indirecte movere ad actum evidentem. Quod autem S. Doctor non determinate loquatur de directa motione, sed tantum indeterminate, vel de directa, vel de indirecta satis patet legenti corpus articuli citati, ubi ait, voluntatem etiam movere visum, seu potentiam videndi ad visionem, ad quam tantum potest movere indirecte, vel mediate, item, quia comparat

voluntatem duci moventi exercitum mediate, quando, ut ait S. Doctor, movet suo imperio aliquem ex tribunis, qui dein ordinat aciem.

996. Ad confir. neg. conseq. nam S. Doctor ibi expresse dicit, non omnem actum rationis imperari posse, atque pro exemplo adducit apprehensionem simplicem, & assensum primorum principiorum: inde subjungit, aliqua apprehensa non convincere intellectum, & assensum circa talia esse in potestate nostra: quod etiam nos concedimus: & certe apprehensa probabilia sunt talia, non autem apprehensa evidentia; nam, ut docet ipse Angelicus *1. p. q. 82. a. 2. in corp.* intellectus ex necessitate assentitur propositionibus, habentibus necessariam connexionem cum primis principiis, quales, ut ait, sunt *conclusiones demonstrabiles:* & addit: *Et his intellectus ex necessitate assentit, cognita connexione necessaria conclusionum ad principia, per demonstrationis deductionem.* Ad summum forte S. Thomas admisit respectu actuum evidentium imperium mediatum, vel indirectum; nam verbis objectis statim subjungit: *Sicut, cum indicitur alicui, quod attendat, & ratione utatur:* hoc est, ut applicet intellectum ad considerandum objectum.

997. Ob. 2. Non experimur nos necessitari ad conclusionem evidentem: ergo non necessitamur. Resp. 1. de Benedictis *l. 4. Log. q. 1. c. 5. §. 1.* negat ant. & non sine ratione; cum enim auctores incomparabiliter plures asserant hanc necessitatem, & insuper in primis principiis videatur innegabile, quod experiamur, nos rapi ad assensum, videtur ista experientia omnino dari. Resp. 2. retorq. arg. nam multo minus experimur, nos libere assentiri conclusioni evidenti, post præviam deliberationem, & consultationem; cum tamen libertas, sive extrinseca, sive intrinseca actuum, magis cadat sub experientiam, quam necessitas. Resp. 3. om. ant. eo quod sæpissime nos non ita reflectamus in nostros actus. neg. conseq. ob nostras rationes.

998. Dices. Sæpe accidit, ut aliquis concessis præmissis evidentibus neget conclusionem, vel saltem suspensus circa eam hæreat: ergo experientia docet, non necessario inferri conclusionem. Respond. dist.

dist. conseq. experientia docet, non necessario inferri conclusionem, si adsint omnia requisita. neg. conseq. si non adsint. conc. conseq. In tali casu, vel præmissæ non sunt revera evidentes, vel non sunt in forma legitima, vel non rite penetrantur, nec agnoscitur identitas in tertio. Hinc, præsertim ignari Logices, solent etiam in aliis scientiis hærere. Eadem responsio danda est, si ponatur, vel intellectus non posse tres actus simul elicere, vel Deus negare suum concursum, vel quid simile: & in talibus casibus etiam nil juvaret imperium voluntatis, ut consideranti facile patet.

999. Ob. 3. Ex iisdem præmissis potest inferri conclusio directa, & indirecta: ergo voluntas debet determinare, quænam potius inferatur. Confir. Dantur habitus ad actus scientiæ, seu conclusiones: sed non dantur habitus, nisi ad actus subjectos liberæ voluntati: ergo. prob. mi. habitus debent facilitare potentiam ad actus: sed hanc non possunt facilitare ad actus necessarios: ergo. Resp. neg. conseq. Ordinarie infertur conclusio directa; quia hæc connaturalius sequitur: si autem potius cognoscatur evidenter identitas in tertio, ex qua sequitur conclusio indirecta, inferretur potius ista: si autem simul cognoscatur evidenter identitas in tertio, utraque, scilicet, tam respectu conclusionis directæ, quam indirectæ, tunc dabitur necessitas ad utramque conclusionem.

1000. Ad confirm. neg. mi. ad prob. dist. ma. habitus debent facilitare potentiam, vel directe, vel indirecte. conc. ma. necessario directe. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Habitus intellectuales juxta communem nostrorum, quam etiam amplectemur in Animastica, consistunt in speciebus multiplicatis, rite coordinatis &c. ita, ut facile sint excitabiles, quæ excitabilitas indirecte facilitat potentiam; quia, dum facile excitantur species, & his excitatis intellectus statim circa evidentes veritates suos actus elicit, ipse indirecte facilitatur: & certe juxta communem datur etiam habitus primorum principiorum, quorum assensus etiam juxta adversarios non est subjectus voluntatis imperio. Addit Hurtadus *disp. 7. de Animæ sec. 4. §. 31.* habitum conclusionis non distingui ab habitu præmissarum.

1001. Ob. 4. Potentia loco motiva, quamvis sit potentia necessaria, tamen est subjectiva voluntati: ergo etiam intellectus, etsi sit potentia necessaria, tamen potest esse subjectus voluntati. Resp. 1. retorq. arg. in potentia visiva, auditiva, nutritiva. Resp. 2. neg. conseq. Potentia loco motiva non habet ullum objectum, a quo determinetur, sicut tamen habent potentia visiva, & auditiva, lucem, & sonum, & pariter intellectus evidens verum; unde potentia loco motiva prorsus indifferens ad motum dextrorsum, vel sinistrorsum, sursum, aut deorsum, debet dirigi a voluntate: &, nisi ab hac dirigeretur, sæpe operaretur necessario in suum malum, ut quandoque contingit laborantibus morbo epidemico, vel lunaticis.

At intellectus est ex se determinatus ad verum, habetque directionem a seipso, imo etiam debet dirigere voluntatem: atque in assensibus vere evidentibus operatur in maximum suum bonum. Accedit experientia evidens, quæ ostendit, potentiam loco motivam esse per se ordinatam ad exequenda voluntatis imperia, qualis experientia minime datur de intellectu. Accedit iterum, quod ab una potentia, etiam necessaria, non statim argumentari liceat ad aliam, si in eodem genere potentiarum necessariarum sint aliquæ certo non subjectæ voluntati, uti sunt visiva, auditiva &c.

1002. Ob. 5. Intellectus est subjectus voluntati, etiam in evidentibus, quoad continuationem assensus; quia non necessitatur ad plures, & plures semper assensus eliciendos: ergo etiam est subjectus voluntati quoad productionem primi assensus. prob. conseq. prima productio, & continuatio, seu subsequens productio, non differunt specie: ergo, sicut intellectus est subjectus voluntati quoad unam, etiam est subjectus quoad alteram. Resp. neg. conseq. ad prob. neg. conseq. Si intellectus semel assensus est objecto evidenter proposito, jam obtinuit suum finem, nempe veritatem, & possessionem intentionalem objecti, in qua potest quiescere; alias fatigaretur nimium, & impediretur ab aliis actibus, quod ipsi esset malum.

1003. Dices. Si intellectus post assensum, præstitum

tum præmissis, debet insuper assentiri conclusioni, tunc debet eidem objecto bis assentiri: sed hoc nos non admittimus: ergo. Resp. dist. ma. debet bis assentiri eidem objecto realiter accepto. conc. ma. eidem formaliter accepto, seu eodem modo proposito. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Scilicet debet intellectus, postquam assensus est objecto, quod in præmissis propositum est, tanquam identitas in tertio, eidem iterum assentiri, quando proponitur in conclusione, tanquam formaliter aliud, seu tanquam identitas inter se. Ratio ulterior est, quia ad proponendum ita objectum, tanquam formaliter a se diversum, concurrunt novæ, atque diversæ apprehensiones evidentes, quæ necessitant ad assentiendum novæ veritati evidenter propositæ: fere sicut, si prius objectum evidenter proponatur ut animal, & postea pro altero instanti ut rationale, intellectus etiam necessitatur ad assentiendum, quod sit rationale, nec potest quiescere in priori assensu, quo affirmavit esse animal. At, quando objectum nec formaliter est aliud, tunc nec dantur novæ diversæ apprehensiones, nec necessitas novi actus.

1004. Ob. 6. Si intellectus necessitatur ad conclusionem vere evidentem, necessitatur etiam ad conclusionem tantum apparenter evidentem: sed ad hanc non necessitatur: ergo. prob. mi. ideo non necessitatur intellectus in probabilibus; quia alias sæpe necessitaretur ad falsum: sed, si necessitaretur ad conclusionem tantum apparenter evidentem, etiam sæpe necessitaretur ad falsum: ergo. Resp. 1. retorq. arg. in necessitate quoad speciem, quam etiam adversarii admittunt in conclusione apparenter evidenti, non autem in judicio tantum probabili. Resp. 2. om. ma. (quia aliqui volunt, evidentiam tantum apparentem non excludere omnem, tam directam, quam reflexam suspicionem de falso, quod tamen distincte probaretur) neg. mi.

1005. Ad prob. dist. ma. ideo non necessitatur intellectus in probabilibus; quia necessitaretur ad falsum tantum rarissime, & ad falsum nullo modo cognitum, nec suspectum. neg. ma. quia necessitaretur valde frequenter ad falsum, saltem per præviam suspicionem, vel etiam rationem probabilem pro opposi-

posito, cognitum, & insuper semper ad periculum incurrendi falsum. conc. ma. & dist. proportionaliter mi. neg. conseq. Licet autem in tali casu forte intellectui expediret, eum non necessitari, tamen non expedit, eum nunquam necessitari: sicut, licet aliquando expediret, pro aliquo casu legem aliquam non esse, non tamen ideo expediret, eam universaliter non esse. Noto hic, diversimode induci necessitatem ab evidentia vera, & ab evidentia tantum putativa. Illa inducit necessitatem vi solius motivi: ista non vi solius motivi, sed vi motivi ut substantis erroneæ apprehensioni, ita, ut stante motivo, & remota tantum erronea apprehensione, possit cessare necessitas, quæ cessare non potest stante motivo vere evidenti.

ARTICULUS V.

An Intellectus, concessis Præmissis Probabilibus, necessitetur ad Conclusionem.

1006. Dico 1. Intellectus, concessis præmissis probabilibus, & cognita identitate in tertio, necessitatur ad conclusionem quoad speciem. ita communissima. Prob. Intellectus non potest pro eodem instanti assentiri, & dissentiri objecto evidenter eidem: atqui, si non necessitaretur in nostro casu ad conclusionem quoad speciem, posset pro eodem instanti assentiri objecto præmissarum, & dissentiri objecto conclusionis, quod est evidenter idem: ergo intellectus necessitatur ad conclusionem quoad speciem. prob. ma. intellectus non potest pro eodem instanti simul assentiri duabus propositionibus contradictoriis, ut patet ex constanti experientia, & alias posset assentiri falso cognito ut tali: ergo non potest simul assentiri, & dissentiri eidem objecto. Intellige *saltem naturaliter*; nam ab eo, an id supernaturaliter fieri possit, & an non Deus post assensum præmissarum, pro sequenti signo naturæ, possit infundere evidentem apprehensionem de falsitate præmissarum, quæ trahat post se judicium contradictorium iisdem præmissis, merito in Logica abstrahitur; quamvis, ut verum fatear, mihi probabilius

bilius videatur, id fieri non posse; cum enim evidens illa apprehensio deberet durare per totum instans, deberet pro eo toto excludere assensum præmissarum: cum item duo assensus contradictorii habeant tantam oppositionem, ut non possint simul esse in eodem signo, videntur multo minus posse esse in diversis signis; sic enim non tantum coexisterent, sed unus insuper esset causa alterius. Verum, ut dixi, hic abstrahimus de supernaturaliter possibili.

1007. Dico 2. Intellectus tamen in tali casu non necessitatur ad exercitium conclusionis. ita præter eos, qui etiam negant necessitatem quoad exercitium in evidentibus, sentiunt Conimbricenses *in* 1. *Poster. c.* 1. *q.* 4. *a.* 3. *§. Dixi.* de Benedictis *l.* 4. *Log. q.* 1. *t.* 5. *§.* 2. ac alii, recentiores præsertim, satis communiter. Prob. Si intellectus in tali casu necessitaretur ad conclusionem, vel ad eam necessitaretur dependenter ab imperio voluntatis, vel independenter ab isto: neutro modo necessitatur: ergo.

Prob. 1. p. mi. Si necessitaretur dependenter ab imperio, seu actu voluntatis: vel voluntas necessario per eundem actum, per quem imperat præmissas, imperaret etiam conclusionem: vel hanc necessario imperaret per novum imperium, post præmissas concessas elicitum: sed neutrum necessario fit a voluntate: ergo. prob. mi. imprimis voluntas non est semper expedita ad imperandam conclusionem per actum illum, per quem imperat præmissas; quia non est semper, antecedenter ad præmissas, satis illuminata, neque jam satis agnoscit, quænam conclusio ex pluribus, e. g. directa, vel indirecta, sequatur, adeoque non potest eæco modo aliquam imperare.

1008. Dein voluntas est potentia libera, cui non debet imponi necessitas, nisi gravibus rationibus probetur, quod adversarii non faciunt: & facilius admittitur aliqua multiplicatio entium, quam necessitas in potentia libera; alias cur non etiam ad parcendum entitatibus dicitur intellectus necessitari ad præmissas probabiles? multo minus igitur debet imponi voluntati liberæ talis necessitas, quando ea negata potius minuuntur, quam multiplicantur entia. Ulterius communiter admittitur, voluntatem

non

non necessitari ad volendum ullum bonum, quod ei proponitur ut defectuosum, sicut tamen proponitur veritas tantum probabilis.

Sed neque voluntas necessario imperat conclusionem per actum distinctum, post præmissas concessas elicitum; nam iterum hac ratione imponitur voluntati liberæ necessitas, quæ non probatur: insuper hac ratione multiplicantur entia, seu conclusiones, quæ juxta adversarios necessario imperari debent, & elici: juxta nos autem possunt impediri, & omitti.

1009. Prob. jam 2. p. minoris superioris, nempe, quod intellectus non necessitetur independenter ab imperio voluntatis: seu, quod intellectus non necessitetur a sua natura, sive tanquam potentia necessaria, quæ positis omnis prærequisitis necessario agat. Veritas conclusionis, ex præmissis probabilibus deductæ, est tantum probabilis: ergo intellectus ex sua natura non est necessitatus ad eam inferendam. ant. admittitur ab omnibus; quia, quidquid veritatis habetur in conclusione, resunditur in eam a præmissis, adeoque, cum istæ in se non habeant certitudinem ullam, aut evidentiam, sed tantum probabilitatem, non possunt, nisi probabilitatem, refundere in conclusionem. prob. conseq. intellectus ex natura sua non est necessitatus ad amplectendam veritatem tantum probabilem, ut est evidens ab experientia, & alias, cum sæpe utraque contradictoria sit probabilis, deberet utramque amplecti, quod implicat: ergo.

1010. Respondent adversarii, intellectum quidem non necessitari ad amplectendam quamcunque veritatem probabilem, sed tamen necessitari ad eam, quæ cognoscitur evidenter sequi ex alia veritate probabili jam admissa, seu ad eam, quæ cognoscitur conjuncta cum bonitate consequentiæ objectivæ. Sed contra est. Hæc cognitio sequelæ, vel consequentiæ objectivæ, aut etiam ipsa consequentia objectiva, non tribuit conclusioni majorem certitudinem, aut claritatem, quam habeant præmissæ, sed tantum ostendit, quod conclusio sit vera, si præmissæ sint veræ: adeoque conclusionem relinquit in statu puræ probabilitatis, & quidem præcise tantæ, quantam habent

habent præmissæ: ergo ad talem conclusionem intellectus non magis necessitatur, quam ad præmissas. conseq. non videtur posse negari; nam, si conclusio per talem cognitionem, vel per ipsam consequentiam, non acquirit majorem certitudinem, vel claritatem, imo nec majorem probabilitatem, quam habeant præmissæ, etiam non acquirit majorem vim tractivam intellectus, & consequenter iste non magis necessitatur ad conclusionem probabilem, quam ad præmissas probabiles.

1011. Confirm. Stante assensu præmissarum potest intellectus formidare de falsitate earumdem (licet enim de ratione assensus probabilis non sit formido actualis, est tamen de ratione ipsius formido radicalis, sive, ut possit conjungi cum formidine de falsitate) ergo etiam, stante assensu præmissarum, potest intellectus formidare de falsitate conclusionis; quia hæc non habet majorem securitatem de veritate, quam præmissæ: ergo intellectus, etiam stante assensu præmissarum, non necessitatur ad conclusionem. prob. hæc ult. conseq. alias intellectus ex sua natura necessitaretur ad assentiendum illis rebus, in quibus videt clare, esse periculum incurrendi suum malum, imo videt sæpius actu incurrendum: atqui hoc dici non potest: ergo. prob. mi. natura non ordinat causas necessarias, ad amplectendum suum malum, cognitum, vel etiam suspectum: sane in nulla alia causa necessaria talis ordinatio, vel necessitas potest ostendi: imo ex hac ratione communiter negatur, intellectum necessitari ex se ad assentiendum præmissis probabilibus. Aliud est, quod intellectus possit a voluntate determinari, vel necessitari ad assensum probabilem, ut nemo negat: & hinc ista quidem potest imperare, & sæpissime imperat conclusionem probabilem: non tamen eam imperat necessario.

A R-

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

1012. OB. 1. contra 1. concluſ. Syllogiſmus probabilis nititur tantum *dicto de fere omni*: ergo conceſſis præmiſſis poteſt negari conſequentia. Confir. 1. In hoc ſyllogiſmo: *Omnis homo eſt mendax: Chriſtus eſt homo: ergo Chriſtus eſt mendax*: quilibet Chriſtianus conceſſis præmiſſis negabit conſequentiam: ergo poteſt negari. Reſp. neg. ant. alias præmiſſæ, quæ communiter habentur probabiles, eſſent evidentes; nihil tamen ex iis inferretur; quia non eſſent univerſales, ut requiritur. Itaque etiam præmiſſæ probabiles nituntur *dicto de omni ſimpliciter*: attamen non eſt certum, aut evidens, an revera, an tantum apparenter, nitantur eo principio.

Ad confir. Imprimis in hoc ſyllogiſmo præmiſſæ non ſunt tantum probabiles: ſed hoc omiſſo neg. conſeq. In hoc ſyllogiſmo prima præmiſſa non eſt omnino univerſalis; unde non nititur *dicto de omni ſimpliciter*, ſed tantum *dicto de fere omni*, & Chriſtus non identificatur cum ulla parte medii, cui identificatur alterum extremum, id eſt *mendax*: adeoque non datur identitas in tertio. Si quis tamen per errorem exiſtimaret, primam propoſitionem eſſe omnino univerſalem, per errorem neceſſitaretur quoad ſpeciem: quod admittere non eſt abſurdum.

1013. Ob. 2. Juxta nos aliquis, conceſſis præmiſſis hæreticis, neceſſitaretur ad concluſionem quoad ſpeciem: hoc eſt abſurdum: ergo. Confirm. Concluſio non habet majorem vim, quam præmiſſæ: ergo, ſi ad iſtas non datur neceſſitas quoad ſpeciem, neque dabitur ad illam. Reſp. neg. mi. Hæc neceſſitas, cum ſit tantum conſequens, utpote orta ex voluntario aſſenſu præmiſſarum, poteſt ſine ullo abſurdo admitti. Sufficit tali homini, quod pro ſequenti inſtanti poſſit revocare præmiſſas, & conſequenter negare concluſionem. Ad confirm. neg. conſeq. In tali caſu ipſæ præmiſſæ neceſſitant, ad non componendum cum ipſis actum contradictorium, & hunc impediunt. Nec tamen propterea poſſunt neceſſitare ad ſeipſas;

ſeipſas; nam neceſſitare non poſſunt, antequam exiſtant (tunc enim primum habent vim excludendi actum oppoſitum) ſed neque etiam intellectus tunc ad ipſas affirmandas eſt aliunde antecedenter neceſſitatus.

1014. Ob. 3. Juxta nos aliquis, conceſſis præmiſſis etiam inter Catholicos probabilibus, neceſſitaretur quoad ſpeciem ad concluſionem hæreticam: ſed hoc non poteſt admitti: ergo. prob. ma. hæ præmiſſæ: *Si datur prædeterminatio phyſica, non datur libertas: Atqui datur prædeterminatio phyſica*: ſunt etiam inter Catholicos probabiles: ſed his conceſſis juxta nos aliquis neceſſitaretur quoad ſpeciem ad hanc concluſionem hæreticam: *Ergo non datur libertas*: ergo. Reſp. neg. ma. ad prob. neg. mi. hic enim ſyllogiſmus eſt malus, & ex his præmiſſis nihil infertur.

Nam ad ſyllogiſmum vere probabilem requiritur, ut præmiſſæ, non tantum ſeorſim, ſed etiam ſimul ſint probabiles, ſive ſint comprobabiles, quales non ſunt iſtæ, in objectione adductæ; nam una impedit verificationem alterius; ſi enim vera eſt major, tunc neceſſario falſa eſt minor; quia prædeterminatio tollens libertatem dari non poteſt. Si autem minor vera eſt, tunc falſa eſt major; quia, ſi prædeterminatio detur, libertatem tollere non poteſt. Unde ſyllogiſmus non concludit; nec enim unquam in eo datur identitas in tertio; cum unum extremum neceſſario excludat alterum ab eodem medio. vide etiam dicta ſupra *n.* 161. & 162.

1015. Ob. 4. contra 2. concluſ. Syllogiſmus in genere juxta Ariſtotelem 1. *Prior.* 1. eſt *Oratio, in qua poſitis quibuſdam, alterum quid a poſitis neceſſe eſt contingere; eo quod hæc ſint*: ergo etiam in ſyllogiſmo probabili alterum, ſcilicet concluſionem, neceſſe eſt contingere, ſeu inferri. Confir. Juxta nos poſſet quis in diſputatione, conceſſis præmiſſis probabilibus, negare conſequentiam, etiam in ſyllogiſmo formaliter bono: ſed ſic eluderetur vis ſyllogiſtica: ergo.

Reſp. neg. conſeq. Neceſſitas illa ad alterum univerſaliter ſignificat, quod etiam alterum neceſſario verum ſit conditionate, ſi ſcilicet veræ ſint præmiſſæ: vel forte, ut quidam volunt, quod alterum neceſſario

ſequa-

sequatur quoad speciem, ita, ut negari non possit. Ad confir. neg. min. Utique potest quis exterius negare etiam consequentiam evidentem, adeoque multo magis probabilem, quamvis interius ei necessario, vel libere assentiatur; non enim implicant mendacia: at non ideo eluditur vis syllogistica; nam 1. potest ea convincere mentem. 2. disputator concessis præmissis non potest negare consequentiam, nisi possit ostendere vitium syllogismi, aut velit ut ignorans rideri.

1016. Objic. 5. In syllogismo probabili non minus evidenter infertur conclusio, quam in evidenti: ergo, si in isto datur necessitas conclusionis quoad exercitium, datur etiam in illo. Confirm. 1. Si non necessario inferretur conclusio probabilis, ratio esset; quia tantum esset conditionate evidenter vera: atqui est absolute evidenter vera: ergo. prob. min. veritas conclusionis talis, conditionate evidens, transit in absolute evidentem, si purificetur conditio: atqui hæc purificatur per assensum præmissarum: ergo. Confirm. 2. Intellectus, concessis præmissis probabilibus, habet claram notitiam de objecto conclusionis: ergo debet illud clare affirmare per conclusionem, nec sufficit, illud tantum obscure affirmasse per præmissas.

Resp. dist. ant. non minus evidenter infertur conclusio, evidentia consequentiæ. conc. ant. evidentia consequentis. neg. ant. & conseq. Tantum verum est, in tali casu conclusionem esse veram, si veræ sint præmissæ, & si vere detur identitas in tertio. Nec dicas, ex hoc saltem sequi, quod dari debeat judicium de bonitate consequentiæ; nam videtur hæc, saltem ordinarie, jam sufficienter affirmata in præmissis, ex dictis *a num. 927. & seq.* Ad 1. confirm. om. maj. neg. min. ad prob. neg. min. Assensus præstitus præmissis non reddit conclusionem absolute, minus evidenter veram: sed deberent supervenire aliæ apprehensiones, vel notitiæ, evidenter ostendentes, objectum se ita habere, ut conclusio affirmat. Ad 2. confir. dist. ant. intellectus habet notitiam claram, sed tamen tantum probabilem. conc. ant. habet evidentem. neg. ant. & conseq.

1017. Objic. 6. Voluntas volens aliquid, vult omnia

omnia cum eo connexa: sed conclusio est connexa cum præmissis: ergo voluntas, volens præmissas, vult etiam conclusionem. Resp. om. maj. dist. min. conclusio objectiva est connexa cum præmissis objectivis. om. min. conclusio formalis probabilis est connexa cum præmissis formalibus probabilibus. neg. min. & conseq. Hucusque semper negavimus, in probabilibus dari connexionem necessariam, inter præmissas formales, & conclusionem formalem: nec hucusque probatum est oppositum. Quod spectat ad præmissas objectivas, eæ proprie loquendo non sunt connexæ cum conclusione objectiva, sed potius identificatæ cum ea: nec tamen propterea debet voluntas, alio, & novo actu, velle conclusionem objectivam; cum eam jam voluerit realiter per præmissas: neque nova ejus repræsentatio tantum probabilis necessitat ad novum actum. Minime autem præmissæ objectivæ habent connexionem necessariam cum conclusione formali: imo neque cum præmissis formalibus; quia utique objectum potest esse, quin cognoscatur, aut affirmetur.

1018. Cæterum omisi majorem; quia habet quædam æquivoca: alia etiam falsa; nam, si intelligatur, quod volens aliquid debeat etiam velle cum eo antecedenter connexa, vel præsupposita, ea major est falsa; neque enim e. g. Deus, dum vult infligere pœnam justam culpæ præcedenti, debet etiam culpam velle: quin etiam, si intelligatur, talis volens debere velle consequenter connexa, iterum ea major universaliter est falsa; quia sæpe tantum debet ea permittere, quod non est velle; nec enim Deus, permittens peccata, ea vult. Nec dicas, Deum peccata velle permissive; hoc enim non est velle peccata, sed tantum permissionem eorum.

1019. Hoc tamen verum est, quod voluntas, volens efficaciter aliquem finem necdum obtentum, debeat velle etiam media ad eum necessaria, & quidem, si talia media voluntati primum proponantur post intentionem finis, debeat ea velle per actum distinctum: saltem, si adhuc duret intentio finis; nam, si hæc interim desiisset, nullum actum necessario post se traheret: & sic omnes explicant volitionem efficacem; nam talem finem efficaciter velle, est idem, ac

ac serio velle eum obtinere : hoc autem est velle facere, quantum ex sua parte necessarium est, ut finis obtineri possit : quod utique est velle adhibere media, quæ ex sua parte sunt necessaria. At præmissæ formales non sunt aliquis finis, ad quem consequendum conclusio formalis sit necessaria tanquam medium : imo præmissæ jam debent esse obtentæ ante conclusionem : ergo, licet voluntas illas velit, non debet velle istam.

Non autem quis dicat, præmissas esse medium ad conclusionem, & eum, qui vult medium, etiam velle finem ; nam hoc tantum verum est, vel quando quis vult medium qua tale, sive id ordinando ad finem : vel in quibusdam casibus, quando medium necessario post se trahit finem : at neque semper quis vult præmissas probabiles, tanquam medium qua tale ad conclusionem : neque præmissæ probabiles necessario post se trahunt conclusionem ; hoc enim merito tamdiu negatur, quamdiu non probatur. Tandem addo, æquivoce dici, voluntatem velle præmissas objectivas ; nam sæpissime non vult, eas reipsa existere, sed ad summum vult, eas intentionaliter possidere per præmissas, ad quam possessionem conclusio nullo modo est necessaria.

1020. Ob. 7. Voluntas post imperatas præmissas non habet rationem suspendendi conclusionem : ergo non potest eam suspendere. Resp. neg. ant. & potest hic dici illud : *Sit pro ratione voluntas* : seu exercitium libertatis, ut in multis aliis. 2. potest esse ratio, quod conclusio sit bonum defectuosum, mixtum periculo errandi, adeoque contemptibile, & nullatenus necessarium. Nec dicas, periculum errandi jam fuisse contemptum in præmissis ; nam in his tantum contemptum est periculum semel errandi : si adderetur conclusio, deberet contemni periculum bis errandi, quod est difficilius : sic, licet miles, condemnatus ad mortem, audacter quandoque ludat cum sociis pro vita : si tamen felici jactu evasit, non iterum idem periculum subit.

1021. Dices. Si voluntas post imperatas præmissas non etiam imperaret conclusionem, tunc idem motivum amplecteretur, & negligeret : hoc est impossibile : ergo. Resp. dist. ma. idem motivum amplecteretur

tur in ordine ad unum actum, & negligeret in ordine ad eundem actum. neg. ma. negligeret in ordine ad alium actum. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Idem debent respondere adversarii, si quæratur ab ipsis, quare sæpe voluntas postea, quando iterum excitantur eædem apprehensiones, quin accedat nova ratio in contrarium, tamen non amplius imperet novum assensum præmissarum probabilium, quamvis prius aliquem imperaverit.

1022. Ob. 8. Etsi post concessas præmissas probabiles conclusio maneat tantum probabilis, tamen necessitat quoad speciem : ergo etiam, quamvis maneat tantum probabilis, potest necessitare quoad exercitium. Resp. neg. conseq. Necessitas quoad speciem non est necessitas ad agendum, sed ad omittendum ; unde non debet provenire ex majore claritate, vel certitudine, vel alia vi suasiva : sed potest oriri ex quovis impedimento, reddente actum primum proximum ab agendo impeditum : tale autem impedimentum actus primi proximi ad eliciendum actum, præmissis contradictorium, est ipse assensus præmissis præstitus, qui, cum sit incompossibilis cum dissensu, eo ipso reddit intellectum impeditum, & impotentem elicere dissensum.

1023. Nam, ut probatum *n.* 1006. intellectus non potest simul assentiri duobus contradictoriis ; unde non tantum quoad speciem ita necessitant præmissæ probabiles, sed quilibet simplex assensus probabilis, ita, ut non possit cum ipso componi actus oppositus. At vero necessitas quoad exercitium non est tantum impedimentum actus oppositi, sed positiva illatio actus alicujus novi ; hinc, licet veritas probabilis possit inferre necessitatem quoad speciem, non tamen potest inferre necessitatem quoad exercitium ; alias, sicut quælibet propositio infert exclusionem actus oppositi, etiam inferret alterum assensum sibi similem. Quare necessitas quoad exercitium non habetur, nisi ab evidentia veritatis, vel a libero imperio voluntatis.

1024. Ob. 9. S. Thomas *1. p. q. 82. a. 2. in corp.* docet, quod ita se habeat principium in intelligibilibus, sicut se habet finis in appetibilibus : ergo, sicut volitio finis necessitat ad eligenda media, ita assensus

sus principiorum, seu præmissarum, necessitat ad assensum conclusionis, etiam probabilis; quia S. Doctor non facit discrimen inter præmissas probabiles, & evidentes. Resp. dist. ant. docet, quod ita se habeat principium stricte tale, aut saltem evidens. conc. ant. principium tantum late tale, seu præmissa tantum probabilis, neg. ant. & conseq. & vel maxime nego id, quod dicitur, S. Doctorem non facere discrimen inter præmissas probabiles, & evidentes; nam *hoc ipso loco* expresse loquitur de primis principiis: id quod etiam facit 1. 2. *quæst. 17. art. 6. in corp.* & idem quoque facit *locis num. 990. citatis*. Addo tantum, quamvis ad solutionem argumenti parum faciat, S. Doctorem *loco objecto* non de quolibet fine, sed de ultimo, id est, de Deo agere.

1025. Alia, quæ a quibusdam adhuc in Logica solent tractari, de præmissis demonstrationis, de regressu demonstrativo, de præcognitis ad demonstrationem &c. lubens omitto; tum quia non adeo magni momenti sunt, & vel in aliis facile legi, vel etiam sine grandi dispendio possunt nesciri; tum quia dialecticæ hæ disputationes jam alias, ultra multorum expectationem, atque etiam ultra primam meam intentionem, longius fuere protractæ. Sat diu hucusque cursus in arcto, & inter spinas, nec adeo facilis fuit: juvat modo in ampliora, & amœniora Physicæ viridaria exspatiari.

FINIS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS


UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS